




Loci communes theologici, jam postremo recogniti & aucti

<https://hdl.handle.net/1874/416653>



Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
 - de kopsnede
 - de frontsnede
 - de staartsnede
 - het achterplat

This book is part of the Van Buchell Collection Huybert van Buchell (1513-1599)

More information on this collection is available at:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

Ex. oct.

162




12

mm

melnešt





et si iste. v. fuit legitimi
in nulla dispensatio ne
cessaria ex quo media
intercessit persona ut
dicitur sine. b. obsequia
et. i. non pp h. inu. ser
uatur decretum illud quo
pharentur filii succede
re i. p. m. ecclesis. ut. g.

e. plenarium. et i. c. c. a. successio e. non debet. vii. q. i. ap. l. a.
successione. no. quod hereditaria successio i. talis et i. in o. i.
b. eundem loci consideratur. f. de iure p. no. consilium. et. f.
de iust. ad reco. rem.

Consuetud. i. f. spoliatur. q. de iure fieri u. potuit. xvi. q. i.
vi. l. d. et. e. contra i. o. nec i. i. hominib. de i. o. l. d. ha
bens potestate. xxiii. q. viii. l. are. et. p. q. ii. c. d. a. p. c. o. c. t. u. l.
si cu. iste fuit spoliatur debuit restitu. simpliciter ante q.
cognoscatur de iure suo. f. de resti. spoli. i. l. ceteris. f. cum
quis ex q. d. ne ser. hic id. fit et mandatur. pp. inquiri. quia
q. ne non agebat possessione. si petere. et possessore quod
pater et ipa. l. cetera. i. p. n. dixit se canonice instituti fuisse
p. h. modum spoliatur et deo de utraq. mandatur inquiri.
sic. f. de resti. spoliatur. decepta. al. si simplr. petuisset re
stitutionem restituatur fuisse sine cause p. n. p. l. i. cogui
aone. perpetuus. no. q. h. pater temporalit. iudicium fuerit

netioe p. uocet etc. eidem
suo ordine seruando p. i. c. i.
ce debeat optime non u. so
luc p. i. m. i. s. t. a. m. i. n. i. s. t. r. u. m. s. o. l. l. e. m. p.
ma id. alia diuina officia
p. d. e. sine m. i. n. i. s. t. r. i. s. t. i. f. u. s. t. i. a. g.
o celebrare. **H**airyo car
i. t. a. m. i. s. t. a. q. d. n. e. v. c. l. i. a.
p. e. e. p. u. m. u. s. q. a. d. a. l. l. i. s. d. e. a. l. l. i. s.
p. r. e. s. e. n. t. a. t. i. o. n. e. m. i. n. q. u. o. d. a. m.

Theologia

Octavo n. 162.

N. 2. A.

Loci Commu-
 nes theologici,
 iam postremo
 recogniti &
 aucti,

PER PHILIPPUM
 Melanchthonem.

*Accessit locorum Scripturae obiter declarato-
 rum, item rerum ac uerborum in hisce
 omnibus memorabilium ge-
 minus Index.*

B A S I L E A E

1545.

ex dono Buchely



10
L'abbé de

des

de

de

de

de

de

de

de

de

de

de

de

de

de

de

de


de

de

de

de

PHILIPPVS MELANCHTHON
PIO LECTORI S. D.



RODEST firma & per
spicua testimonia de sin-
gulis articulis doctrinae
Christianae, ordine distri-
buita, uelut in tabella ha-
bere proposita, ut cum dis-
putant animi secum, aut
anguntur, sententiae cer-

tae in conspectu sint, quae trepidantes erudiant,
erigant, confirmant, consolentur. Haec enim sunt
exercitia fidei pijs & necessaria, & non ignota:
de quibus Propheta inquit, Lucerna pedibus
meis uerbum tuum. Ad hunc usum domesticum
initio mihi hos locos institui. & cum uiderem
his turbulentis temporibus interdum aliqua
explicatione opus esse, addidi interdum aliquas
descriptions, aut partitiones. Haec cum postea
circumferrentur in manibus multorum, reco-
gnoscenda & augenda fuerunt. Non ambitio-
ne, non *inouentia*, non aemulatione, non ut se-
rerem rixas, haec & institui & collegi: sed primum
ut me ipsum erudirem, deinde ut aliquorum qui
haec legebant, honesta & pia studia adiuuarem.
Sed de uoluntate mea nihil dicam amplius, quam
quod Deo probata esse spero, ac meae conscien-
tiae testimonium antefero criminationibus Ec-
clicij, Cochlei, Alfonsi, & multorum qui illis applau-
dunt.

PHILIPPVS MELAN.

dunt. Cum autem re ipsa cognouerim explicacione dogmatū Ecclesiæ propter multas causas opus esse difficillimum, & quanquā necessariū est, tamen plenū esse ingentium periculorū, at tēte audiui interpretes eruditos *ἢ βροδιδάκτους,* & mediocri cura & solitudine inquisiui Ecclesiæ doctrinam, & conatus sum res ueras quanta potui perspicuitate recitare. Non gigno nouas opiniones, nec aliud maius scelus esse in Ecclesia Dei sentio, quā ludere fingendis nouis opinionibus, & discedere à Prophetica & Apostolica scriptura & consensu uero Ecclesię Dei. Sequor autem & amplector doctrinā Ecclesiæ Vuitebergensis & coniunctarū, quæ sine ulla dubitatione consensus est Ecclesiæ catholicæ Christi, id est omnium eruditorū in Ecclesia Christi. Vult autem Paulus esse iudicia doctrinæ in Ecclesia, ut ueritas seruetur incorrupta, & non temerè labefactetur cōcordia. Et agnosco ipse meorū scriptorū maciē & squalorē. Quanquā igitur propriè & planè loqui studeo, tamen fieri potest, præsertim in tanta mole rerū & in tanta breuitate, ut interdum aliquid dictū sit obscurius, aut parum cōmode. Ideo non defugio iudicia Ecclesiarū nostrarū. Nam has censeo uere esse Dei Ecclesiā, & uera animi pietate eas ueneror, nec me ab eis seiungā, meaq; dicta, scripta & facta earū iudicio permitto. Sape etiam optaui alios qui antecellunt eruditione & iudicio, cōmunicato consilio & collatis sententijs de rebus

PIO LECTORI.

bus ipsis & de formis loquendi, graui autoritate tale aliquod opus condere, quod ordine præcipuas materias doctrinæ ecclesiasticæ complecteretur. Dicerē hanc rem curæ esse debere pijs & sapientibus principibus, præsertim in tanta temporū confusione. Sed uidemus Ecclesiam non regi humanis consilijs. Oro igitur Deum æternū patrem Domini nostri Iesu Christi, ut propter filium suum Dominum nostrū Iesum Christum, quem uoluit esse pro nobis uictimā *ἡ ζωὴ ἡ ἀληθεία*, Ecclesiā sibi colligat, regat et feruet, & docentium ac discientium mentes gubernet, studia adiuuet, & ad ueritatis & concordie amorē multos flectat, Id cum Christus in agone suo precatus sit, nostra uota & nostros gemitus ad huius nostri pontificis petitionem adiugamus qui dixit, Pater sanctifica eos in ueritate, sermo tuus est ueritas. Ne finas extingui lucē ueritatis, id est Euangelij tui. Et addit, Sint unum sicut & nos unum sumus. Primum nobiscum coniuncti sint, deinde inter sese sint concordēs, & consulant paci ueræ Ecclesiæ iustis officijs. Hortor & scholasticum gregem ut cogitent qua in statione à Deo collocati sint, & sciāt se Ecclesiæ Dei seminaria esse. Nam ex hoc numero filius Dei regnans ad dextram æterni Patris, ac dona dans hominibus, uidelicet pastores et Doctores, sumit Euāgelij Ministros quos præparari uult in scholis. Hos esse custodes Librorum Prophetiæ & Apostolicorum &

PIO LECTORI.

uerorum dogmatum Ecclesiae uoluit. Quare diligentiam & fidem in re omnium maxima, Deo, Ecclesiae, & posteritati praestemus, ueritatem inquiramus, amemus, tueamur, & ad posteros incorruptam transmittamus.

VVITEBERGAE,

Anno 1545.

LOCORVM SACRAE SCRIP-
 pturæ hoc in libello obiter à Phi-
 lippo explicatorum
 Elenchus.



Gen. 1. In principio creavit Deus cælum & terram. 13	Gen. 8. Cogitatio humani cordis mala est 101
Gen. 1. Spiritus Domini ferebatur super aquas 51	Gen. 9. Quicumq; fuderit sanguinem humanum 168
Gen. 1. Dixit Deus 13.	Gen. 15. In semine tuo benedicetur omnes gentes 206
Gen. 1. Ipse dixit & facta sunt. 61	Exo. 14. Nolite timere, stete et videte magna opera Dei 486
Gen. 1. Vidit Deus omnia quæ fecerat, & erant ualde bona 72	Exo. 34. Coram te innocens, non est innocens 266
Gen. 3. Inimicitias ponam inter te, & mulierem, etc. 205	Deut. 4. Ut scias quod Dominus est Deus 17.
Gen. 4. Si bonus fueris, eris acceptus, etc. 355	Deut. 6. Audi Israel, Dominus Deus noster
Gen. 6. Non iudicabit spiritus meus in homine 353	
Gen. 8. Odoratus est Deus	

LOCORVM SCRIPTVRÆ

ster	17	13.38	
Deut. 28. Si audieris uocem Domini Dei tui		Psal. 48. Velut oues in fouea	425
591		Psal. 99. Scitote quod Dominus ipse est Deus	65
Deut. 33. Hæc est lex tua	190	Psal. 50. Cor mundum crea in me Deus	286
Sap. 11. Per quæ peccat quis, per ea cruciatur	442	429	
Iob 19. Scio quod redemptor meus uiuit	425	Psal. 50. Ecce in iniquitatibus cõceptus	99
Psal. 2. Filius meus es tu	13	Psal. 50. Holocaustis nõ delectaberis	322
Psal. 4. Irascimini, noli te peccare	138	Psal. 81. Ego dixi, dij estis	635
Psal. 5. Non Deus uolēs iniquitatem tu es	73	Psal. 110. Dixit Dominus Domino meo	39.
Psal. 15. Caro mea requiescet in spe	425	Psal. 110. Tu es sacerdos in æternum	207
Psal. 31. Dixi confitebor aduersum me	364	Psal. 129. Si iniquitates obseruaueris Domine	124. 207. 456. 265. 388
Psal. 33. Mors peccatorum pessima	425	Psal. 142. Ne intres in iudicium cum seruo tuo	207
Psal. 45. Et cõcupiscet rex decorem tuum			Pro.

INDEX.

- Pro. 7. Bibe aquã e tuis
fontibus 187
- Pro. 18. Iustus primum
sefe accusat 364
- Pro. 20. Vt oculus ui-
deat, auris audiat
151. 624
- Eccle. 8. Impius non po-
test euadere in bello
641.
- Esa. 9. Paruulus natus
est nobis 13
- Esa. 9. Vocabitur no-
mẽ eius admirabilis 37
- Esa. 15. Et deuorabitur
in monte hoc facies
inuolutorum, &c.
423
- Esa. 33. Regem in deco-
re uidebunt 279
- Esa. 45. Præter me non
est Deus alius 55
- Esa. 46. Viuent mortui
tui, &c. 421
- Esa. 149. Et erũt reges
nutritores tui 672
- Esa. 53. Posuit Domi-
nus in eo iniquitates
omnium nostrũm
208
- Esa. 53. Postquam dede-
rit animam suam ho-
stiã pro delictis 330
- Esa. 59. Spiritus meus,
qui est in te 50. 364
- Esa. 63. Spiritus Domi-
ni ductor eius fuit 51
- Esa. 64. Ecce tu iratus
es, &c. 442
- Esa. 65. Ecce ego ad gẽ-
tem 332
- Esa. 65. Ecce ego creo
cælos novos, &c.
422
- Esa. 66. Sicut cæli no-
ui & terra noua, &c.
422
- Iere. 7. Non præcepit
tribus uestris de ho-
locaustis 322
- Iere. 10. Scio Domine
quod nõ est hominis
uia eius 78
- Iere. 20. Castigabo te in
A 5 iudi-

LOCORVM SCRIPTVRAE

indicio	388	cans	331
Iere. 31. Dabo legem meam in corda eorū		Micheæ 5. Egressus eius ab initio ante dies mundi	37
304		Micheæ ult. Iram Do- mini portabo	460
Iere. 31. Fœdus, &c.	323. 326	Zach. 7. Verba quæ mi- sit Dominus exerci- tuum	50
Iere. 33. Dominus iusti- ficator noster est,	37	Zach. 8. Malum ne cogi- tetis	73
Ezech. 33. Vivo ego di- cit Dominus, Nolo mortem, &c.	341	Zach. 9. Tu quoque in sanguine testamenti tui	330. 363
Dan. 4. Liberate te à pec- catis & iustitia,	305	Zach. 12. Effundam su- per domum David spiritum	330
Dan. 7. De cornu par- uulo	154	Zach. 12. Effundam su- per eos spiritum gra- tiæ	56. 431
Dan. 9. Tibi domino iu- stitia, nobis autē con- fusio	266	Matth. 3. Hic est filius meus dilectus,	14
Oseæ 11. Conuersum est in me cor meum, etc.	457	Matth. 4. Dominū Deū tuum adorabis	700
Oseæ 13. Dolores par- turientis	333	Matth. 5. Non moecha- beris	157
Ioel. 2. Effundam de Spi- ritu meo	53. 428	Matth. 5. Ne resistatis malo	
Amos 9. Ecce oculi Dei super regnū pec-			

INDEX.

- | | | |
|--|---------|--|
| malo | 415 | Matth. 19. Si peccauerit
in te frater tuus, cor-
ripi eum, &c. 342 |
| Matth. 6. Remittite, &
remittetur uobis | 304 | Matth. 23. Super cathe-
dra Moysi 375 |
| Matth. 6. Pater noster
qui es in cœlis | 600 | Matth. 28. Ego baptizo
te in nomine patris,
&c. 15. 23. 377 |
| Matth. 6. Remitte no-
bis debita nostra | 265 | Mar. 12. Secundum au-
tem simile est illi, 125
148 |
| Matth. 6. Ne nos indu-
cas in tentationē | 74 | Luc. 3. Ne plus quàm cō-
stitutum est poscite
634 |
| Matth. 10. Qui me nega-
uerit coram homini-
bus | 701 | Luc. 7. Remittuntur ei
peccata multa 309
& 310 |
| Matth. 11. Venite ad me
omnes, qui laboratis,
&c. | 454 | Ioan. 1. In principio e-
rat ueritas & 27 |
| Matth. 15. Frustra colūt
me mandatis homi-
num | 391 | Ioan. 1. Omnia per ip-
sum facta sunt 29 |
| Matth. 16. Super hanc
petram edificabo ec-
clesiam | 393 | Ioan. 1. Mundus per ip-
sum factus est 31 |
| Matth. 18. Vbicūq; sunt
duo aut tres congre-
gati | 35. 407 | Ioā. 1. Lex per Moysen
data est, gratia &
ueritas per Iesum
Christū facta est 233 |
| Matth. 19. Si uis in uitā
ingredi, serua man-
data | 302 | Ioan. |

LOCORVM SCRIPTVRAE

Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit cum aqua & spiritu	101	potestis facere	35
Ioan. 4. Veri adoratores	255	Ioan. 16. Quicquid petieritis patrem in nomine meo	475
Ioan. 5. Qui nō honorat filium	10	Ioan. 20. Dominus meus, & Deus meus	34
Ioan. 8. Pater mendacij	73	Act. 7. Domine Iesu suscipe spiritū meū	36
Ioan. 8. Priusquam Abraham natus est	36	Act. 10. Huic omnes prophetæ testimonium, &c.	358
Ioan. 8. Si filius uos liberauerit	716	Act. 15. Fide purificans corda	225
Ioan. 10. Oues meæ uocē meā audiunt	411	Act. 17. In ipso uiuimus	63
Ioan. 10. Pater maior me est	42	Rom. 1. Deus ipsis manifestauit	68
Ioan. 14. Aliū paracletum dabit uobis	48	Rom. 1. Veritatē in iniustitia detinēt.	164
Ioan. 14. Non relinquā uos orphanos	259	Rom. 3. Per legem cognitio peccati	175
Ioan. 14. Philippe qui uidet me	9	Rom. 3. Iustitia Dei in omnes	359
Ioan. 14. Quicquid petieritis in nomine meo	35. 58	Rom. 3. Legē stabilimus per fidem	269
Ioan. 15. Sine me nihil		Ro. 3. Omnes peccauerunt, &c.	241
		Rom.	

INDEX.

- | | |
|--|--|
| Rom. 4. Operanti merces non imputatur secundum gratiã, 234 | Ro. 5. Iustificamur fide 217. 223. 359 |
| Ro. 4. Fides imputatur ei ad iustitiam 290 | Rom. 6. Non estis sub lege, sed sub gratia 234 269 |
| Rom. 4. Ideo gratis ex fide, ut sit firma promissio 202 | Rom. 6. Peccatũ nobis non dominabitur 355 |
| Rom. 4. Ideo ex fide secundum gratiã 234 | Rom. 7. Lex est spiritua lis 119. 433 |
| Rom. 4. Lex iram efficit 246 | Rom. 7. Sensus carnis inimicitia est 162 |
| Rom. 5. Mors peruasit in omnes homines | Rom. 7. Per legem peccatum fit excellenter reum 114 |
| Rom. 5. Probatio spem efficit 373 | Rom. 7. Ego aliquando uiuebam sine lege 175. 343 |
| Rom. 5. Per hominem intrauit peccatum in mundum 73 | Ro. 7. Seruiamus in nouitate spiritus 394 |
| Rom. 5. Per peccatum mors intrauit in mũ dum 437. 408 | Rom. 8. Nulla nunc condemnatio his, qui in Christo Iesu ambulãt 269. 347 |
| Ro. 5. Vnius delicto omnes mortui sunt 100 | Rom. 8. Si actiones carnis spiritu mortificabitur 379 |
| Rom. 5. Vbi abundauit peccatum, superabundauit gratia 235 | Rom. |

LOCORVM SCRIPTVRÆ

- | | | | |
|--|---------|---|---------|
| Rom. 8. Sensus carnis mors est | 111 | Rom. 13. De magistratu | 631 |
| Rom. 8. Si secundū carnem uixeritis, morie mini | 347 | Rom. 14. Infirmos in fide assume | 707 |
| Rom. 8. Spiritus dat testimonium spiritui nostro | 49 | Rom. 14. Non solū propter iram, sed etiam propter cōscientiam | 662.664 |
| Rom. 8. Nescimus quid petamus | 479 | Ro. 14. Quod non est ex fide, peccatum est | 108.353 |
| Ro. 8. Quos elegit, hos et uocauit | 406.407 | 1. Cor. 1. Cum mundus Deum sapientem | 8 |
| Rom. 8. Quis condemnabit | 269 | 1. Cor. 1. Qui gloriatur, in Domino gloriatur | 266 |
| Rom. 9. Israel sectando, etc. | 408.409 | 1. Cor. 4. Ut sint fideles | 359 |
| Rom. 9. Misereor cuius misereor | 404 | 1. Cor. 4. Nihil mihi cōscius sum | 263 |
| Rom. 10. Confessio fit ad salutem | 271 | 1. Cor. 6. Ne erretis, nec scortatores, etc. | 284 |
| Rom. 11. Cōclusit Deus omnes | 402 | 1. Cor. 7. Melius facit e locans | 197 |
| Rom. 11. Reliqui indurati sunt | 346 | 1. Cor. 11. Si nos ipsi iudicamus | |
| Rom. 12. Exhibete corpora uestra hostiam uiuam | 693 | | |

INDEX.

- iudicaremur, non iudicaremur 393
1. Cor. 12. Idem est Deus agens omnia in omnibus 81.49
1. Cor. 13. Si habeam omnem fidem 301
2. Cor. 3. Non sumus idonei per nos ipsos cogitare aliquid 359
2. Cor. 3. De litera & spiritu 327.431
2. Cor. 3. Transformavit tanquam à Domini spiritu 49
2. Cor. 3. Nos reuelata facie spectantes gloriam Domini 429
2. Cor. 5. Superindui cupientes 271
2. Cor. 4. Semper mortificationem Domini Iesu in corpore, &c. 693
- Gal. 1. Siquis aliud Euangelium docebit, anathema sit 701
- Gal. 4. Hæc sunt duo testamenta 322
- Gal. 5. In libertate qua Christus uos liberauit, state, 684
- Gal. 5. Manifesta sunt opera carnis 351
& 352
- Eph. 1. Electi secundum propositum eius 81
- Eph. 1. Elegit nos in Christo 406
- Eph. 1. Et ipsum dedit caput super omnia Ecclesiæ 366
- Eph. 2. Eramus natura filij iræ 100.408
- Eph. 2. Gratis saluati estis 247
- Eph. 4. Per quem audeamus accedere 224
- Eph. 5. Omnis scortator 351
- Eph.

LOCORVM SCRIPTVRAE

- Eph. 5. Christus dilexit ecclesiam, &c. 407
 Eph. 5. Omnis scortator 351
 Eph. 6. Educate filios in disciplina 694
 Col. 2. In quo inhabitat plenitudo Diuinitatis corporaliter 2536
 Col. 2. Nemo uos iudicet in cibo 683
 Col. 3. In Christo consummati estis 269
 Philip. 1. Qui coepit in uobis opus bonum 405
 Philip. 2. Qui cum esset in forma Dei 40
 Phil. 2. Deus est, qui efficit in uobis ut uelitis 405
 Philip. 4. Pax Dei quae superat, &c. 133
 1. Timoth. 1. Lex est iniustus posita 77.
 172
 1. Timoth. 2. Hortor ut petitiones, &c. 643
 664
 1. Timoth. 4. Exercete ad pietatem 695
 1. Timoth. 4. Speramus in Deo uiuo 63
 1. Pet. 2. Ut offeratis hostias spirituales 331
 1. Pet. 3. Baptisma quod est non sordium 400
 1. Ioan. 1. Quod erat ab initio, &c. 31
 1. Pet. 1. Spiritus Christi in eis 49
 1. Ioan. 3. Nunc filij Dei sumus 414
 1. Ioan. 3. Qui facit peccatum, ex diabolo est 73. 287
 1. Ioan. 3. Ut destituat opera diaboli 232
 1. Ioan. 5. Tres sunt qui testimonium perhibent in caelo 52
 Hebr. 4. Accedamus ad thronum gratiae, 235
 Hebr.

INDEX.

Hebr. 7. De abrogatione ueteris testamenti	323	Hebr. 13. Per ipsum offeramus hostiam laudis	332
Hebr. 6. Impossibile est eos qui semel illuminati, &c.	344	Iacobi 2. Ex operibus, iustificatur homo	300
Hebr. 10. Voluntarie peccantibus post acceptam notitiam, &c.	347	Iacobi 6. Confitemini mutuo peccata uestra	364

RERVM ET VERBORVM Index.

A		Abrahæ promissio facta	206
Aron flammas peccatorum repressit	254	Abrahæ promissio noua tradita	312
Abel	387	Abrahæ fides	226
Abel quare interfectus	439	Absolon	438
Abraham gubernator suæ familiæ	636	Absolonis pœna	662
Abraham quare periculis exerceatur	387	Absolutio priuata retinenda in ecclesijs, eiusq; utilitas	366
Abrahã precatur pro rege Abimelech	643	Absolutio peccatorũ duplex	310
Abrahã interpres promissionis	285	Absolutionis uoci credendum	376
		In Absolutione petenda tria	
		B	

INDEX.

da tria sunt cogitan	in paradiso	127
da	360	
Absolutionis manda-	Adæ historia quid no-	
tum	bis proponat	256
Absolutionis petendę	Adæ & Heuæ dolores	
mos	711	
Abstinentia Nazaræo	Adæ peccatum	357
rum	Adfigi homines non	
Academici	casu	450
Achab punitur me-	Adhictos à Deo non	
morabili exemplo	abictos	455
670	Adolescentes caueant	
Achilles	à scortatione	196
628	Adoratio Christi	26
Actio specialis Dei	Adraustus	379
23	Adraustus Cræsi filium	
Actio Dei	interfecit	465
62	Adulterium Davidis	
Actio honesta philo-	molem scelerum at	
sophis quid	tulit	704
118	Adulterij pœna	192
Actionis unius multi	Aegisthus	640
fines	Aegypti edocti per Io	
319	seph uerū Dei cul-	
Actualia peccata	tum	263
262	Aemulationis malum	
Adam	649	
588.590	Aequalitatis necessi-	
Adā et Eua quomodo	tas	169
in luctu seruati	Aequales æqualibus	
259	671	
Adam qua consolatio		
ne erigatur		
205		
Adam prospicere non		
potuit scelus Cain		
590		
Adæ ingens luctus		
383		
Adæ datum uerbum		

Aerumnæ

INDEX.

- Aerumnæ in ecclesia,
 legis uox 324
 Aerumnarum causæ
 præcipuæ quæ 440
 Aerumnarum mitiga-
 tio promissa 456
 Aerumnarū uitæ hu-
 ius causa 173
 Aerumnas non casu
 accidere 452
 Aerumnis cur Deus
 nos punit uel ex-
 erceat 453
 Vide Calamitates
 Affectus spirituales
 qui 89
 Affectus hominis du-
 plices in natura 112
 Afflictiones piorum
 713
 Afflictiones piorū ef-
 se sacrificia 331
 Afflictiones doctrinæ
 testimonia 444
 Afflictiones esse testi-
 monia immortalita-
 tis 387
 Afflictionum ecclesiæ
 imago 300
 In Afflictionibus pi-
 os multa discere
 273
 Agar impetrat potum
 filio 482
 Agar uiuificatur mō-
 strato fonte 457
 Agnitionem Dei ex
 uerbo attrahimus
 20
 Agnus paschatos 432
 Agones piorum eccle-
 siæ profunt 713
 Aharonis factū in ui-
 tulo fabricādo 724
 Aharonis lapsus 105.
 588
 Ajax quare furore pu-
 nitus 136
 ἀνάσσει 701, 702
 Alcibiadis Vindex ani-
 mus 467
 Alexander 322, 439.
 615, 628, 639.
 Alexandri Magni su-
 perbia 136
 Alexandri fortitudo,
 donum Dei 245
 Alfonsus 702
 Amor aberrans à le-
 ge Dei, quale ma-
 lum
 B 2

INDEX.

lum	648	re errores Donatista	
Amici fides	385	rum	276
Anabaptistæ	5. 283.	Anathema conuiciorū	
301. 415. 417. 423.		omnium extremū	
588. 618. 620. 634.		701	
635. 636. 637. 651.		Angeli testimoniū ui-	
682. 706. 713.		tæ æternæ dant	427
Anabaptistæ taxantur		Animalis homo q̄s	90
159		Annonæ & frugū cari-	
Anabaptistæ de Chri-		tas unde	66
sto passo	304	Anshelmus	105
Anabaptistæ ministe-		Anshelmus de pecca-	
rium uerbi & ordi-		to originis	98
nationem contem-		Antiochus	379
nunt	796	Antiochena synodus	
Anabaptistæ de eccle-		54	
sia ante nouissimū		Antiochus	629
diem	412	Antonius	438
Anabaptistarum rex		Antonij bellum	80
uxorem grauidam		<i>ἀντιόχεια</i>	21
interfecit	702	Apostoli testes de Chri-	
Anabaptistarum per-		sto exhibitō	4
tinacia	650	Apostoli reprehensi	
Anabaptistas multos		à Christo, quod	
prodigiosos errores		somniarent perpe-	
miscere	303	tuo regnum mun-	
Anabaptistas negare		danum	417
peccatum originis		Apostolos tantum ha-	
308		bere mandatum do-	
Anabaptistas renoua		cendi	415
		Aposto	

INDEX.

Apostolos non habuisse politicam gloriam, quemadmodum prophetae	271	Ariani	135
Antichristi leges perpetuae	154	Arianorū baptismus	279
In Apostolis scintilla fidei	272	Ariana haeresis	42
In Apostolis magna fidei imbecillitas	616	Ariana tempora	364
Appij decemviri scelus	193	Arrogantiae vitium	263
Apum & doctorū in ecclesia simile	710	Assensio infirma	164
Arca foederis, imago ecclesiae	239	Assensus promissionis	232
Arcana Dei neminem penitus perspicere	20	Attali reuelatio	708
Aristoteles de priuatione in materia	436	Atticus	244.397.432
Aristotelis de magistratu definitio	665	Athei	667
Arius	588.648.705	Augustinus	346
Arius quare turbarit ecclesiam	467	Augustinus de libertate Christiana	715
Arij refutatio	34	Augustinus de infantium baptismo	405
Arij doctrinam sequitur Mahometici	5	Augustini dicta de fidei expensa	227
		Augustini interpretatio de peccato originali	96
		Augustus	637.639
		Augustus feliciter regnavit	625
		Augustus Antonium punit	647
		Augusto regnante placidum fuit imperium orbis	640
		B 3	Augu ^a

INDEX.

Augustuli Imp. seculum	640	Baptismus infantium	284
Auxiliū Dei quomodo expectādum	79. 80	Baptismus prima ceremonia	13
Aza rex matrem afficit poena	183	Baptismi assiduus usus	298
B		Baptismi forma, euangelij summa	23
Baal sacrificulī	396	Baptismi doctrina & testimonium tam in docendo, quā in inuocando proponenda	15
Baal cultus defensus ab regibus Israel	364	Baptismi uerborum sententia	24
Baal sacerdotes fodiebāt corpora sua	463	Baptismi uerba euangelij summa	299
Bacchanalia	258	Baptismi ablatio quid	300
Bacchanalia unde	724	Baptismi uanæ significationes	300
Baculi	241	Baptismo quomodo in uita utēdum	298
Baptismus quid	328. 398	De Baptismo mandatum uniuersale	309
Baptismus semel fiat	301	De Baptismo infantium	303
Baptismus cur sacramentum	298	In Baptismo an præscriptū tempus obseruandum	305
Baptismus Iohannis & Apostolorum	302		
Baptismus administratus à malo ministro cur ualeat	279		
Baptismus hæreticorum	279. 280		

Bapti-

INDEX.

Baptista	444.713	Bellorum qui fines esse debeant bonis principibus	644
Baptistæ sententia de uniuerſa gubernatione	625	Bellorum iura ex quo fonte sumenda	183
Basar	198	Beneficiū Christi proprium	210
Basilij loci	49.51.53	Beneficij celebratio	612
Basilij querela de indoctis ministris	393	Beneficia nostro tempore ecclesiæ collata quæ	617
Basilij sententia de fide	228	Beneficia Dei prædicanda	615
Basilij locus de baptismo	24	Beneficiorum Dei capita	356
Bellum iustum	183	Beneficiorum Christi magnitudinem qui intelligant	94
Bellum summus politicae potestatis gradus, eiusq; abusus	156	Beniamin tribus quare ferè delera	158
Bellum non necessarium mouet Iosias	366	Bernardi de fide testimonium	227
Bella unde	588	Bibliorum duplex doctrinae genus	317
Bella debere esse uindictam diuinam	157	Blandina	708
Bella ciuilia Romæ	621	Blasphemia summa	345
Bella legitima rarissime	156	Bonauentura	105.106
Bella ethnicorum ducum	644	onauenturae sententia de	

INDEX.

- tia de peccato origi- Cain maledictus 168
 nis 98 Calamitates mundi
 Bonum propositū 362 quales pœnæ 142
 Boni infiniti contem- Calamitates humanæ
 ptus, infinita quoq; omnes sunt quasi
 pœna dignus 357 uox legis 215
 Bona corporalia qui- Calamitates humanas
 bus dentur 255 comprehendi non
 Bona corporalia, uoca posse 435
 tionum adminicula Calamitates mundi,
 595 conciones pœniten
 In Bonorum corpora tia 337
 lium petitione duo Calamitates saepe pœ-
 obiecta 236 næ certorū delicto
 Bonorum tam corpo- rum 441
 raliū quàm spiri- Calamitates omnes,
 tualium opus esse cōciones esse de ira
 280 Dei 348.349
 De Bonis operibus Calamitatū omnium
 quinq; quæstiones finis 388
 252 Calamitatum uitæ hu
 Brutus 80.713 ius causā 109
 C Calamitatum huma-
 Cæcitas impietatis narum causæ 172
 pœna 284 Calamitatum fontes
 Cædes quiddam con- philosophis igno-
 tra naturam 114 ti 387
 Cæsar 325.448.590. Calamitatibus cur pij
 628 ferè magis obno-
 Cain 438.648 xij quàm impij 439
 Chal-

INDEX.

Chalcedonensis synodus	54	Causæ secundæ efficientes	65 436
Caligo in mente	115	Causam secundã non agere sine prima, quomodo intelligẽdum	85
Caligula 438.624.641		Celsus	649
Caligula diaboli organum	150	Celsus taxatur	657
Cananæi quare delicti	122	Centuriones aliquot Evangelio credidisse	638
Cãdor opponitur malevolentia	155	Ceremonia quãdo rationem sacramenti amittat	324
Castigante ecclesia mitigari castigationem diuinam	394	Ceremonia sabbati quatenus abrogata	142
Castigationis publicæ ritus in ecclesia non improbandus	380	Ceremoniæ diuinitus institutæ, sunt typi Christi	145
Castitas quorum propria	194	Ceremoniæ ueteris testamenti	322
Carnis iustitia, operæ, esus	110.251.682	Ceremoniarũ humanarum magna discrimina	673
Carnis coercendæ officium	396	Ceremoniarum præcipuus finis quis	142
Caroloftadius	636	Ceremoniarum diuersitas	327
Cathari	340.257	Ceremonias retinere	B 5 amissa
Catharina	701		
Catilina	384		
Cato 245.325.465.713			
Cato fecit contra iustitiam	448		
Cato irascitur Deo	455		

INDEX.

- | | | | |
|-------------------------|-----|------------------------|-----|
| amissa doctrina | 238 | Christi regnum spiri- | |
| In Ceremonijs signifi- | | tuale | 412 |
| cationes dulces | 239 | Christi & ministrorū | |
| Cererem quare Siculi | | eius discrimen | 302 |
| colunt | 724 | Christi regnum æter- | |
| Cerinthus | 25 | nū & spirituale | 418 |
| Certitudinis causæ | 1 | Christi compellatio e- | |
| Cham peccatum | 144 | tiam in prophetis & | |
| Cham quare priuatus | | Apostolicis scriptis | |
| | 278 | expressa | 608 |
| Cherubin duo | 416 | Christo debitū hono- | |
| Chiliastæ | 416 | rem papistis detra- | |
| Christiani quatenus | | here | 245 |
| politix alligatæ | 719 | Christo agnito legem | |
| Christiani militare po- | | & inchoari & perfici | 130 |
| terunt sub Roma- | | Christo qualis natura | |
| nis principibus | 155 | humana suscepta | 43 |
| Christus natura Dei fi- | | Christo attributa, quæ | |
| lius | 25 | sunt naturæ diuinæ | |
| Christus sacerdos æter- | | | 35 |
| nus | 207 | Christum sepelire | 229 |
| Christus pro nobis | | Christum crucifixum | |
| maledictū factus | 715 | quiescere uerbo | 40 |
| Christus natura Deus | | de Christo regnate a- | |
| & omnipotens | 608 | lia, alia de patiente | |
| Christus pater æterni- | | dici | 43 |
| tatis | 424 | de Christo inuocando | |
| Christus nõ efficax in | | testimonia | 26 |
| cõtempторibus di- | | In Christo naturæ duæ | |
| scipinæ | 435 | Chry- | |

I N D E X.

- 33
 Chrysofomi dictum
 de confessione 378
 Ciborū discrimina an
 obseruanda 667
 Cicero 254. 448. 713
 Ciceronis & Esaiæ col
 latio 658
 Circumcisio quid 328
 Circumcisio Abrahæ
 perpetuum testimo
 nium 298
 Circumcisio in malis
 cur efficax 279
 Ciuilia uitæ opera om
 nium quò referen
 da 638
 Ciuitas nulla sine ui
 tijs 623
 Claudius 641
 ad Clauium potestati
 pœnas temporales
 nihil pertinere 385
 Cleon apud Aristopha
 nem alterū pedem
 in curia, alterum in
 castris habebat 661
 Clitus ab Alexandro
 interfectus 214
 Cœlibatus monacho
 rum cuiusmodi 196
 Cœlibatus leges 67,
 mandatum, 686
 Cœlibatus nullū meri
 tum 197
 Cœlibatus perniciofa
 lex 706
 Cœna Domini cur in
 stituta 314
 Cœna Domini quo
 modo instituta 314. 315
 Cœna Domini publi
 cę congregationis ner
 uus 288
 Cœna Domini quare
 ueteribus sacrificiū
 dicta 333
 Cœna Domini miseri
 cordiæ per Christum
 promissæ pignus 324
 Cœnæ celebrandæ apo
 stolicis nos cuiusmo
 di 327
 Cœnæ dominicæ plu
 res fines 333
 Cœna dominica pate
 factionis Dei testi
 moniū insigne 314
 Cœna Domini frequē
 tius utendum 316
 Cœnæ dominicę usus
 287, & abusus, 324

I N D E X.

Ante Cœnæ usum cuiusmodi examen habendum	316	Confessio uera	374
In Cœnæ usu pœnitentiæ & timore Dei opus	317	Confessionis Christi signa	270
ad Cœnâ Domini qui admittendi	323	Confessionis ritus uetustissimus	364
In Cœna fides requiritur	318	Confessionis uocabulum uarie capi	367
In Cœna Domini monachorum & sacerdotum error	319	De Confessione Chrysostomi dictum egregium	378
Cochleus	702	Confidere	219
Cognoscendi Dei modus	126	Confirmatio	397
Commodus	641	Cõugiũ quid	630. 629
Communicandi opes alijs	186	Coniugium diuinitus ob duas causas institutum	191
Conciliorum de Spiritu sancto testimonia	54	Coniugiũ diaboli confilio in ecclesia prohibitum	196
Concupiscentia	99	Coniugium quibus mandatum	195
Concupiscentia quid Paulo	161	Coniugium quatenus sacramentum	290
Concupiscentiam damnari	160	Coniugij castitas uera	195
Confessio fidei mandata	709	Cõugiij lex sancita in paradiso	169
Confessio duplex	365	Coniugij utilitas & imago	290
		Cõugiij uita unde	651
		Consci-	

INDEX.

- Conscientia bona** 300
Consciētia mala Deū
 inuocari non posse
 196
Consciētia uerbo Dei
 regenda 250
Conscientiarū pericu-
 la cauenda 378
Conscientiam malam
 & fidem simul con-
 sistere non posse 253
Consciētiae terrores 69
Consequentiae necesi-
 tas 82
Cōsiliū humanum
 quatenus ualeat ad
 rerum euentus 590
Consilia tria finxisse
 quosdam tradi in E-
 uangelio 177
Cōsilijs humanis nō
 discuti pericula 617
Consolatio piorum in
 peccatis 265
Consolationum loci
 450
Constantinus 668
Constantinopolitana
 synodus 54
Constantinus quare
 scuitiam Licinij ar-
 mis represserit 156
Contentiones perni-
 ciosae ex rebus par-
 uis ortae 725
Continentiae manda-
 tum perpetuum 398
Contingentia Deum
 determinare 78
Contingentiam esse
 in actionibus huma-
 nis 77
Contingentiā Vallam
 tollere 86
Concio prima in para-
 diso 337
In Concionibus Chri-
 sti quid contineatur
 4
Concionatores quam
 doctrinam populo
 debeant proponere
 661
Concionatorum mo-
 res uarij 277
Concionatorum infir-
 mitas tegenda 144
Contractus 671
Contractus diuinitus
 instituti 159
 Con-

INDEX.

Contritio	176	pietatis	448
Contritio aliquando fit mors aeterna	353	Cornelij familia	638
Cōtritio necessarium opus	349	Corporis bona à Deo petēda tribus de cau- sis	594
Contritio Iudæ & Pe- tri quid differūt	353	Corporis actiones	248
Contritio quomodo sacrificium	355	Corpori honor haben- dus	695
Contritionis capita	355	Corporalis exercitij usus	696
Contentione non me- reri peccatorum re- missionem	355	De Corporalibus tria esse tradenda	478
Contumacia offendi Deum	662	Corruptio	97
Contumacia hominis aduersus primum præceptum	133	Corybantes	682
Contumacia primorū parentum	437	Crassus	325
Contumeliæ ueri Dei prohibitæ	668	Creatas res à Deo per petuo sustentari	62
Cor	87	Creaturæ omnes qua re conditæ	60
Cor quando se Deo subijciat	309	Creaturæ totius reno- uatio	423
Cordis caligo, peccatū	244	Creationis articulus	61
Coriolanus	465	In Creationis articulo imaginatio praua	62
Coriolanus oblitus		Crederet	219
		Cruciatuſ ultro accer- fiti iam mortificatio- nes	

INDEX.

- nes 396
 In Cruce multa mala
 emendari 445
 Crudele exemplum
 in pueros 385
 Culpam tollere 382
 Cultus Dei fingere
 homines, abomina-
 bile 681
 Cultus Dei uerus 682
 Cultus uerus & ratio-
 nalis 255
 Cultus præcipui, fides
 & inuocatio 257
 Cultus Dei quid 126
 Cultus Dei uerus in
 quibus consistat 128
 Cultus in nouo testa-
 mento tantum spi-
 ritualis 332
 Cultuum discrimina
 non probanda 708
 Curiositas iuuenum
 660
 Cupiditatum incēdia
 unde excitentur 696
 Custos ciuilibus status,
 Deus 634
 Cynica philosophia
 596
 Cyprianus de censurā
 ecclesiastica 392
 Cyprianus de baptis-
 mo infantium 305
 Cyrillus de cœna Do-
 mini 315
 Cyrus felicissimus, etc.
 625
 Cyrus Ionū libidines
 punit 647
 Cyri gubernatio cru-
 delis 626

D

 D Amnare alterū nō
 esse nostrum 108
 Daniel 637. 638. 718
 Daniel, typus doctorū
 in ecclesia 432
 Daniel magistratus re-
 gno Babylonico 155
 Daniel legibus Baby-
 loniorum subiectus
 619
 Danielis monarchiæ
 626
 Danielis concio de pec-
 nitentia 305
 Darius 658, Medus 668
 Dauid 379. 437. 590.
 628. 713

Dauid

INDEX.

- Daud in medijs fluitibus populum gubernauit 147
 Daud propter adulterium longo tempore multas ærumnas sustinuit 384
 Daud errata quare descripta 151
 Daud à Nathan obiurgatus 315
 Daud quare bella gesserit 644
 Daud quãdo conclusus sub peccatũ 454
 Daud pulsus restituitur in regnum 46
 Daud absolutionem audit 376
 Daud rex fœlix in Israel 625
 Daud interfici petit Vriam 487
 Daudis graues lapsus 105.257.264.588.
 Daudis lapsus multorum scelerũ ansa 277
 Daudis peccatũ, 357. exemplũ insigne, 180. 717. resipiscẽtia, 158.
 calamitates, 441
 Daudis in Deo fiducia 478
 Daudis & eremitæ collatio 657
 Daudis expulsio, triste spectaculum 385
 Daudis politia minus tranquilla 626
 Daudis præliantis exemplum 655.656
 Daudi annunciat remissio peccatorũ 362
 Daudem aliquo modo uelle pœnã 465
 Daudem sæpe à diabolo impulsus 605
 Decalogi præceptis impie humanas traditiones præferri 683
 Decalogi præcepta quomodo examinanda 370.376
 Decalogi meditatio saluberrima 122
 Decalogi tabulæ, 121. utilitas, 152. promulgatio, 237.
 Decalogi cum legibus naturæ

INDEX.

naturæ consensus	170	Desperationi quomodo medendū in pi- rum mentibus	267
Decalogi tabulæ in ar- cam collocatæ	239	Determinare Dei	78
Decalogi tabulæ duæ	125	Deus mens æterna	12
Decalogus summa do- ctrinæ omnium uir- tutum	138	Deus quomodo pate- factus	8
Decemuirales tabulas Romæ interijisse	720	Deus æqualis æquali- bus	671
Decij se deuouerunt pro republica	463	Deus liberrimum a- gens	62
Defectus	76	Deus quomodo crea- turis adsit	84
Defectus humanæ na- turæ	102	Deus efficax per mini- sterium uerbi ritè ele- ctum	291
Delictorum certorum ærumnæ certæ	442	Deus non uult quari uagabundis specu- lationibus	9
Demetrius	629	Deus an causâ peccati	72
Demosthenes	448.	Deus moderator na- turæ	63
465.625		Dei definitio 82, actio	62
Demosthenes mulie- riter lamentatur	449	Dei descriptio apud Platonem	471
Desertores	135	Dei essentia & uolun- tas	11
Desertio suorum du- plex	189	Dei potentia nõ discer- enda	
Desperantes	135		
Desperationis malum	340		

INDEX.

nenda à Dei essen	quid	427
tia		
Dei ecclesiastica descri	De Deo reuerēter sen	
ptio	tiendum	72
Dei essentia æterna &	De Deo humanæ co	
una	gitationes quales	
	260.410	
Dei uirtutes quales	De Deo demonstra	
Dei patefactio, benefi	tiones aliquot	67
cio creationis rerum	De Deo notitia homi	
maius	ni naturaliter im	
Dei agnoscēdi modus	pressa	90
128	Diabolus autor pecca	
De Dei præsentia ple	ti	72.438
rurūq; dubitari & à	Diabolus Heuæ læta	
pijs	le uulnus fecit	705
Dei notitia in menti	Diabolus cur nostro	
bis hominum	tempore sæuiat atro	
Deo nos placere	cius	628
Deum libere agere	Diaboli insidiæ	245.
Deum esse impressum	257.588 ad euertē	
humanis mentibus	das politias 151.620,	
7	cōtra Deum 55, con	
Deus essentia intelli	tra ecclesiam	258.
gens	313	
Deum aliter bona, ali	Diaboli proprium	75
ter mala determina	Diaboli insidiæ contra	
re	æternum Deum	55
Deum liberè adesse in	Diaboli insultibus quo	
uocantibus	modo occurrendum	
Apud Deum uersari	254	

Diabo

INDEX.

- Diabolum captiuam
 naturam impellere
 ad uaria flagitia 88
 Diabolum sæpe san-
 ctos euertere 441
 Diabolica notitia 292.
 486
 Dies septimus 142
 Digne manducantes
 qui 318
 Dignitas an uirtuti-
 bus tribuenda 277
 Dignitatem nostram
 excludi 246
 Dilectio 308
 Dilectio Dei quando
 inchoetur 256
 Dilectio sine fide exi-
 stere non potest 302
 Dilectio, defensio, &
 punitio inter se non
 pugnant 183
 Dilectio sine agnitio-
 ne Christi nõ inchoa-
 tur 304
 Disciplina legem non
 impleri 213
 Disciplina coercendi
 homines 213
 Disciplina laus 173,
 necessarius usus,
 110. 434
 Dissimulatio hypochri-
 tarum 429
 Disputationum laby-
 rinthi de Deo 71
 Diuites Euangelici
 188
 Doceri in ecclesia res
 certas 3
 Doctori cuiq; dat De-
 us suum curriculum
 485
 Doctores quomodo
 Deus erigat 181
 Doctores impij 705
 Doctrina ecclesiæ 2
 Doctrina uera necessa-
 riò proponenda
 706
 Doctrina & fides sin-
 gulorum exploran-
 da 323
 Doctrinæ dæmoniorũ
 cur ritus 682
 Doctrinæ falsæ origo 6
 Doctrinæ insidiæ ca-
 uendæ 244. 680
 Doctrinæ genera duo
 in ecclesia 337
 C 2 Doctri

INDEX.

Doctrinæ legis sum - ma	255	Eccius	
Dolori repugnandum	460	Ecclesia quid	239
Dominiorum distin - ctio	159	Ecclesia uera quæ	239
Dominâdi uerbo non significari otium	286	408, ubi	262.265
Domitianus	641	Ecclesia non ideo re - cta à Deo, quia in	
Donatistæ 144, eorū error,	274	mūdo oppressa	270
Donum per gratiam	232	Ecclesiæ insidiatus dis - solus ab initio mun - di	370
Donum interpretatio nis	384	Ecclesia uisibilis	69
Dona Deum augere in his qui recte utun - tur	92	quomodo,	263
Donorum gradus	368	Ecclesia de fonte erro - rum cōmonescien - da	721
Dubitatio 164, de Deo, 3 de Dei proui dentia	7	Ecclesia armis nō con - stituenda	411
Dubitatiōnis peccatū	224.243	Ecclesia post resurre - ctionem demū glori - ficanda	421
Dubitatiōni mentis re pugnandum	237	Ecclesia electorum in hac uisibili ecclesia collocata	407
E		Ecclesiæ typus Dani - el	589
E Bion	25	Ecclesia semper eadē	316.342
Ebrietatis incōmo - da	696	Ecclesiæ nulla sedes perpetua in hoc mun - do	399
		Ecclesia	

INDEX.

- Ecclesia cur cruci subie-
 cta 132. 175. 271. 279.
 383. 386. 413. 459.
 646.
 Ecclesia electorū ubi
 470
 Ecclesia quatenus iu-
 sta 591
 Ecclesia plerunq; exi-
 guu cœtus 285
 Ecclesia qualis iam in-
 de ab initio 263
 Ecclesia Dei semper
 arumnosa 263
 Ecclesia Eliæ tempore
 qualis 260
 Ecclesia ad Euangeliū
 alligata 265
 Ecclesia regnum Chri-
 sti 307
 Ecclesia sæpe seruitute
 oppressa 264
 Ecclesiæ hospitia poli-
 tia 656
 Ecclesiæ mentio in de-
 scriptione Dei 14
 Ecclesiæ doctrina quo
 modo tradenda 1
 Ecclesiæ consensus 231
 Ecclesiæ testimonia
 quatenus recipien-
 da 283
 Ecclesiæ ministerium
 spirituale 324
 Ecclesiæ signa perperā
 tradita 281
 Ecclesiæ signa 280, or-
 do 368. 674
 ab Ecclesiæ ministris
 quatenus dissiden-
 dum 278
 Ecclesiæ singularis fa-
 pientia 271
 Ecclesiæ caput Chri-
 stus 366
 Ecclesiæ definitio ex
 humana sapientia
 361
 Ecclesiæ gradus nō al-
 ligati titulis 368, nec
 successioni ordina-
 riæ 281
 Ecclesiæ publicorum
 cōgressuum utilitas
 732
 Ecclesiæ magna pars
 tyrānicis legibus op-
 pressa 677
 Ecclesiæ ornatus tem-
 pore Esaia 366
 C 3 Ecclesiæ

INDEX.

- Ecclesiæ ueræ in ueteri
 testamento relictæ
 doctrina cuiusmodi
 321
 Ecclesiæ ueræ qualis
 inuocatio 238
 Ecclesiæ barbaries 222
 Ecclesiæ gloria singu-
 laris quæ 270
 Ecclesiæ doctrina hu-
 manis opinionibus
 obscurata 211
 Ecclesiæ sapientia pro-
 pria 440
 Ecclesiæ uniuersæ per-
 petuus consensus 361
 Ecclesiæ glorificatio ex-
 pectanda 592 Christo
 commendanda
 417
 Ecclesiæ prodesse 321
 Ecclesiam mirandis
 Dei operibus regi
 ac seruari 81
 Extra Ecclesiam nulla
 salus 306
 Ecclesiam ueram non
 occupare imperia
 413
 Ecclesiam non negligi
 à Christo 267
 Ecclesiam qualem sa-
 pientia humana quæ-
 rat 260
 Propter Ecclesiam di-
 spersam multos of-
 fendi 228
 Ecclesiã esse iudicem
 in dogmatibus 669
 Ecclesiam electorum
 semper mansuram,
 400
 Ecclesiam non huma-
 nis consilijs & præ-
 fidijs colligi & de-
 fendi 446
 Ecclesiam præcipue at-
 tigi 591
 Ecclesiã nõ esse in hæ-
 terra sine peccatis
 592
 In Ecclesia semper flã-
 ma ueræ doctrinæ
 excitata 281
 De Ecclesia mäsura,
 promissio qualis
 229.596
 In Ecclesia esse etiam
 malos 275, & domi-
 nari in ea 280
 De Ecclesia politica
 quorundam imagi-
 natione

INDEX.

nationes	267	400. 401	
In Ecclesia ordinē turbare, est deficere à Deo	269	De Electionis effectu consolatio	411
In Ecclesia promiscuē futuros malos & bonos usque ad finem mundi	416	Electionis testimonia	400
Cum Ecclesia loqui, pium	41	de Electione qui diiudicare possunt	401
In Ecclesia hypocritarum offensiones semper cuiusmodi	699	de Electione disputatio quando seponenda	256 & 257
Ecclesias etiam magistratibus curæ esse debere	668	Electi in uocatorū cœtu	406
Ecclesijs hospitia Deus præbet	234	Electi omnes eodē spiritu sanctificari	56
Ecclesiastica gubernatio à Deo instituta	651	Electi & uocati qui,	404. & ubi, 732
Ecclesiasticæ correctionis & ciuilis discrimen	343	Electos etiam amittere gratiam	256
Ecclesiasticæ functiones prædæ potentibus	293	Eleemosyna 269, quomodo danda	280
Electionis causa in misericordia	404	Eleemosynæ liberant à peccato	389
De Electionis causa semper disputatum		Elias uiuus translatus	
		Eliæ exemplū	281 (427)
		Eliæ preces pluuiā reddiderint	66
		Eliam paut uidua	186
		Elohe	598
		Emanuel	259
		Enoch uiuus translatus	427
		C 4	Ephe-

INDEX.

Ephesinum cōcilium	330		
54		481	118
Epicurus	245	Ethnici quomodo iu-	
Epicurei	132.667	sti	108
Epicurei à reipublicæ		Ethnicorum errores	5
administratōne ab-		Ethnicorum affectata	
stinendum cur pu-		ignorantia	258
tent	448	Eua se auertit à uoce	
Epicureis omnia casu		Dei	72
uolui	62	Euæ uoluntas imme-	
Epicureorum sermo-		diat a causæ sui actus	
nes	141	85	
ab Epicureis furori-		Euangeliū 199.282.318	
bus quomodo libe-		Euangelium ut gratui-	
randus animus	451	ta promissio, ita etiã	
Episcoporū falsa arma		uniuersalis	209
281		Euangelium cur è si-	
Epistolę ad Romanos		nu patris prolatum	
præcipui loci	94	249	
Eremitarum uita im-		Euangelium potentia	
probanda	657	Dei	228
Errores in ecclesia nō		Euangelium quidam	
dissimulandi	686	falso calumniantur	
Esau	438	649	
Esaias	386.444	Euangelium prophe-	
Esaiæ & Ciceronis col-		tarum interpretatio	
latio	658	417	
Esaias cur serra scissus		Euangelium quæ ma-	
439		gistratibus præcipiat	
Esaias legis interpres		669	
			Euan-

INDEX.

- Euāgelium paulatim
 clarius reuelatū 205
 Euangelium statim re
 uelatū post lapsum
 Adam 203
 Euangelium unum &
 idem omnibus tem-
 poribus 203
 Euangelium non con-
 stituere certam cor-
 poralem politiā 659
 per Euāgelium Deum
 esse efficacem 407
 Euangelium & publi-
 ce multis, & priua-
 tim singulis applicā
 dum 377
 Euangelium signum
 monstrans, qui exi-
 tus sit ecclesiæ 280
 Euangeliū ministeriū
 spiritus 415
 Euangelium postula-
 re bonam conscien-
 tiam 252
 Euangelium scandalis
 dedecorantes, qua
 pœna digni 710
 Euangelij doctrina ne-
 cessaria 691
 Euangelij iustitia quæ
 619
 Euangelij beneficia
 propria quæ 203
 Euāgelij ministerium
 quare ordinatū 412
 Euangelij uim & sacra-
 mentorum non pen-
 dere ex dignitate mi-
 nistri 275
 Euāgelij ministerium
 publicum 312
 Euangelij ignorantia
 & neglectus, pecca-
 tum mortale 258
 Cum Euangelij hosti-
 bus colludere 709
 Euangelij doctor qui,
 & cuiusmodi magi-
 stratus ecclesiasticus
 667
 Euāgelij promissa cur-
 non omnes conse-
 quantur 210
 Euangelij cōuersio in
 pharisaismum 211
 Euangelij & legis dis-
 crimen 199
 Euangelij uox uetus
 198
 Euangelij promissio
 qualis 200. 477
 C 5 In Euan-

INDEX.

In Euangelij promissione acquiescendū	392	Excommunicatio quæ liter olim habita	380
434		Excommunicandi politos, cuiusmodi ritus apud Græcos	379
Euangelij Ioannis scopus	25	Exempla horribilia in Tragedis quid nos admoneant	435
Euangelij doctoribus quatenus obediendum	731	Exercitia pia eligere cuius liberum	694
Euāgelij ministerium præcipuum Dei beneficium	731	Ezechias, eius preces	483, politica foelix
Euāgelij summa	23 & 24. 402, neglectus	135	
definitio	202, obliuio	368	
Euangelicæ doctrinæ methodus	94		
Eucharistiæ nomē	333	F	
Eucharistica sacrificia quæ	331	A Facultatibus discere Euāgelium non præcipit	185
Euentus rerum placidi à solo Deo petendi	485	Fame moritur stuprator	194
Euentuum ratio	82	Fanaticorum errores uarij	618
Euripides de Cyclopi- bus	633	Fatum	71
Eutyches	54	De Fato Stoicorum	83
Excommunicatio	416	Festorum dierum ordo	690
Excommunicatio ue- ta, graue fulmen		Fidelitas	108, 221, 3, 218, 291, 308

INDEX.

- | | | | |
|------------------------|---------|-------------------------|----------|
| 291.308 | | debeat | 353 |
| Fides inter precādum | | Fidei definitio | 220.231 |
| excitanda | 599 | uocabulum | 222, in- |
| Fides pro fiducia | 219. | strumenta | 336 |
| 225 | | Fidei retinendæ neces- | |
| Fides specialis | 481 | sitas | 275 |
| Fides & inuocatio in | | Fidei natura quomo- | |
| arumnis adhiben- | | do expressa Paulo | |
| da | 458 | 224 | |
| Fides quomodo diffe- | | Fidei consolatio sum- | |
| rat à cæteris uirtuti- | | ma | 254 |
| bus | 296 | Fidem tripliciter exer- | |
| Fides & spes differunt | | ceri | 280 |
| 309 | | Fidem confirmari re- | |
| Fides formata | 243 | ctè cœnæ usu | 318 |
| Fides crescat in inuo- | | Fidem semper placere | |
| catione quotidiana | | in petitione | 226 |
| 405 | | Fidem in usu sacra- | |
| Fides cur præluere in | | mentorum requiri | |
| omni precatione de- | | 287 | |
| beat | 487.603 | Fidem dupliciter exer- | |
| Fides & timor Dei, ceu | | ceri in operibus | 268 |
| uita aliorum operū | | Fidē cogitatione ali & | |
| 145 | | accendi | 321 |
| Fides quomodo in re- | | Fidem non niti eccle- | |
| natis excutiatur, | | siaē autoritate | 283 |
| 287 | | Fidem excuti per mala | |
| Fides præcipuū opus | | opera | 275 |
| bonum | 254 | Fidē assentiri promif- | |
| Fides cuiusmodi esse | | sione Dei | 299 |
| | | Fidem | |

INDEX.

- | | |
|--|--|
| Fidem luctari in mente cum dubitatione
306 | Filij Dei inter nos conuersatio non contemnenda 599 |
| Fidē in ocio extinguī
459 | Filij Dei officia quæ
259 |
| Per Fidem consolatio
353 | Filij proprium à reliquis personis 23 |
| Fide iustificamur quid
218. 229. 292. 240 | Filij diuersæ in scripturis appellationes 20 |
| De Fide non eadem Paulum & Iacobū loqui 292 | Flagelliferi 618 |
| Fide nos seruari, an per synecdochen capiendum 243 | De Fœtu & uerbo comparatio 56 |
| Fide non historiæ tantum notitiam significari 246 | Fomes peccati 96 |
| Fide habere remissionem 218 | Formulæ peccati 106 |
| De Fide accipiente remissionem peccatorum, libri monachorum muti 353 | Fortunæ suæ unumquemq; fabrum esse 589 |
| Ex Fide consolatio ingens 228 | Fortunæ inconstantia 258. 621 |
| Fiducia quid 220. 221 | Franciscani Colonienfis de cōcupiscentia error 106 |
| Fiducia iniusta 458 | Furtum non facies, etiam ad magistratū pertinere 670 |
| Fiducia sui 136 & 137 | Furis supplicium iam iam subituri consolatio 463 |
| Filij iræ 256 | Fures a capitali supplicio adficiendi 659 |
| | Futurū |

INDEX.

- Futurum semper incertum 642
- G
- Galatarum ecclesia lapsa 342
- Germanorum ignavia 626
- Gerson de traditionibus ecclesiasticis 689
- Gladiū accipere quid 185
- Gladio quare magister armatus 666
- Glorificationē in hac uita non contingere 413
- Gothi 625
- Gratia proprie quid 232. 234. 294
- Gratiam amittere 248
- De Gratia Monachorum sententia 232
- Gratiæ promissio uniuersalis 402
- Gratiarū actio in cœna Domini 320
- Gratiarū actionis quotidianæ forma 612
- Gratis particula in definitione gratiæ 235
- Gratis particulam quatuor ob causas retineri ac defendi necesse 236
- Gratis particulam sæpe inculcari à Paulo 201
- Gratitudo Deo gratū munus 614
- Gratitudinem uere à Deo requiri 612
- De Gratitudine commonefactio 610
- Gregorius primus 685
- Gregorius Neocæsariensis 30. 283
- Gubernatio opus Dei 638
- Gubernatores salutare à Deo excitari, inuariq. omnes 624
- Gubernatores politici apud primos patres 636
- Gubernatores quatenus tolerandi 158
- Gubernatorum uitia quatenus toleranda 277
- Gubernatoribus honor

INDEX.

- nor tribuendus 152
- H
- H**eretici 134
- Hanna impetrat
precazione fecundi-
tatem 483
- Hannibal 628
- Helluo filius in lege
punitus 660
- Hermogenis fabula
de Simia 661
- Herodes 640
- Heroici uiri apud Eth-
nicos 638, misi qua-
re 70
- Heroicos uiros plerun-
que tristissimis cali-
bus opprimi 136, 461,
713
- Heroes uiri, cur olim
ciuitatibus præfecti
639
- Heroum inuocatio e-
thnica 610
- Hierarchicus ordo 269
- Historiæ notitiã etiam
fiducia misericordiæ
complecti 219
- Historiæ notitiã pacem
ne magis afferat, an
pauores 228
- Homo quare condi-
tus 6
- Hominis optimum o-
pus 6 & 7
- Hominis summa cura
quæ 7
- Homini ordinis iusti-
tia impressa 632
- Homines summi lapsi
588
- Hominum stupor 583
- Homicidas raro effuge
re pœnas 640
- Homicidij lex 318, 630
pœna, 109
- Honoris uocabulũ 663
- Honorem tria comple-
cti 148
- Honestorũ & turpium
discrimen unde or-
tum 166
- Hostia ipsa peccatum
& piaculum 330
- Hugonis dictum de
peccato originis 106
- Humanarũ rerum in-
constantia 79
- Hypocritæ 135, semper
in ecclesia 416
- Hypoci-

INDEX.

Hypocritarum philau- tia	261	Iehoua	17.598
Hypocritarū societas uitanda	702	Ieiuniū hypocriticū	679
<i>18.226</i>	18.226	Ieremias	386. 444. 713
I		Ieremiæ tempora	266,
Iacobi uisio	596. cala- mitas 439, confes- sio, 616	interitus	439
Iacob ab Esau defendi tur	483	Inter Ieremiam & Ci- ceronem discrimen	254
Idea	29	Ignauia humana taxa- tur	256
Idiomatum communi- catio	41	Ignorantiæ uitiū eiusdem affectatio	242. 258
Idololatria errorū om- nium fons	724	Imago filius	21
Idololatria, sanctorū cultus & statuarum	134	ad Imaginē Dei crea- tus homo, quomodo intelligendū	165. 168
Idola in Ecclesiam in- uecta	325	Impatientia	137
Idola à quibus deleta	668	Imperia nulla perpe- tua	398. 622
Idolorū excusatio non admittenda	728	Imperia quomodo sta- biliuntur	148
Idolorum semper ple- num fuisse mundū	134	Imperia rapere Apосто- lorum non esse	415
Idolorum cultus plu- uiam retinuit	66	Imperia puniri pro- pter ministerij negle- ctum	293
		Imperia iam inde ab i- nitio in deterius con- uerſa	626
		Imperia	

INDEX.

- | | |
|---|--|
| Imperia muniuntur uo
ce Euangelij 650 | Infantes, magna eccle
siae pars 206 |
| Imperiorum confusio
& asperitas unde
154 | Infantes necessario ec
clesiae inferendos per
baptismum 307 |
| Imperiorum immutatio
nes & ruinae unde
625, 652 | Infantium baptismus
primae ecclesiae testi
monij comprobata
tus 205 |
| In Imperijs obseruan
dum rerum discrimen 154 | Infantibus per baptis
mum spiritum san
ctum dari 210 |
| In Imperijs Dei praesentia 640 | Infirmitas humani ge
neris post lapsum co
secuta 257 |
| Imperijs suo quemq
loco subijci 619 | Infirmitas nostra in
precatione cogitan
da 487 |
| Impietatis poena, caeci
tas 284 | Infirmas humana
246 |
| Impij cur doctrina ue
ra offendantur 698 | Infirmi in fide 707 |
| Indigne maleducare 316 | Ingratitudo hominum
erga Dei beneficia
611, detestabilis 614 |
| Indignationi resisten
dum 460 | Inimicitiae aduersus
Deum 161 |
| Indurare 74, phrasis
Hebraica 410 | Iniuriarum condona
tio 289 |
| Incestos comitari peccas
nas 640 | Innocentius papa 685 |
| Inclinatio praua 160 | Interpretatio scripturae
noti |
| Infantes obnoxij pec
cato originis 283,
304 | |

INDEX.

- non alligāda ad po-
testatem ordinariā
285
- Interpretationis donū
284
- de Interpretationis po-
testate 281
- Interpretationes scri-
pturæ diuinæ non
contemnendæ 6
- Inuocare Deū qui pos-
sunt 197
- Inuocatio uera 259,
quæ Deo placeat, 58
- Inuocatio nominis
Dei, magna res 307
- Inuocatio ecclesiæ ue-
ra cuiusmodi 128
- Inuocatio solius Eccle-
siæ cultus 231
- Inuocatio nulla uera,
nisi cognita doctri-
na de fide 316
- Inuocatio præcipuus ec-
clesiæ murus 468
- Inuocationis ueræ à
falsa discrimen 10
- Inuocationis præcepta
773, exercitia 717
- Inuocationis ecclesiæ
& ethnicæ discrimē
238.469
- Inuocationem diabo-
lum interturbare 306
- De Inuocatione loci
472
- De Inuocatione in pe-
riculis testimonia 459
- In Inuocatione omni
fides duo initio sta-
tuat 260
- Sine Inuocatione Dei
nulla dies abeat 691
- Ioab pœna 662
- Ioab interficit Abner
647
- Ioachimi Camerarij car-
men de Iosaphat 485
- Ioannes Baptista 386
- Ioannis Euangelij ex-
plicatio 27
- Iob 386
- Ionæ historia 388
- Ionathas 713, eius inte-
ritus 236
- Ionathas non frustra
precatur 482
- Ionathæ fides erga Da-
uidem 286
- Iosaphat 483.626
- D Iosa-

INDEX.

- | | | | |
|--|--------------------|---|------------------|
| Iosaphat peccata | 151 | more perniciosior | |
| Ioseph | 638.713.716 | 648 | |
| Ioseph regnum Aegyptium nouis legibus constituit | 636.637 | Iulij & Dauidis collatio | 698 |
| Ioseph quomodo se in Aegypto gesserit | 619 | Iridis causa | 2 |
| Ioseph ex carcere liberatus | 461 | Irenæi locus | 32.40.46.283.634 |
| Ioseph castitas | 194.286.397 | Isocratis locus | 643 |
| Iosias | 246.384 | Iudas | 345 |
| Iosiaë bellum non necessarium | 262 | Iudæ peccatū cubauit | 255 |
| Iosias collapsum regnū post Manassē restituit | 664 | Iudæi 134, quare sæpe dispersi | 638 |
| Iouis statua qualis in Creta | 470 | Iudæorum cultus | 332 |
| Ira Dei aduersus peccata eiusdem signa | 44.124.174.338.317 | Iudæorum error de regno mundi | 417 |
| Iraë Dei agnitio | 348 | Iudaicæ politicæ finis | 719 |
| Iraë Dei magnitudinē uerbis describi non posse | 244 | Iudicialia legis | 321 |
| Iraë Dei aduersus peccata signa | 317 | Iudiciū Dei aduersus peccata, idem omnibus temporibus | 234 |
| Iraë filij | 100 | Iudicium naturale | 169 |
| Iracundia uindictæ a- | | Iudicij & ministerij Euangelij discrimen | 375 |
| | | Iudicij uniuersalis exempla | 426 |
| | | Iudith sacerdotem reprehendit | 485 |
| | | Iulianus | |

INDEX.

Iulianus	649	roris	177
Iulij uictoria	455	Iustitiæ ciuilibus uiolato	
Iustinus	346	res in hac uita regu-	
Iuratio	130 & 140	lariter puniri	641
Ius gentium	169, diui-	Iustitiæ intellectus di-	
num	165	uinitus infitus ho-	
Iura naturæ ac politiæ		minibus	168
Euangelio non abo-		Iustitiæ gratuita impu-	
leri	182	tatio	715
Iusiurandum Atheniẽ		Iustitia quædã carnis	88
fium	166	Iustitiæ politiæ Deus	
Iusiurandũ quantum		custos	384
uinculum	140	Iustitiã ciuilem Deum	
Iustificatio quid	203.	in mundo tueri	641
216		Iustitiã bonæ consciẽ-	
Iustificare	216	tiæ esse in reconcilia-	
De Iustificatione ad-		tis	283
uersariorum argu-		ad Iustitiam colendam	
menta	290	quid nos inuitet,	70
de Iustificatione mo-		Iusto lex nõ posita	723
nachorum error un-		Iustis bona esse quate-	
de	289	nus conueniat	591
Iustificati operibus aut		Iuuari nos uerè à Deo	
fide quid	217	615	
Iustificari	301	L	
Iustitia piorum qualis		L Aconica lex	174
304		Lampfaci idolum	
Iustitia uniuersalis	138	702	
Iustitiæ fidei inscitiam		Lapsi non contra con-	
multos peperisse er-		scientiam	259
		D 2	Lapsi

INDEX.

Lapsi reuocati exem- plum	341	da ijs qui Deo sunt placituri	130
Lapsi ne iterent cere- moniam	201	Lex pædagogus in Christum	93.110
Latro in cruce factus apostolus	272	Lex possibilis per gra- tiam	94
Latronis alterius ima- go cuiusmodi	273	Lex naturæ quæ	165
Latronis historia decla- ratur	271 & 272	Lex cur promulgata	319.320
In Latrone conuersio inchoata	271	Lex quatenus inutilis patribus	323
Laurētius 717.718, eius- dem precatio	482	Lex cur proposita	175
Lex diuina	117.118. 174.199.318.351.	Lex naturæ 120, diui- na & humana, eod.	
Lex omnium ætatum ac gentium moralis una	204	Lex renatis cur propo- nenda	176
Lex quatenus abroga- ta	722	Lex Dei quid à nobis requirat	87.89
Lex quomodo à Chri- sto non soluta, sed impleta	721	Lex nō negligēda	351
Lex moralis non mu- tabilis	720	Lex quomodo spiri- tualis dicta Paulo	433
Lex Dei quæ præcipue requirat 119, quæ in se contineat	117	Legis & Euāgelij dis- crimen	199.239
Lex quatenus præstan-		Legis diuinæ promul- gatio 120, autoritas	174
		Legis disciplina qua- tuor de causis neces- saria	172
			Legis

INDEX.

- Legis triplex usus 172
 Legis Mosaicæ diuisio
 121
 Legis notitia homini
 indita 70
 Legis abrogatio quo-
 modo intelligenda
 720
 Legis obligatio à Chri-
 sto persoluta 721
 Legis ministerium 145
 phrasis 313
 Legi Dei satisfacere ho-
 mines non posse 89.
 122
 Legem semper accusa-
 re et damnare 129.162
 etiam interiora deli-
 cta 351
 Lege Dei perfectã obe-
 dentiã requiri 123.178
 à Lege liberati 176
 De Lege traditiones
 monachorum 119
 de Lege quatuor cogi-
 tanda 123
 Leges eadem ab initio
 mundi traditæ, & re-
 petitæ postea 630
 Leges ethnicæ duabus
 in rebus negligẽtio-
 res 243
 Legũ infinita utilitas
 170
 Legũ imitationes qua-
 tenus licitæ 677
 Legum capitalium ra-
 tio 660
 Legum diuisio 120
 Leuiticæ tribui cuius-
 modi datum præce-
 ptum 189
 Leuiticæ ceremoniæ
 238, cur abrogatæ, 332
 Liber certus ecclesię tra-
 ditus, ingens Dei be-
 neficium 317
 Librorum sacrorũ or-
 do 3
 Liberum arbitriũ quid
 87
 Liberalitatis præceptũ
 187
 Libertas fons contin-
 gentiæ 77
 Libertas electionis hu-
 manæ 80
 Libertas cuiusmodi, na-
 turæ humanæ relicta
 Libertas Christiana (77
 D 3 qua

INDEX.

- | | |
|-------------------------|----------------------------|
| quæ 711.712.718 | Luxuriæ propositum |
| Libertas ecclesiæ in me | 696 & 697 |
| dijs calamitatibus | Luxus uitium 397 |
| 716 | M |
| Libertatis doctrinæ ab | M Acabei preces 483 |
| usus 675 | Magistratus cur or |
| Libertatis Euangelicæ | do dictus 632 |
| gradus 714 | Magistratus officium |
| Libertatis exemplum | 153.665.667 |
| seruandum 687 | Magistratus custos di- |
| Inter Libertatem poli- | sciplinæ 622, legum |
| ticam & Christianã | 666 |
| discrimen 718 | Magistratus pij cum |
| Libertatem ueram in | prophano collatio |
| hac uita inchoari 713 | 658 |
| Litera quid 428 | Magistratus politicus |
| Libidinis uagæ pœna | a Deo institutus 636 |
| 192.195.625.630 | & qui 666 |
| Libidines quantũ exi- | Magistratus honore |
| tium attulerint 158 | adficiendi ex Dei præ |
| 267 & 21, pro persona | cepto 645.663 |
| 29.31 | Magistratus uitia ali- |
| Longobardi commen- | quando tegenda, uel |
| taria 11 | sananda 151.153 |
| Lumen quid philoso- | Magistratus legitimi |
| phis 163 | præceptis non obe- |
| Lumen diuinũ in men- | dire, peccatum mor |
| tibus excitandũ 164 | tale 662 |
| Luxuriare animos re- | Magistratus ecclesiæ |
| bus secundis 249 | membra 635, uicarij |
| | Dei |

INDEX:

Dei 668	cessitas 274
Magistratus quomodo punire debeat 179	Mandata hominū, doctrinæ dæmoniorū 681
pro Magistratu orandum 643	Mandata Dei immutabilia 477
Magistratum murus fortissimus 663	Manducatio corporis Christi quid nobis profit 315
Magistratuum piorum exempla 636	Manichæus 55
Magorum superstitiones 134	Manichæi 5. 93. 135. 618. 620. 651. 682. 705
Mahometricus & Turcarum furor 258. 705	Manichæorum baptis- mus 279
Mahometici errores unde 5	Manus Dei potens 460
Mahometi regnum & lex cuiusmodi 154	Manuum impositio 294
Mahometistæ 134	Marcellus 628
Maledictum 113	Marcion 5. 55. 618. 620
Malum 76	Marix tempore qualis ecclesia 259
Malorum fontes 438.	Marius 322. 590
Mali causa 71 (590)	Martem quare Romani colunt 724
Malos opprimi uarijs cladibus 162	Materiale peccatū 106
Manasses 346. 379	Mauricij peccata 386, eiusdē ærumnæ 455, interitus 385
Manasse lapsus 257, abductus in exilium 442, facta pœnitentia, dimissus 461	Mediator unus 135
Mandati & debiti necessitas	Medicinæ donum 297

INDEX.

- | | |
|--|--|
| <p>Meletius lapsis ueniã
nullam cõcessit 340</p> | <p>Ministerium uerbi de-
leri funditus nõ pos-
se 293</p> |
| <p>Meletius refuratus à Pe-
tro Alexandrino 367</p> | <p>Ministerium non fieri
irritum, etiamsi mi-
nister sit malus 275</p> |
| <p>Mendicitas in ualen-
ribus & ociosis, fur-
ti species 185</p> | <p>Ministerium peccati re-
mittendi in ecclesia
308</p> |
| <p>Mens 87</p> | <p>Ministerium Euange-
lij & officia magistra-
tuum discerni 185</p> |
| <p>Mentes humanæ, tene-
bræ 8</p> | <p>Ministerium uerbi re-
uerenter colendum
238</p> |
| <p>Mercatores de contra-
ctibus interrogandi
à pastore 367</p> | <p>Ministerij publici con-
seruatio 143</p> |
| <p>Mercedis uocabulũ 312</p> | <p>Ministerij præcipua
pars doctrina uerbi
279</p> |
| <p>Meritum de condigno
312</p> | <p>Ministri mali doctrina
274</p> |
| <p>Ex Meriti uocabulo
multæ disputationes
ortæ 312</p> | <p>Ministorum ecclesiæ
uitia an dissimulan-
da 277</p> |
| <p>De Merito Bernardi
uox 312</p> | <p>Ministorũ electio 292</p> |
| <p>Mesiæ appellatio 375</p> | <p>Miseriæ humanæ à po-
litico ordine discer-
nendæ 626</p> |
| <p>Munera 233</p> | <p>Miseriarum humanarum</p> |
| <p>Methodi ratio 1</p> | |
| <p>Miles Christianus quid
à prophano differat
658</p> | |
| <p>Militis pij finis 682</p> | |
| <p>Militare Christianis cū
Turcis non licere 155</p> | |

INDEX.

- rum præcipua cau-
sa 466
- Misericordia Dei qui-
bus rebus expenden-
da 338
- Missarum cumulatio
unde 333.686
- Misis non mereri pec-
catorum remissio-
nem 226
- Mæror Christi 44
- Monachorum ceremo-
niæ 145, scripta 115, ex-
ercitia 697
- Monachorum errores
in causâ iustificatio-
nis 212
- Monachorum pauper-
tas hypocritica 189
- Monachos ueras signi-
ficationes uocabulo-
rum obruisse 222
- Monachos temere san-
ctorum peccata ex-
cusare 263
- Monachos suis satisfa-
ctionibus legem &
Euangelium obscu-
rasse 390
- Monastici ocij Epicu-
reismus 645
- Monarchiæ quatuor
orbem rexerunt 623
- Monasteriensium fu-
ror 181.276.304.346.
588
- Monetarius 658
- Moralis legis abroga-
tio quæ 722
- Morales leges æternæ
quæ 121
- Morum infirmitates in
cõcionatoribus 277
- Morbi nobis innati ex
tenuatio 115
- Morbi hærentes quo-
modo superandi, 250
- Morbi reliquiæ in rena-
tis 116
- De Morbis & miserijs
ecclesiæ simile 447
- Mortalia peccata qua-
tenus 111
- Mortalia peccata in nõ
renatis 244
- Mortificare spiritũ a-
ctiones carnis quid
285
- Mortificatio quid Pau-
lo 397.692
- D 5 Morti-

INDEX

Mortificatio carnis ue	tum	204	
ra quaë	395	N	
Mors aeterna	382	Nabal	135
Mors abolenda	424	Naboth	670
Mortis horror in Chri		Nabuchodonosor	346
sto an uitiosus	45	384.638.668, eius su	
Mortis et calamitatum		perbia	261
principalis causa que		Nabuchodonosor ca-	
437		stigatus se emendat,	
Mortuorũ cultus	728	136	
Mortuorũ resurrectio		Nahaman Syrus	638
419		Nasci in peccato	101
Mosaica poliri a curabo		non Nasci an optimũ	
lita	659.717	449	
Mosaicæ legis æmula-		Nathan propheta Da-	
tio ridicula	684	uid admonet	717
Moses lapsus	105	Naturæ impressa uesti	
Moses erat pro exerci-		gia Dei	6
ti	483	Naturæ duæ in Chri-	
Moses ad petram lan-		sto	31.33
guefactus	264	Naturæ deprauatio an	
Motus animi unde	91	peccatum	264
Mundi pœnæ	293, se-	Naturæ lex prima,	166
n ecta	652	Naturæ peculiare affe	
Mundi opificium qui		ctus cuiusmodi	112
utiliter inspiciant	67	Naturæ corruptio in	
Mundi mores corru-		homine	89
ptissimi	146	Naturæ rerum Deum	
Mustela	660.661	adesse	63
Mysterium abscondi-		Naturam humanam	
		Deum	

INDEX.

- Deum sustentare 78
 Naturam diuinam nō
 mori, obiectio 39
 in Natura præcipua
 partes ordinatæ, 67
 Nazanzenus reprehēditur 649
 Nazaræorum abstinentia 680
 Necessitas duplex 82
 Negligentiæ uitii 397
 Negociorum fuosæ elusiones 160
 Nero 75. 150. 345. 384. 387. 438. 624. 641. 664
 Neronem odit Paulus 624
 Nestorius 54
 Nicena synodus 54
 Nicodemi propositū 253
 Nihilum bifariam dici 75
 Niniuitarū preces 483
 Noe sacrificium 274
 Nomen quid 601
 Nominis Dei abusus 139. 401
 Notitia 164
 Notitiæ naturales 68.
- 258
- Nouatiani 340. 343
 O
- Obediendū Deo magis quā hominibus 665
 Obediētia interior 252
 quomodo inchoanda 256
 Obediētia legitima erga magistratus 153
 Obedientia noua inchoanda 362
 Obediētia perfecta 129
 Obedientiæ cuiusmodi coniuncta bona opera 132
 Obediētiā integram requiri à Deo 131. 171
 Oblationes priuatæ 327
 Occam de peccato originis 106
 Occidere 195
 O cū uitium 397
 Odorari sacrificia qualis metaphora 274
 Oedipus 8. 442. 640
 Offensio correlatiuū scandali 698
 Offerre filium Dei 326
 Officia

INDEX

- | | | | |
|--|------------------|--|---------|
| Officia superiorum & inferiorum mutua | 152 | Opera bona quomodo fieri possint | 256 |
| Officia ad ministerij conservationem quae pro sint | 294 | & cur | 109 |
| Omnis, particula | 249 | Opera bona praeparari à Deo | 252 |
| Omnipotentis naturae propria | 27 | Opera bona propter quas causas facienda | 274 |
| Omissio affectata | 258 | Opera supererogationis | 312 |
| Onus uetus testamentum dictum | 325 | Opera indebita | 390 |
| Opificem effectus monstrare | 67 | Operum iustitiam necessarium reconciliationem sequi | 254 |
| Opus bonum quomodo peccatum | 110 | Operum nostrorum pro alijs nullum meritum ad iustificationem | 335.336 |
| Opera facienda quae | 252.334 | Operum summa in decalogo proposita | 290 |
| Opera multiplicia Deum proposuisse | 281 | In Operibus nostris quotidie tria cogitanda | 268 |
| Opera bona quatenus Deo grata | 108, & cuiusmodi | 406.260. | 268 |
| Opera quamlibet bona non mereri peccatorum remissionem | 111 | de Operibus aduersariorum traditio | 253 |
| per Opera mala excuti fidem | 275 | Opes recte tenendiratione | 186 |
| Opera interiora | 252 | Opiniones nouae unde | 166 |
| | | Ordina | |

INDEX.

Ordinatiōis ritus	291	scribendū Deo	484.
de Ordinatione depravationes doctrinæ	295		485
Ordinariæ successio- nis malum in ecclesia	408	Origenes taxatur	649
Ordo in omnibus rebus utilis	690	Origenes de baptismo infantium	305
Ordo Dei immutabilis	722	Origenes de logo	32 & 33
Ordinis norma	633	Origenis error de litera	432
Orestes signa reatus	379	Origenicis somnijs præcipua Evangelij doctrina obscurata	433
Oratio	468	Originale peccatum	74.96.97, unde 99
Oratio pro alijs	335	quatenus in Baptismo remittatur	103
Oratio ad Deum	320	Originalis peccati gravitas unde cognoscatur	105
ad patrem	57.470	de Originis peccato	
ad Christum	59.317	Sententiariorū dissensio	106.95
321, ad spiritum sanctum, ibid.		De Originis peccato summariæ propositiones	104
Oratio Iacob	597	Orias 384, lepra punitus	442
Oratio inter sacramenta numeranda	289	P	
Oratio spiritu & veritate quomodo fiat	599	PActorum fides	170
Oratiōis formula	607	Pædagogii officium	434
In Oratione modus & tempus non præ-			

INDEX.

- 434
 Palamedes 448.465.
 592
 Paludani sententia de
 politico ordine 630
 Panis quotidianæ peti
 tio 595
 de Pannonia duorum
 regum certamē 629
 Papæ potētia unde 141
 Parentes regula aliorū
 gubernatorum 148
 Parentum primorum
 lapsus 704
 Parentū officium in ba
 ptismo 311
 Paridis libido 437
 Parta male, male dila
 bi 159
 Passionis Christi meri
 tum 326
 Paschæ diei obseruatū
 Pastorū officii 5 (691
 Patris appellatio 600,
 officium 153
 Patres in ueteri Testa
 mento quomodo à
 peccatis liberati 722
 Patiētia uera 395, fidei
 ac spei coniuncta 133
 Patientia Christiana
 cuiusmodi 465
 Patientia quando sacri
 ficium 463
 Patientię philosophicę
 & Euangelicę discri
 men 464
 Pax Dei 133
 Pacis fines 644
 pro Pace quare preca
 dum 644
 Paudarum mnt iur
 cuiusmodi de se iu
 dicium 262
 Paulus 346.387.713
 Paulus in epistola ad
 Rom. quem ordinē
 seruet 4
 Paulus ueneratur im
 perij Romani leges
 624
 Paulus à calūnijs quō
 rundā defenditur 242
 Pauli nauis fracta 236
 quare seruata 279
 Paulum Euangelium
 non propter utilita
 tem aut uoluptatem
 circuntulisse 444
 Paulum uelle aliquo
 modo

INDEX.

- modo supplicium 465
 Paupertas recte feren-
 da 186. eiusq; ratio
 187
 Paupertatis cur tā cre-
 bra mentio in Scri-
 pturis 184
 Peccare Hebræis quid
 110
 Peccandi propositum
 retinentem Deo nō
 posse placere 252
 Peccator centum anno-
 rum 423
 Peccatores quos Deus
 non exaudiat 604
 Peccatū proprie quid
 74.95.107.113
 Peccatum actuale 107
 mortale 244.
 Peccatum non esse ex-
 tenuandum 76
 Peccatum, quod est ex
 fide 253
 Peccatum an in rena-
 tis & infantibus re-
 liquum post baptis-
 mum 115
 Peccatum regnās quid
 Paulo 254
 Peccatum mortale, &
 regnans, idem 256
 Peccatum irremissibile
 quod nam, & in qui-
 bus 344
 Peccatum in Spiritum
 sanctum quomodo
 non remittatur 346
 Sub Peccatum conclu-
 di, tristis carcer 454
 Peccati causa 72, testi-
 monia, ead. 403.
 Peccati magnitudo un-
 de aestimanda 44
 Peccati definitiones a-
 pud doctos diuersæ
 113
 Peccati dominium 286
 Peccati uenialis & mor-
 talis discrimē in non
 renatis nō quæren-
 dum 245
 Peccata omissionis 285
 in sanctis 246
 Peccata arguere spiritū
 sanctum 375
 Peccata remittere ho-
 mines nō posse 377
 Peccata mortalia in re-
 natis 251
 Peccata singula mere-
 ri subitā mortē 257
 Peccata

INDEX.

Peccata mortalia quomodo fiant uenialia	246.247	in Peccato præcipuum quid	114
Peccata arguere, necessaria ministerij ecclesiastici pars	350	Pedū mutua lotio	277
Peccata arguens prædicatio quàm late pateat	352	Pelagij error	102.233
Peccata alia ex alijs nasci	703.705	Pelargus	636.682
Peccatorū species	263,	Peleus	379
pœnæ	276,	<i>winoldensis</i>	220
discrimē	283	Pepufiani	416
ad Peccatorum enumerationem generalem rudiores assuefaciendi	369	Periurij pœnæ horribiles	140.166
Peccatorū gratuita remissio	714,	Permiscendi uocabulū	33
eiusdem prædicatio	357	Persona quid	18.17
Peccatorum enumeratio in cōfessione nõ necessaria	365	Personarū in Trinitate discrimen	13.17.19
Peccatorū occasiones uitandæ	696	Personas discernentia testimonia	52
Peccatorū remissio expressè in ecclesia per ministerium annuncianda	377	Pertinacia	347
		Petendæ res cuiusmodi	487,
		carundem ordo	593
		Petitio	468
		In Petitione semper obedientia simul ostenda	479
		Petrus Alexandrinus episcopus	257
		Peri lapsus	588
		ad Petri conditionem accessit	

I N D E X.

accessit fides	354	lorum cultum	66
Pharao	345	Pœna peccati	99
Pharisæi & publicani		Pœnam trāsferre Deū	
historiæ ecclesiæ ty-		in filios	392
pus	310	Pœnæ testimonia iudi-	
Pharisæorum inscitia		cij uenturi	276
258		Pœnæ quare aliquan-	
Philosophiam causas		do differantur	640
præcipuas malorum		Pœnæ diuinitus impo-	
ignorare	590	sitiæ sustinendæ	132
Philosophiæ causæ in-		Pœnarum formas con-	
extricabiles	592	gruere cum sceleri-	
Phœnix	379	bus	442
Phocas	385	Pœnas late patere	336,
Photenus	28	cumulari propter pec-	
Pygius	5	cata	443
Pygij uox de scortatio-		Pœnas uitandi necessi-	
ne sacerdotum tur-		tas	276
pilsima	678	de Pœnis ecclesiæ testi-	
Piaculum	330	monia	443
Pietas	158	Pœnitentia quid	339
<i>πιστις</i>	219, 220	Pœnitentia pœnas mi-	
<i>πιστις, πιστις, 222</i>	219, 220	tigari ac remitti	388
Platonica cōmunio	187	Pœnitentia semper in	
cōfusio	169, idea 623	ecclesia prædicanda	
Platonis diffinitio de		214	
Deo	11	Pœnitētia nulla in hy-	
Platonis sententia ex-		pocritis	350
pena	466, 639, 652,	Pœnitētiae prædicatio	
Pluuia tribus annis nō		sine remissione, eth-	
reddita propter ido-		nica	202
		E Pœniten-	

INDE X.

Pœnitentiæ prædican- dæ ministeriū in pa- radiso institutū	214	nis obiri	659
Pœnitentiæ partes	339	Politiciæ uitæ confusio	146
Pœnitentiā uult Deus crescere in omnibus sanctis	445	Politicarum rerum di- gnitas	620
Pœnitentiā agere, im- mutabile mandatū Dei	347	Politicarū legum fon- tes	146
Politiam Deum appro- bare apud omnes gē- tes	638	de Politicis rebus cur prauè sentire diabo- lus faciat	618
Politiciæ Mosaicæ con- stitutio proprie uo- catur Testamentū	322	Politicus ordo à cæte- ris cōfusionibus dis- cernendus	650
Politiæ diabolium tur- bare	151	Politicus ordo à Deo institutus	162. 622. 629. 634
Politijs gētium etiam dissimilibus Christia- no licitum uti	659	Politici ordinis causæ	654
Politijs suo quenq; lo- co subijci	619	Politici ordinis, perso- narum & miseriarū discrimen	623
In Politijs quid præci- puè spectandum	619	Polycarpus Ioannis di- scipulus	285
Politici officia ceremo- nijs præferri	148	<i>πολυκαρυμωσύνη</i>	155
Politica societas	69	Pompeius	80. 136. 244 325. 436. 448. 590. 648.
Politici officia necessa- riò etiam à Christia-		Pomponius Atticus	116. 397. 431. 709
		Pontificū errores	705.
		regnum	238. 369
		Præce-	

INDEX.

- Præceptis adiaphoris
 quatenus parendum 679
- de Præddestinatione Augustini sententia 407
- Prædicatio in paradiso inchoata 318
- Præmia cū uirtute coniungi suo tempore 278.593
- Præsidij uisibilibus quatenus uti liceat 458
- Præcatio cur Dei cultus 486
- Præcatio pro ecclesia & alijs 480
- Præcatio in corporalibus ærumnis 482
- Præcatio patrum et prophetarum cuiusmodi 597
- Præcationis forma tenenda 597.598
- Principia 1, eorum paritio 163
- Principum uitia 620
- Principes prophanos plerunq; imperia tenere 439
- Principū discrimē 624
- tyrannis 150
- Principū bonorū opera cuiusmodi 643
- Principū iustorum exempla 185
- Principibus non licere aliena inuadere 670
- Priuatio 76
- Promissio gratuita 201
 403, fide accipienda 201.359
- Promissioni cur ritus externi additi 312
- Promissioni assentiendum 223
- Promissione Euāgelij quare opus 203
- Promissiones & cōminationes singulis præceptis communes 16
- Promissiones legales 290
- Promissiones corporaliū bonorū cur traditæ 234
- Promissiones in scripturis diuinis duplices 200
- Promissiones de bonis spiritualibus & temporalibus 475
- E 2 Promis

IND E X.

Promissiones accen-	Regnum Dei	206
dunt fidem	476	Regnum æternum in
Promissionum ordo	474, discrimen	314
Propitiatorium	240	spiritu & fide incho-
Proprietatem rerum,	& distinctionem do-	418
miniorum placere	Deo	185
de Providentia qui du-	bitent	165
Psalmi quare traditi	600	Regnū Christi in hac
Ptolemæi Lathuri cru-	delitas in Iudeos	627
Pudicitia quomodo cu-	stodiatur	159
Purgatorij compensa-	tio, fabula	388
Pyrrhus	439	Regnorum mutationis
R	unde	70
Reatus signa	384	Regnorum mutationis
Recitationes in ora-	tione exercendæ	600
Recõciliatio gratis pro-	missa	207
Redemptor filius Dei,	non tantū natura hu-	mana redemptrix
41	Regeneratio quid	248
	Regnorum clades &	confusiones
	621	Regnorum motus, pœ-
	nae fatales	232
	Regnorum excidia pro-	pter libidines
	193	Religio
	138, 317	Remissionis peccato-
	rum exempla	206
	Remissionem peccato-	rū sola fide nos pro-
	pter Christum acci-	pere
	226, 355	Renati quomodo le-
	gem præstēt	130, quo
	modo	

INDEX

- modo se cum peccati reliquijs gerant 116
- Renatorū peccata cuiusmodi 246.262
- de Renatorum lapsu 339
- in Renatis præcipua causa coercenda carnis 397
- Reprobationis causa 403.409
- Repugnare quid 248
- Res conditæ ex nihilo 61
- Res à personis discernendæ 148.664
- Rerum communio 159
- Resurrectio Christi & aliorum cuiusmodi 419.420
- de Resurrectione testimonia 421
- Ritus adiaphori in ecclesijs emendatis cuiusmodi 688
- Ritus non mereri remissionem peccatorum 679
- Ritus incurrentes in oculos 312
- Ritus in ecclesia additi
- Euangelio 287
- Rituum discrimen, necessario cognitio 675
- Rituum uis in mouendis animis hominū 368
- de Ritibus regulæ obseruandæ 675
- In Ritibus seruandis ordo 690
- de Ritibus aduersariorum argumentatio 729
- In Ritibus pertinacia quorundam, 707
- Romæ quare reges eiciti 193
- Romani 625
- Romano imperio Paulum obtēperasse 149
- S
- Sabbatum desolatū, prophetarū querela 143
- Sabbati sanctificatio 142
- de Sabbato præceptum 322
- Sacerdotium Christi, 413. Leuiticum 684
- E 3 Sacer-

INDEX.

- | | | | |
|---|------|---|---|
| Sacerdotū piorum reliquiae | 238 | Sacrificium quid | 328 |
| Sacerdotum ordo lege cuiusmodi institutus | 238 | Sacrificium unicum, Christi mors | 326.329.616 |
| Sacerdotum coniugiū | 196 | Sacrificium Noe | 274 |
| Sacramentū quid | 291. | de Sacrificij natura nō esse, ut applicetur pro alijs | 334 |
| 328, in ecclesia | 286 | Sacrificij species | 328 |
| Sacramentorum finis principalis qui | 286 | Sacrificia Adæ | 287. Iudaica 320, propitiatoria 329, laudis 331 |
| Sacramenti externa actio cur proposita | 319 | Mosaica | 684. |
| Sacramenti cœnæ prophanationes in ecclesia | 324 | Sacrificia Leuitica in duas species distribuenda | 329 |
| Sacramenta tria solum in ecclesia | 291 | Sacrificiorum pompa quid significet | 241 |
| Sacramēti efficacia | 275 | Sacrificiorū pius usus quærendus | 239 |
| Sacramēta etiam in ecclesia plura quàm septem | 289 | Sacrificulorū ceremoniæ | 145 |
| Sacramēta singulis applicare promissionē | 319 | Salomon | 277.384, rebus secundis factus insolentior |
| Sacramentorū numerus | 288 | Salomonis peccata quare conscripta | 151 |
| In Sacramentis multas esse significationes | 300 | Salomonis peccatum | 357 |
| | | Salutem non pertinere ad | |

INDEX.

- | | | | |
|--|-----------------------------|--|--|
| re ad infantes extra
ecclesiam | 308 | -riginis morbo | 105 |
| Samofatenus | 28.30.54
135.279.283.588 | de Sanctis piè & utili-
ter cogitanda quæ | 609 |
| Samson | 384 | Sanguinis reuerētiam
ad uirtutes pertine-
re | 123 |
| Samuelis locus | 671 | Sapientia Cynica fu-
gienda | 650 |
| Samuelē Deus uoluit
latere in specu | 147 | Sareptanę uiduę exem-
plum | 281 |
| Sancti Deo curæ, etiã
cum affliguntur | 426 | Satisfactionis ritus cu-
iusmodi olim in ec-
clesia obseruatus | 378 |
| Sanctorum lapsus qua-
re puniantur | 273 | De Satisfactione nu-
gæ | 365 |
| Sanctorū historiæ quo-
modo enarrandæ | 610 | Satisfactiones ciuiles | 381, canonicæ 391 |
| Sanctorum domina-
tio corporalis in hac
uita nulla | 419 | Satisfactiones quomo-
do monachi defini-
ant | 381 |
| Sanctorum mortuorū
inuocatio, peccatum | 608.134 | Satisfactionum super
stitutiones quomodo
ortæ | 381.392 |
| Sanctorum lapsus | 105.
246.263.337 | Saul | 254. 325. 345.
648, hypocrita 429,
consultit magicam
mulierem 467 |
| Sanctorum opera pla-
cere Deo | 270 | E 4 Saul | |
| Sanctorum pœnæ pe-
culiaries | 384 | | |
| Sanctos etiam post ba-
ptismum laborare o- | | | |

INDEX.

- | | | | |
|--------------------------|----------|-------------------------|----------------|
| Saul oppressus ater- | 640 | Scipio | 439. 628. 634. |
| nis pœnis | 356 | eius moderatio | 467 |
| Saul emulationi succu- | | Scipionis lachrymæ in- | |
| buit | 254 | centa Carthagine | 621 |
| Saul Sacerdotes interfi- | | de Schola simile | 673 |
| cit | 254 | Scholarum usus | 733 |
| Saul à Deo defecit | 478 | Scholarū & literarum | |
| Saul fingit prætextum | | curam præcipue ad | |
| cōtra Dauidem | 648 | principes pertinere | |
| Saul uolens effudit spi- | | 672 | |
| ritum sanctum | 403 | Scholastici pij quibus | |
| Saul nouit Dauidem | | dictis confirmandi | |
| erga se esse beneme- | | 191 | |
| ritum | 614 | Scholasticos doctores | |
| Saul tolli petit Dauidē | | abolere Euangeliū | |
| 487 | | 97 | |
| Saul quare Deum fu- | | Scortationis pœnæ | 157 |
| giat | 452 | 158. 192 | |
| Saulis dubitatio | 430, | In Scriptura diuina hi- | |
| superbia | 261 | storica series | 3 |
| Saulis delicta Deum | | Scripturarum interpre- | |
| prouidisse | 78 | tatio | 4 |
| Saulem funditus dia- | | Securitas in fœlicitate | |
| bolus perdidit | 151 | 610. 705 | |
| Scandalum quid | 697 | Securitas prophana hu- | |
| Scandalū datum | 703, | ius mundi uno uer- | |
| duplex | 698 | bo significata | 255 |
| Scandala doctrinæ | 705 | Securitatis lapsus | 249 |
| <i>oluxo</i> | 697 | Sedechiæ politia infœ- | |
| Scelerū pœnæ | 70. 325. | lix | 602 |

INDEX.

lix	602	Socratis pœna	468
Seditionum facies	204	Sodalitia	696
Sedulitas	259	Sodoma 626, quare de leta 158	
Sem concionator	192	Sodomorum securitas	611
Semei pœna	662	Sola, particula	240
Sennaherib superbia	136	Solonis leges	637
Seneca	244	<i>συνα</i>	25.36
Sententiæ ex uerbo Dei iudicandæ	285	Sophistica ex ecclesia explodenda	688
Seruetus	28	Sparta sua cuiq; ornan da	661
Serueti error	18.32	Spartanorū lex de pro miscuo coniugio	633
Seruitus unde creuerit	626	Speculationes de Deo ociosæ	11
Seruitus corporum ac rerum ferenda	677	Spes	309
Seruitus carcer huma norum delictorū	652	Spes uniuersæ ne pen deant à fortunæ bo nis	466
Seuerus Imp. Rom.	629	Spiridionis episcopi hi storia	687
Sicut, particula	672	Spirituale quid	331
Signum propter pro missionem traditū	309	Spirituales motus un de	90
Signa uolūtatis Dei ex ga nos	287	Spiritus quid	428
Semiæ apologus	661	Spiritus uaria significa tio	46
ad Societatē quare ho mo conditus	654	Spiritus gratiæ & pre E 5 cum	
Societates	397.592		

INDEX.

cum	257	Stoici	595
Spiritus explorandi		Stoicis qualis Deus	
203		62.63	
Spiritus sanctus ante		Stoica imaginatio de	
Christum incarna-		creatione rerum	61
tum	49	Stoicæ hyperbolæ	178
Spiritus sanctus omni		Stoicæ opiniones in ec-	
potens, exaudiens et		clesiam non inuehen-	
saluans	48	dæ	83
Spiritus sanctus perso-		<i>ἀλλογαί ποικιλαι</i>	112
na	47	Struthius	636. 661
Spiritus sanctus quid		659. 713	
significet	90	Sudor cruentus Chri-	
Spiritus sancti proprie-		sti	44
tas 22, donatio 715,		Superbiæ malum	36
actiones 430		Supplicia legitima, par-	
Spiritum sanctum da-		tes politici ordinis	
ri per Euangelium		633	
434, cum fide 256		Sylla	322
Spiritum sanctum con-		Syriæ reges multi uno	
turbare	249	tempore de regno	
Spiritus sancto opus ef-		dimicarunt	629
se ut obedire possi-		T	
mus Deo	90	T Auleri egregium di-	
Statua apud Danielē		ctum	476
652		Tela ignita Paulo quæ	
Status mediocris sin-		297	
gulare Dei donum		Temperantia in gene-	
151		re præcepta	692.
Stephanus	717	694	
		Templum	

INDEX.

- Templum ingredienti
 quæ cogitanda 732
 Temporum iuxta ho-
 minis partes distribu-
 tio 628
 In temulentis inuoca-
 tio Dei extinguitur
 696
 Tentare Deum graue
 crimen 685
 in Tentationem indu-
 ci 74
 Terræ fecunditas un-
 de 65
 Tertullianus defendi-
 tur contra Seruetum
 32
 Testamentum nouum
 quid 325. uetus 319
 Testamentū uetus cur
 appellatum 324
 Testamentum nouum
 quid à ueteri differat
 323
 Testamēti noui appel-
 latio unde 233
 Testamenti noui de-
 scriptiones in Pro-
 phetis 230
 Testamēti noui inchoa-
 tio & completio 226
 Testimonium cur uer-
 bo Dei additum 127
 Testimonia uisibilia
 quare exhibita 58
 Testimonia promissæ
 gratiæ 287
 Thebæ quare punitæ
 193
 Themistocles 717. eius
 consilia salutaria pa-
 triæ 625
 Theodosius 288. 668
 Thraſybulus 448
Θρασύβουλος 44
 Thronus gratiæ 235
 Tiberius 591. 592
 Tiberius tyrannus pla-
 cide mortuus 642
 Timor in contritione
 253
 Timor & fides, primi
 præcepti summa 190
 Timor seruilis & filia-
 lis quid differant 354
 Tollerantia in cruce
 289. 692
 Traditiones an liceat
 Episcopis condere
 685

Traditio.

INDEX.

Traditiones humanas non esse cultū Dei 391	Turcica tyrannis qua- le peccatum in Chri- stianis præcipue pu- niat 296
Traditionum tranquil- litas 689	Turcica arma quid mo- liantur 313
Traiani egregium di- ctum 150	Turpitudinis uaria ge- nera unde 99
Trahēti nos Deo assen- tiendum 406	Tyranni imperio mo- uendi 150
Tributa deberi magi- stratui 671	Tyrannorū pœna 640
Trinitatis opera, rerū creatio, & conserua- tio 14	V
de Trinitate uera fides 56	Valentiniani Imper. seculum 640
Troia quare deleta 193, 648	Valentinianorum por- tenta 55
Tryphon 629	Veſtes 241
Turci 625	Venialia peccata 115
Turcas Europa tota potituros 258	Verbum aliquod sem- per tradidit Deus ho- minibus 9
Turcos Deum non in- uocare 15, de essentia Dei errare 10	Verbū Dei quo in pre- cio habendum 362
Turcarū grassationis causæ præcipuæ que 325	Verbi ministerium in ecclesia 238
Turcarum inuocatio cuiusmodi 469	Verbi Dei uis 352
	In Verbo Dei uolun- tas expressa 256
	à Verbo Dei ordien- dum 91
	Veri-

INDEX.

- Veritas 232, eius utilitas 160
- Veritatem nulla sophistica posse obrui 678
- Veritatem detineri in iniustitia, quid 164
- Vim vi repellere quatenus natura liceat 181
- Victimarum ritus 294
- Victum largiri Deum 65
- de Victu peculiares promissiones 64
- Vindicta duplex 646
- Vindicta priuata 647
- Vindicta discernenda 179
- Vindicta magistratus legitima 156.646
- Vindictę cupiditas 179
- magnum incendium 467.647
- Vindictę Dauidę non fuisse cupidum 180
- Vindictam cur toties prohibeat Christus 181
- de Vindicta, regula 178.180
- Vires humanę 86
- Vires inferiores 87
- Vir magnus nullus fine afflatu Dei 639
- Virorum summorum miserabiles exitus 258
- Virginitas quomodo laudata Paulo 198
- Virginitatem an Paulus præferat ieiunio 197
- Vita æterna quid 413
- Vita æterna hic inchoatur 310
- Vita æterna sociorum qualis 422
- de Vita æterna articulus in promissionibus inuolutus 426
- Vitam Christianorum totam esse confessionem debere 270
- Vitiosi motus 247
- Vitia interiora 107
- Vitia rerum unde 651
- Virtus excellens non fine motu diuino 232
- Virtus excellens rara 270
- Virtus non deferenda propter dolores 448
- Virtutes

INDEX.

Virtutes heroicæ ueræ, opera Dei & dona 110	modo libera 87 Voluntas diaboli liber tate abusa 73
Virtutum consideratio 308	Voluntas cum infirmi tate luctatur 91
Vitiū Philosophis a- liud, quàm Ecclesiæ peccatum 114	Voluntas causa malæ actionis 78
Vnctionis superstitio 268	Voluntas aliquo mo- do ciuilia officia po- test efficere 92
de Vnctione 297	Voluntatis in homine libertas cuiusmodi 89
Vniendi uocabulū 33	Voluntate Dei acquie- scendum 460. 462
Vocatio sanctorū uiro- rum non temere fa- cta 242	Voluntatem hominis absq; Spiritu sancto non obedire Deo 90
Vocationis dignitas, non personæ 278	Vuormacensis dispu- tatio 117
Vocationi incumben- dum 653	Vuicelius 262
in Vocatione quid quis que considerare de beat 258	Z
Vocationum omniū summa 278	Zachariam pontifi- ces interfecerunt 439
Vocati qui 406	Zenonis serui dictum 83
Volūtas hominis quo	

F I N I S.

GRÆCARVM DICTIONVM

quæ obiter inferuntur, explicatio.

Pag. 2. herere 18. essentiam, substantiam, personas 20. coessentialis, sermo 25. corpus 27. Christe miserere 32. de principijs 33. absq; substantia 36. corpora 54. consolator 57. & mediatorem, & supplicatorem 83. de reb. pub. 86. uagari per aëra 92. Solum crede, & Deus anteuertit. & Trahens autē, uolentē trahit 105. ordinis perturbatio & indifferens 109. Viri fidelis generatio deinceps melior 112. affectiones naturales 115. uerborum pugnas 116. per transumptionem 153. 18. equitas, curiositas, alienarum rerum curiosos, communes notitias & præceptiones 182. affectio 199. tabellarij appulerunt e Ponto ferentes euangelia 220. Populo ne crede, uersutus est coetus. & Verum si sociorum beneuolentia confidit, & armis ualet. & Tibi ipsi confidis 221. durabilem fidem. & Fiducia res perdidisti, diffidentia uero seruauisti. & Moritur autem fidelitas, germinat uero infidelitas 244. dictum & sententiam 339. prauæ emulationes 258. impij 259. curiositatem 281. mala affectatione 296. cultus idolorum insaniam. & numine correpta 312. sigilla 320. gratiarum actio 322. communionis amantes 332. gratiarum actionis ergo instituta 372. auarus 436. spontanea. et, uolun-

uoluntaria 538. propter concupiscentias uani uana cogitant. & plena terra malis, plenum uero mare 458. Amicis destitutus heu miser pareo 469. loquacitas 470. impius 581. Non turpes hominibus aliorum calamitates 590. Vani uana cogitant propter concupiscentias 598. Dominus meus, & Deus meus 602. & mali genij 607. Sermo & imago æterni patris 610. Semper gaude, indefinenter orate, in omni gratias agite 628. concupiscentiam 633. Vagi, nihil quisquam quinquam audit 640. Vere nimirum dicit hic sermo, quod quarūcunque ciuitatum non Deus, sed mortalis quispiam tenet imperium, non neq; malorum illis, neq; laborum sit effugium 665. Princeps est custos legis 671. personarum acceptio. & redemptionis precium 672. ut plura possideas 676. Melius est nubere, quam uri 679. indifferentia & exercitia 681. superstitiones & solennes conuentus, aut ludi 688. Omnia decenter & ordine fiant.

LOCI THEOLO-

GICI COLLECTI A PHILIPPO Melanchthone.

PRAEFATIO.



Ta conditi sunt homines à Deo, ut numeros & ordinem intelligant, & in discēdo multū utraq; re, numeris et ordine adiuuentur.

Quare in artibus tradendis singulari cura monstratur ordo partium, & indicantur initia, progressionēs, & metæ. Hanc explicādi formam in Philosophia uocant methodū. Sed hæc in ijs artibus quæ demonstrationibus extruuntur, aliter quā in doctrina Ecclesiæ instituitur. Nam demonstratiua methodus progreditur ab ijs quæ sensui subiecta sunt, & à primis noticijs, quæ uocantur principia. Hic in doctrina Ecclesiæ tantum ordo queritur, nō illa methodus demonstratiua. Nam hæc doctrina Ecclesiæ nō ex demonstrationibus sumitur, sed ex dictis quæ Deus certis & illustribus testimonijs tradidit generi humano, per quæ immensa bonitate se te suam uoluntatem patefecit.

Ac ut in philosophia queruntur certa, et discernuntur ab incertis: & causæ certitudinis sunt, ex perientia uniuersalis, principia & demonstratio-

Methodus

Principia

Certitudinis
causæ.

P R A E F A T I O.

nes: ita in doctrina Ecclesiae certitudinis causa est reuelatio Dei, & considerandum est quae sententiae à Deo traditae sint. Vt certa est cuilibet sano haec sententia, Bis 4 sunt 8. est enim naturalis notitia, ut principiorum: ita sint certi nobis & immoti articuli fidei, comminationes & promissiones diuinæ: ita certum sit, agenti poenitentiam remitti peccata propter filium Dei, exaudiri se, & fieri heredem uitæ aeternæ. Sed causae certitudinis diuersae sunt. Sententiam de numeris mens suo iudicio uidet: at articuli fidei certi sunt propter reuelationem, quae certis & illustribus testimonijs Dei confirmata est, ut resuscitatione mortuorum, et multis alijs miraculis. Sed quia res sunt extra iudiciũ humanæ mentis posita, languidior est assensio: quae fit, quia mēs mouetur illis testimonijs et miraculis, et iuuatur à Spiritu sancto ad assentiendũ.

Etsi autem Philosophia docet, dubitandum esse de his quae non sunt sensu comperta, nec sunt principia, nec sunt demonstratione confirmata, ut hic licet dubitare, seu *in ex p*, an sola nubis cauitas sit causa cur Iris sit arcus: tamen doctrinã Ecclesiae à Deo traditã sciamus certã & immotã esse, etiamsi nec sensu deprehenditur, nec nobiscum nata est, ut principia, nec demõstrationibus inuenitur: sed causa certitudinis est, reuelatio Dei, qui est uerax.

Quare illam dubitationem Philosophicam,
seu

P R A E F A T I O.

ἢ ἡ ἀποστολή, nequaquam admittamus ad doctrinam Ecclesiae à Deo traditam. Heret aliqui in mentibus in hac naturæ humanæ corruptione, ingens confusio dubitationum de Deo: quibus repugnandum est, & opponendæ sunt sententiæ à Deo traditæ. Non alenda est hic, aut laudanda dubitatio: sed sit fides certa ad sensum, et ἰσχυρός, id est certitudo, qua mens conuicta diuinis testimonijs, firmissime amplectitur uocem diuinam, de rebus non adparentibus, ut loquitur Epistola ad Ebræos. Fides

Hæc præfari necesse est; ut initio cogitemus, res certas, firmas, et immotas in Ecclesia doceri. sicut inquit filius Dei: Cælum & terra transibunt, uerba autem mea non præteribunt. Deinde etiam cogitemus, fidem esse firmam ad sensum, amplectentem integram Euangelij doctrinam: non esse, ut in Academia Arcesilæ, ludos ambiguos opinionum & disputationum, sicut multa petulantia ingenia, & multi superbi homines semper iudicant, iudicant & iudicabunt: quorum blasphemias punit Deus, & præsentibus & æternis supplicijs.

Nunc de ordine partium doctrinæ aliquid præfandum est. Ipsi libri Prophetici & Apostolici optimo ordine scripti sunt, & articulos fidei aptissimo ordine tradunt. Est enim historica series in libris Prophetis & Apostolicis. ordiuntur à primæ rerum creatione, & conditione Ecclesie, & dein-

Sacrorum librorum ordo

ceps omnium temporū series à conditione rerum usque ad Cyri monarchiā continetur in libris Prophetiis. In hac serie multæ narrantur instaurationes Ecclesiæ, & insperguntur narrationibus doctrina legis, & promissio Euangelij. Deinde Apostoli testes sunt de Christo exhibitō, nato, crucifixo, resuscitato. Hæc sunt historica. Et in concionibus Christi continentur articuli fidei, explicatio legis et Euangelij. Accedūt & Pauli disputationes, qui ut artifex instituit disputationem in epistola ad Romanos, de discrimine legis & Euangelij, de peccato, de gratia, seu reconciliatione, qua restitui mur ad uitam æternam.

Scripturarum
interpretatio

Et si autē hunc ordinē animaduertenti, nō multum opus est cōmentarijs, aut nostris libellis, aut similibus: tamē quia uult Deus in Ecclesia uocē doctiū sonare, ut dicitur de ministerio euangelij Ephe. 4. nō frustra labor docēdi suscipitur. Non gignimus nouas res, seu materias, ut Hesiodus aliud tradidit q̄ patres Sem, Iaphet: & hæretici res nouas comminiscuntur, non traditas ab Apostolis: sed pij interpretes acceptas à Deo sententias in Prophetica & Apostolica narratione, bona fide recitant. Et quia rudes non ubiq; genus sermonis intelligunt, non statim uident ordinem rerum, comonefaciendi sunt uoce interpretum de genere sermonis, & de rerum ordine. Et quia multæ corruptelæ

P R A E F A T I O.

§

ptelæ subinde excogitatae sunt, et excogitabuntur, pij pastores & doctores sunt testes ueræ sententiæ certa autoritate acceptæ, et refutatores falsarum interpretationum. Propter has causas Deus ministerium Euāgelij, & studia in templis & in scholis sua ope seruat, & subinde restituit, ut simus custodes librorum prophetarum & Apostolicorum, & testes ueræ interpretationis: et refutemus omnes opinioniones pugnantes cum doctrina tradita per prophetas, Christū, & Apostolos, ne extinguatur lux Euāgelij, ac (ut Ephes. 4. dicitur) ne ecclesiæ tantam uentis agitatae & dissipatae, amissa ueritate, implicetur uarijs erroribus, ut sepe accidit. Ethnicici amissa luce doctrinae patrum, horrentis et uarijs furoribus agitati sunt, maclant humanas hostias, coluerunt Priapos, prostituerunt coniuges & uirgines, ut Idola placarent. Sic quam uaria genera furorum fuerunt in Marcionis & Manichei secta? quantum blasphemiarū, libidinū, seditionū? Quam uarij furores nunc sunt Anabaptistarum, qui multum habent contagij Manicheorum? Ab Ario furor Mahometici orti sunt. Quales furores sunt in inuocatione mortuorū, & cultu statuarum, in uenditione missarum, in defensione legis de coelibatu, & multis alijs quæ defendunt Eccius, Pygius, & similes parasiti Pontificum.

Ethnicorū et
haeticorum
errores,

Hæc exempla furorum omnium ætatum conside
rent

rent pij, & commonefacti uoce recte docentium, amplectantur utraq; manu & toto pectore libros Propheticos & Apostolicos à Deo traditos, & ad unquam enarrationes & testimonia purioris Ecclesie: ut symbola, Apostolicum & Nicenum: ut lucē Euangelij retineant, nec in furores tales incidant, quales (ut dixi) sequuntur extincta luce Euangelij. Qui uero pio studio legent Propheticos & Apostolicos libros & symbola, & quærent purioris Ecclesie sententiam, facile iudicabunt, quibus humanis enarrationibus deinde adiuuari possint: & intelligent quid utilitatis adferant piorum explanationes recte & dextre scriptæ, & ex fontibus sumpta testimonia. Hos, si uoluntates erunt piæ, in hoc studio et hac dijudicatione, Deus reget Spiritu sancto, ne diaboli præstigijs fallantur, sed flectantur ad agnoscendas, amplectendas, & retinendas ueras sententijs. Sicut Paulus inquit: Deus est, qui cum effecerit ut uelitis, efficiet etiam ut perficiatis. Cum accenderit uoluntatem, ut pio studio quærat ueritatem, adiuuabit etiam eam, & gubernabit, ut labor sit nobis & alijs fœlix.

D E D E O.

Hominum &
creationis &
redemptionis
causa.

I Deo conditum est genus humanū, ac deinceps ideo redemptū est. ut sit imago et templum Dei, Deum celebrans. Vult enim Deus agnosci, & celebrari. & fulsisset illustris et firma noticia Dei in mentibus

mentibus hominum, si natura hominum mansisset integra. nec deinde postquam recepti sunt in gratiā Adam & Heua, aliud est maius ac melius opus hominis, quā uera Dei agnitio, inuocatio, & prædicatio, ut Psal. 149. Laus eius in ecclesia sanctorum. & Psal. 117. Nō moriar, sed uiuam, et narrabo opera Domini. Sit igitur prima & summa cura hominis, ueram de Deo doctrinā discere: sicut & primum præceptū, hoc officiū præcipue postulat. Sed humanæ mentes in hac corruptione naturæ in magna et tristi caligine uagantur, quæretes an sit Deus, an sit prouidētia, & quæ sit Dei uoluntas. Et quanquā esse Deum, et præcipere obedientiam iuxta discriminē honestorū & turpium, impressum humanis mentibus, & regulariter punire atrociter scelera atrocibus supplicijs. in hac uita, multa illustria & firma testimonia ostendunt, tamen horrenda dubitatione cruciantur animi, quia uident sæpe opprimi pariter bonos & malos ingentibus calamitatibus.

Hominis op-
tinum opus
quod.

Et quanquā utcunque mens humana agnoscit Deum punire fontes, tamen de reconciliatione nihil nouit sine reuelatione diuinæ promissionis. Ideo cum pœnis obruimur, aut disputant homines casu eas accidere, aut mirantur cur Deus hanc infirmam naturā tantis miserijs oneret. Pericles putat casu, uel ex materiæ cōtagijs, principaliter ori-

ri pestilentiam Atticam: nō agnoscit pœnā esse dī
uinā. Oedipus agnoscit se à Deo puniri, sed pror-
sus nihil scit de remissione peccatorum.

Dei cognitio

Cum igitur tantæ sint tenebræ humanæ mētis,
agnoscamus ingens beneficium esse, quod Deus se-
se patefecit ipse clara uoce & certis testimonijs, in-
de usq; ab initio post conditum genus humanum,
& post conditam ecclesiā suam: quod tradidit sua
uoce legem & promissionē reconciliationis: et ad-
didit ingētia miracula, ut seruationem in diluuiō,
deletionē Sodomorū, educationē populi Israel ex
Aegypto, & multas resuscitationes mortuorum.

His illustribus testimonijs quæramus Deum pa-
tesfactum, et seiungamus nos ab Ethnicis, & omni-
bus ignaris Euangelij: & in nostra inuocatione
cogitemus quem Deum inuocemus, ubi & cur se
Deus patefecerit: nō uagemur animis, ut Ethnicis,
aut qui ad statuas currūt: nō negligēter aut frigide
cogitemus de patefactione Dei, sed agnoscamus es-
se ingens beneficiū, & certū testimonium quod ue-
lit nobis opitulari. Sic deducit nos ad patefactionē
Paulus 1. Cor. 1. Cum mundus Deum sapientem
non nossset per sapiētiam, placuit Deo per stultam
prædicationem saluos facere credentes. id est, quia
uagantur animi, et intuentes hunc pulcherrimum
ordinem in creaturis sapientissime institutum, &
nos de opifice cōmonefacientem: tamen dubitant

an sit prouidentia, an recipiamur à Deo, exaudiamur, iuuemur: edita est uox Euāgelij, qua se Deus patefecit, & tamen hanc quoque maxima pars hominum ut fabulosam deridet. Sed aliqui amplectuntur. hi discunt recte agnoscere & recte inuocare Deū, et donatur æterna uita, iusticia, gloria, &c.

Sic Christus deducit nos ad patefactū Deum. cū peter et Philippus monstrari patrem, grauius obiurgat eum, & ab illa speculatione reuocat, ac inquit: Qui uidet me, uidet patrem. Non uult uagabundis speculationibus quæri Deū, sed uult oculos nostros defixos esse in hunc exhibitū filiū, et inuocationē dirigi ad hūc Deū æternum patrem, qui se patefecit misso hoc filio, et dato Euāgelio, et qui propter hunc filiū mediatorē recipit nos & exaudit.

Ita semper Deus ab initio, procedens ex sua arcana sede propter salutem nostram, & sese patefaciens, ac familiariter nobiscū colloquens, tradidit aliquod uerbum & testimoniū, ad quod alligauit mentes hominū, ita ut hunc uere esse Deum æternum conditorem statuerent, qui se patefecerat hac uoce, & hoc testimonio. Sic in primo præcepto alligat populū ad uerbū quod sonuit in monte Sina, et ad educationem ex Aegypto: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti. Complectitur omnia miranda facta in educatione, quæ fuerunt testimonia presentie Dei. Hic idem Deus de

dit promissiones de mediatore, propter quem inde usq; ab initio patres exaudiri se sciebant. Ita alligata erat eorum inuocatio ad hunc Deū, qui se in educatione ex Aegypto patefecerat, et dederat promissiones de mediatore. ut Dauid inquit, Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, Tu es sacerdos in æternum, &c. Ita nos iam exhibito, crucifixo & resuscitato Christo, & Euangelij luce agnita, hoc ipsum testimonium nobis proponamus, in hunc filium intueamur, ac discamus hæc duo, quis sit Deus, & quæ sit uoluntas eius: & nostram inuocationem ab Ethnica, Turcica, Iudaica, prudenter & ardentem seiungamus.

Inuocationis
uere & falsa
discrimen.

Præcipue enim duabus grauissimis questionibus differt uera inuocatio à falsa: questione de essentia, & questione de uoluntate. Turci etsi dicunt se inuocare unum Deum conditorē cæli & terræ, tamen à uero Deo aberrant: quia negant hunc esse Deum qui misit filium mediatorem, non igitur recte inuocant. Est enim æterna & immota regula Ioann. 5. Qui non honorat filium, nō honorat patrem. Primū igitur Turci de essentia Dei errant, quia fingunt sibi suum Deū qui nō sit pater Christi.

Turcorū de
Deo error.

Secundò errant de uoluntate. Cum promissiones ignorent & negent filium esse mediatorem, manent in perpetua dubitatione, nec possunt statuere se recipi à Deo, & exaudiri. Qui uero manent in ea dubita

ambulatione, non inuocant, sed fugiunt Deum, & ruunt uel in contemptum Dei, uel in aternas desperationes, & in blasphemias.

Econtra uero Ecclesia Dei affirmat hunc esse Deum conditorē rerum, qui se patefecit misso hoc filio, & dato Euangelio, & editis testimonijs ingentibus, quae recēsentur in historia prophetica et Euangelica. Ita primū de essentia Dei iudicat non ex humanis imaginationibus, sed ex uerbo Dei, certis testimonijs tradito. Deinde de uoluntate, certō scimus filiū Dei mediatorem constitutū esse mirabili et inenarrabili consilio, & certō recipi & ex audiri nos petentes propter hunc mediatorem. His discriminibus initio cōsideratis, quae quidē in inuocatione quotidie cogitāda sunt, rectius intelligetur, quomodo querendus, agnoscendus, & inuocādus sit Deus, quam ex ociosis speculationib. quas multi cumularūt sine modo in cōmētarijs Eogobardi.

Vt autē descriptionē aliquam Dei teneamus, conferam duas: alteram mutilam Platonis, alterā integram, quae in Ecclesia tradita est, & ex baptis- mi uerbis discitur. Platonica haec est: Deus est mēs aeterna, causa boni in natura. Quanquam autem haec Platonica descriptio adeo eruditē composita est, ut difficile sit iudicare parum exercitatis quid desit: tamen quia nondū ita describit Deum ut sese patefecit ipse, requirenda est alia illustrior & pro-
pior

Dei essentia
& uoluntas.

Dei descri-
ptio Plato-
nica.

pior descriptio. Vera sunt hæc, Deum esse mentem æternam, id est essentiam spiritualem, intelligentem, æternam, causam boni in natura, id est ueracem, bonam, iustam, omnipotentem, conditricem bonarum rerum omnium & totius ordinis in natura, & humanæ naturæ ad certum ordinem, id est ad certam obedientiam. Hæc omnia complexus est Plato. Sed hæc sunt adhuc humanæ mentis cogitationes, quæ & si ueræ & eruditæ sunt, & ex firmis demonstrationibus natæ, tamē addendum est, qualem se Deus ipse patefecerit. Sit igitur hæc altera descriptio:

Ecclesiastica
Dei descriptio.

Deus est essentia spiritualis, intelligens, æterna, uerax, bona, pura, misericors, liberrima, immensæ potentiæ & sapientiæ, pater æternus, qui filium imaginem suam ab æterno genuit, & filius imago patris coæterna, & spiritus sanctus procedens à patre & filio: sicut est patefacta diuinitas certo uerbo, quod Pater æternus cum Filio & Spiritu sancto condiderit, & seruet coelum et terram, & omnes creaturas, et in genere humano condito ad imaginem suam: & certam obedientiam elegerit sibi Ecclesiam, ut ab ea hæc una & uera diuinitas patefacta certis testimonijs, et per uerbum traditum Prophetis et Apostolis, agnoscatur, inuocetur, et colatur, iuxta uerbum illud diuinitus traditum: & damnentur omnes cultus qui fingunt alios deos, & hæc uera diuinitus in uita æterna celebretur.

Hæc

Hæc descriptio propius recitat quis sit Deus, & deducit nos ad patefactionem diuinam, sicut in Ecclesia semper hæc doctrina tradita est. Primum caput Genesis testatur, Deum esse essentiam intelligentem. ait enim, dixit Deus. constat autem, dicere esse intelligentis essentiæ, non brutæ. Et esse bonam essentiã, puram, iustã et liberrimã uoluntatis, testatur creatio hominis, cui ad imaginẽ diuinam condito impressit Deus noticias, quæ præcipiunt bona, iusta, & ordinata: et addidit libertatẽ uoluntatis. & si hæc bona post lapsum primorũ parentũ deformata sunt. Præterea quod sit essentiã æternã & omnipotens, creatio ipsa testatur, de qua dicitur, In principio creauit Deus coelũ et terrã.

Personæ uero tres & si in eodem capite obscurius monstrantur, tamen paulatim clarius reuelatae sunt. Pater dicens genuit uerbũ, quod est imago æterni Patris. Et de Spiritu sancto expresse dicitur, Et spũs Domini ferebatur super aquas. Sed postea patribus et prophetis exhibita est doctrina illustrior. Dauid et Esaias clare supra angelos & omnes creaturas collocãt Mesiam, & Deũ nominãt: ut Psal. 2. Filius meus es tu, &c. & Psal. 45. Et concupiscet rex decorem tuum, quoniã ipse est Deus tuus, & adorabis ipsum. Et Esa. 9. Paruulus natus est nobis, et filius datus est nobis, & uocabitur nomẽ eius Deus fortis, pater æternæ uitæ.

Tandem

Tandem in nouo Testamento clarissime pateſcãt & ſunt tres perſonę. ut in baptiſmo Chriſti, Pa-
ter inquit, Hic eſt filius meus dilectus. Filius con-
ſpicitur palam ſtans in flumine: Spiritus ſanctus
uero, manifeſta ſpecie inſidet filio. In hanc reuela-
tionẽ intueamur, & noſtras cogitationes de Deo,
et inuocationẽ noſtrã ab Ethnica, Turcica, Judai-
ca ſeiungamus: et hunc æternũ Patrẽ qui ſe ibi pa-
teſcit miſſo filio ſuo Ieſu Chriſto, et oſtenſo Spiri-
tu ſancto, inuocemus, unã cũ filio et ſpiritu ſancto
conditorẽ rerum et opitulatorẽ. Hęc ſæpe cogitan-
da ſunt inter inuocandũ. Quomodo autẽ perſonę
diſcernẽdę ſint, poſtea dicetur. Prius enim aliquo
modo reliqua pars deſcriptionis declaranda eſt.

Dixi creaturas cõditas eſſe à Patre, filio, et ſpũ
ſancto. id quoq; paſſim in ueteri et nouo teſtamẽto
traditũ eſt, ut Io. 1. de uerbo, Omnia per ipſũ facta
ſunt. et de ſpũ ſancto, Spũs Domini ſouebat aquas.
Semper igitur regula teneatur infixã menti, crea-
tionem rerũ, & conſeruationem, opera eſſe totius
trinitatis, æterni patris, filij, & ſpiritus ſancti.

Poſtremò in deſcriptione Dei fit mentio Eccle-
ſiæ, ut mēt̄es noſtrę ſint alligatę ad hunc Deum,
qui ſe pateſcit in Eccleſia: & ſciant hunc uerum
eſſe conditorẽ rerum, qui ſe dato hoc ſuo uerbo,
certis teſtimonijs ab initio mundi pateſcit. ſciant
item ſic de eo ſentiendũ eſſe, ſicut ſe pateſcit.

Ethnici

Per om̄ crea-
tio & conſer-
uatio totius
trinitatis
opus.

Ethnici & Turci se quoque iactitant inuocare illum Deum, qui condidit cœlum et terram: sed falso id iactitant, quia uagantur animis, nec uolunt audire conditorem se patefacientem uerbo suo, & misso filio. Aberrant ergo à uero conditore, et fingunt sibi conditores suis speculationibus. Quare in omni cogitatione de Deo, et in omni inuocatione, mentes intueantur Christum missum in carne, crucifixum et resuscitatum: & statuant hunc uere esse Deum conditorem, qui hunc filium misit, et dedit Ecclesie suae Euangelium.

Percurri utcumque particulas descriptionis: in quibus hoc quoque sciamus, has uirtutes quas Deo tribuimus, in eo non esse accidentia, ut in homine seu angelo sapientia, iustitia, bonitas sunt accidentia & res mutabiles. Sed sicut potentia Dei non discernenda est ab essentia, nec aliud est: sic non sunt alia res, sapientia, ueritas, iustitia, bonitas Dei, sed sunt ipsa essentia, quæ est quiddam uiuum per sese subsistens, intelligens, æternum, omnipotens, bonum, iustum.

Hanc Dei descriptionem ut teneret Ecclesia in conspectu & ob oculos, distinctam ab Ethnicis opinionibus, commendauit eam nobis Christus in prima & notissima ceremonia: Ego baptizo te in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. id est, ego hac mersione mandato Christi testificor, te recipi à Deo creatore omnium rerum, Patre æterno, Filio eius Iesu Christo, & Spiritu sancto, quem Deum agnosces

Baptismi formula.

agnosces placatū esse per Iesum Christum filium æterni patris, & hac fiducia inuocabis, qui te Spiritu sancto reget et uiuificabit ad uitam æternam, sicut promissiones diuinæ pollicentur: Effundam de meo spiritu super omnem carnē, &c. & Christus inquit Ioan. 14. Ego rogabo Patrem, & aliū paraclætum dabit uobis, Spiritum ueritatis.

Quare de Deo cogitantes, siue in docendo, siue in inuocando, Baptismi doctrinam & testimonium nobis proponamus: nec tantum de numero speculemur, sed de causis, cur filius missus sit, de promissione reconciliationis, de gubernatione miranda sanctorum, qui à Christo defenduntur contra diabolum, et Spiritu sancto mirabiliter uiuificantur. Et si enim diabolus, qui est homicida, mirabilibus insidijs oppugnat singulos, ut auulsos à Deo euertat: tamen Christus è contra propugnat oues suas, quālibet imbecilles & ærumnosas, sicut inquit: Oues meæ uocem meam audiunt, & nemo rapiet eas de manu mea. Simul ergo de admirandis beneficijs Dei propter filium donatis cogitemus, quoties uerba Baptismi recitamus.

TESTIMONIA DE Vnitæte Dei.

Dei essentia.

VNa est æterna essentia diuina, iuxta descriptionē positam, æternus Pater, Filius imago Patris, & Spiritus sanctus. Ac personæ discernuntur,

nuntur, quoties diuinitas intra sese describitur. sed cum opponitur creaturis, mentio fit unius eterne essentia, ut Deutero. 6. Audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus unus est. Ac pij obseruent adpellatione. Dixi discernenda esse inuocatione Ecclesie ab Ethnica: ideo populus Israel peculiarem adpellationem Iehoua tribuit Deo, ut discernat Iehoua Deum uerum conditorē, qui se in hoc populo patefecit, ab idolis et cōmenticijs numinib. Ethnicorū. Deutero. 4. Ut scias quod Dominus est Deus, & non est alius præter eum. id est, hic est Deus patefactus in hoc populo Israel, solus est Deus. Deutero. 32. Videte quod ego sim solus, nō est alius præter me. Esaiæ 44. Hec dicit Dominus rex Israel et redemptor eius, Dominus exercituum: Ego sum primus & nouissimus, et præter me non est Deus. Esaiæ 45. Ego sum Deus, & non est ullus præterea, præter me non est Deus. Ego Deus, & non est alius, formans lucē, et creans tenebras. Item: Non est alius Deus præter me, Deus iustus & saluans, non est præter me. Conuertimini ad me, et salui eritis omnes fines terræ: quia ego sum Deus, & nō est alius. 1. Corinth. 8. Scimus quod nihil est idolum in mundo, & quod nullus est alius Deus, nisi unus: Nam & si sunt qui dicuntur dij, siue in cælo, siue in terra, sicut sunt dij multi & domini multi, nobis tamē unus est Deus Pater, ex quo omnia,

Et nos in illo. et unus Dominus Iesus Christus, per
 quē omnia, et nos per eum. Ephe. 4. Unus Deus
 et Pater omnium, qui super omnes, et per omnia.

DE TRIBVS PERSONIS

Diuinitatis.

Persona quid

IN hoc articulo necesse est constitui quid uoca-
 bulum personæ significet. Primum igitur tra-
 do hanc definitionem, conuenientem huic articu-
 lo: Persona, ut Ecclesia in hoc articulo loquitur,
 est substantia indiuidua, intelligens, et incommu-
 nicabilis. Satis constat ueteres scriptores Ecclesiæ
 solitos hæc duo uocabula discernere, *ὁμοίαν* et *ὁμοί-
 ασιον*. et dicere unā esse *ὁμοίαν*, id est, essentiam æ-
 terni Patris, filij, et spiritus sancti, sed tres *ὁμοί-
 ασιον*, id est, tres uere subsistentes, nō commenticios,
 non caducos, non confusos, sed distinctos seu singu-
 lares et intelligētes. Pro hac uoce, Latini usi sunt
 nomine personæ. et quanquam Græca uox *ὁμοί-
 ασιον* est illustris, tamen quia ingeniorum petulan-
 tia sæpe conturbat recte dicta, rixæ etiā de uocabu-
 lo *ὁμοί-ασιον* ortæ sunt. Cesserūt igitur Græci et La-
 tinus secuti, cœperunt etiā hoc loco dicere tria *πρὸ
 σωνα*. Sed nos omisissis rixis uocabulorum, Ecclesiæ
 sententiā fideliter retineamus, et uerbis iā in Eccle-
 sia usitatis et receptis sine ambiguitate utamur.

Serueti error.

Lusit homo phanaticus, Seruetus, de uocabu-
 lo Personæ: et disputat, olim latinis significasse
 habi

habitum, aut officij distinctionem. ut dicimus, Roscium aliàs sustinere personam Achillis, aliàs sustinere personam Vlyssis: seu alia est persona consulis, alia serui. & Cicero inquit, Magnū est in republica tueri personā Principis. Et hanc ueterē significationē uocabuli sycophāticē detorquet ad articulū de tribus personis diuinitatis. Sed has impias præstigijs fugiamus, et execremur: & sciamus in hoc articulo aliter loqui Ecclesiā. et personā dici substantiā indiuiduā intelligētē, et incōmunicabilē.

Personæ

Ac prodest in hac cogitatione sæpe mente intueri baptismum Christi, ubi tres personæ illustri discrimine monstrantur. Pater sonat hanc uocem, Hic est filius meus dilectus: Filius stans in flumine, conspicitur: & Spiritus sanctus specie uisibili demittitur. Ad hanc monstrationem ac cōmodentur & firma testimonia, quæ narrant quis & qualis sit filius, & quis & qualis sit Spiritus sanctus.

Primū ergo hoc discrimē teneatur. Pater æternus est, persona non nata, sed quæ genuit ab æterno filium imaginem sui. Filius est imago Patris, genita ab æterno à Patre: qui postea certo tempore in utero Mariæ assumpsit humanam naturam, ut infrā dicetur. Spiritus sanctus est agitator, procedens à Patre & filio, & mittitur ad sanctificandas mentes, id est nouam lucem, iustitiam & uitam Deo placentem, & æternam, accendendam in his

Personarum
in trinitate dī
scrimen.

qui sunt heredes uitæ æternæ. Sunt itaq; tres personæ diuinitatis, immensæ, coæternæ, *ἰσοούσιοι*. Pater Domini nostri Iesu Christi: filius, qui dicitur *ἄβιος*, & imago æterni Patris, et Spiritus sanctus. Nec sunt plures personæ diuinitatis.

Etsi autem omnes angelicæ & humanæ mentes obstupescunt admiratione huius arcani, quod Deus filium genuit, & quod à Patre & filio procedit sanctificator Spiritus: tamen sic sentire necesse est. Quia, ut toties iam dictum est, de Deo sentiendum est, sicut se patefecit. Ethnici uagabantur animis, quærentes Deum suis speculationibus. At Ecclesia agnoscit Deum æternum, & omnipotentem conditorem talent, sicut se patefecit. Et quamquam hæc arcana non penitus perspicimus, tamen in hac uita Deus inchoari uult hæc agnitionem, & uult inuocationem nostram à falsa discerni, et reuelatione certis testimonijs in uerbo suo proposuit, in quo ceu foetus in aluo materno nutrimentum at trahens umbilico & cotylidonibus, nos quoq; sedemus inclusi, et attrahimus agnitione Dei, et uitæ ex uerbo Dei, ut eum iuuocemus, sicut se patefecit.

DE FILIO.

Sic autem describitur filius. Ioan. 1. nominatur *ἄβιος*. In epistola ad Colossen. nominatur imago Dei. In Epistola ad Hebr. uocatur splendor gloriæ, id est, effigies seu imago substantiæ Patris.

Ac

Filij diuinitatis
appellationes

Ac loqui textum de natura diuina filij, manifestum est: quia inquit, omnia per eum condita esse. In symbolo dicitur, Lumen de lumine. Harum adpellationum collatio, declarat eas. Filius dicitur imago & λόγος. Est igitur imago cogitatione Patris genita, quod ut aliquo modo considerari possit, à nostra mente exempla capiamus.

Voluit enim Deus in homine conspici uestigia sua: & si hominis natura retinuisset primam lucem, speculū esset diuinæ naturæ minus obscurū. nunc in hac caligine tamen aliqua notari uestigia possunt. Mens humana cogitatio mox pingit imaginem rei cogitatæ. Sed nos transfundimus nostram essentiam in illas imagines, suntque cogitationes illæ subitæ & euanescentes actiones. At pater æternus sese intuens, gignit cogitationem sui, quæ est imago ipsius, & huic imagini communicat suam essentiam.

Hæc igitur imago, est secunda persona, & conueniunt appellationes. Dicitur λόγος, quia cogitatione generatur. Dicitur imago, quia cogitatio est imago rei cogitatæ. Dicitur splendor gloriæ, quod Græcè significatius scriptū est ἀπὸ δόξης, id est ἀπὸ δόξης. ab alia luce splendor editus: sic filius est splendor à luce paterna editus: sicut in symbolo legitur Lumen de lumine. Itē, Effigies substantiæ Patris, id est imago non euanesces, sed subsistēs comunicata essentia.

Vt igitur in natura hominū, filium dicimus genitum

nitum de substantia patris, simile patri: Ita secunda persona filius dicitur, quia de substantia Patris natus est, & est eius imago.

Filij propriū
a reliquis per
sonis.

Proprietas ergo discernēs filium à cæteris personis, hæc est, genitum esse, & imaginem esse. Et fit illustrius discrimen, cum addimus, hanc secundam personam assumpsisse certo tempore, humanam naturā in aluo Mariæ. Pater enim non assumpsit humanā naturā, nec spiritus sanctus assumpsit humanam naturā, sed filius est Christus, id est promissus redemptor, una persona duabus naturis mirabiliter unitis, scilicet illa æterna patris imagine, seu *lócos*, et natura humana. Nā uerbo unionis in hoc articulo, cōmunis cōsuetudo Ecclesiæ utitur.

Mira sunt hæc, & longe supra omnem creaturarum captum posita. Sed scimus hæc arcana Ecclesiæ patefacta esse, ut Deum recte inuocemus, & causas cogitemus huius mirandi beneficij, quod Deus æterno foedere sibi naturam humanam copulauit. Vere igitur eam curat ac diligit, et hunc filiū misit ut esset redemptor, & iram aduersus peccata placaret, ut postea sæpius dicendum est.

Spiritus sancti
proprietas

Tertia persona spiritus sanctus, dicitur procedere à patre & à filio. Hæc proprietates huic tertie personæ tribuitur. Tribuitur & hæc proprietates, quod sit persona quæ mittitur in corda renascentium, id est, qua pater et filius accendūt no

nam lucem, novos motus Deo placentes, iustitiam
 & uitam in cordibus renascentium. Et reuera tūc
 adest spiritus sanctus in cordibus, cum ea regit, mo-
 uet, & accendit, ut 1. Cor. 3. dicitur, Templū Dei
 estis, & spiritus Dei habitat in uobis. Hęc guber-
 natio & sanctificatio uocatur actio specialis Dei.
 Ut autem filius nascitur cogitatione, ita spiritus
 sanctus procedit à uoluntate patris & filij. Volun-
 tatis est enim agitare, diligere: sicut & cor huma-
 num non imagines, sed spiritus, seu halitus gignit.

TESTIMONIA.

Matth. ult. Baptisantes eos in nomine patris et
 filij & spiritus sancti. Hic nominatim tres perso-
 nas recenset, & tribuit eis parem potentiam et ho-
 norem. Voluit enim Christus, in hac prima cere-
 monia complecti summā Euangelij. Quare simul
 & testificatur recipi nos à Deo, & docet quis sit
 Deus, quem Deū inuocemus, et quid nobis donet.
 Ego baptiso te in nomine patris et filij & spiritus
 sancti: id est, Ego testificor te recipi à patre eter-
 no, & à filio, & à spiritu sancto, ut misericordia
 et potentia horū libereris à peccato & à morte æ-
 terna, & doneris iustitia et uita æterna.

Inuocabis igitur, non ut Ethnici aberrantes à
 uero Deo, qui se patefecit, sed hūc statues esse Deū
 conditorem rerum, qui se hoc uerbo certis testimo-
 nijs ab initio mundi patefecit. Tecum in baptismo

Baptismi for-
 ma, euangelij
 summa.

foedus facit, affirmat se esse patrem Domini nostri Iesu Christi, & constituisse filium placatorem, & mittere spiritum sanctum, ad inchoandam in te iustitiam & uitam aeternam.

Baptismi uerborum sensus

Agnoscis summam Euangelij eruditè comprehensam esse in uerbis baptismi, & ostendi quis sit Deus: Ego baptiso te in nomine, id est in inuocatione, itè in mandato, itè in agnitione et inuocatione patris, et filij et spiritus sancti: inuoco patrem, filium, et spiritum sanctum super te, testificans, te recipi, te exaudiri, etc. Hæc est sententia uerborum baptismi

Cumq; uerba illa profiteantur patrem esse Deum, esse omnipotentem, esse inuocandum, et ad huius honoris societatem addantur filius & spiritus sanctus, necesse est parè potentiã esse. Cumq; par sit potentia, sunt *ὁμοούσιοι*. Præterea constat Patrem & filium Christum, personas distinctas esse. Quare et nomine spiritus sancti persona distincta significatur. nam si spiritus tantum significaret ipsum patrem agitentem aut mouentem res, bis nominasset patrem, & esset ociosa *ταυτολογία*. In hanc sententiam et Basiliius prudenter et grauius ratiocinatur ex hoc dicto Christi, Patrem et filium & spiritum sanctum *ὁμοούσιον* esse, Baptisari nos oportet, sicut accepimus: credere autem, sicut baptisamur: glorificare autem, sicut credimus patrem & filium & spiritum sanctum.

Sed quia passim sparsæ sunt in scriptis Prophetis

ticis & Apostolicis probationes, quarum alie de filio tantum loquuntur, alie de spiritu sancto, colligenda erunt primo testimonia de filio. Est autem præcipua probatio in primo cap. Ioannis, quem quidem ferunt eo scripsisse Euangelium suū, quod Ebion, & deinde Cerinthus, sparserant Iudaicā opinionē, et detraxerant Christo diuinā naturā, ac finxerant eum tantū habere humanam naturam.

Euangelij Iohannis scopus.

Priusquam autem ad Ioannem accedo, ponam duas rationes, sumptas ex scriptura, quæ meo iudicio utiliter & docent & consolantur pios. Prima: necesse est fateri Christū esse natura filiū Dei, quia Euangelijū discernit filios adoptionis à filio Christo. Ioannes enim uocat Christum unigenitū filium, Ioan. 1. Vidimus gloriam eius tanquam unigeniti à patre. Porro cum haud dubie sit natura filius, necesse est in eo diuinam naturam esse substantialiter. Quicquid autem est extra personam patris, in quo est diuina natura, id necesse est personā esse. Ita et Paulus inquit de Christo, In quo habitat plenitudo diuinitatis corporaliter: id est, qui Christus est persona diuina, quasi dicat, habitare in eo diuinitatē, nō tantum ut in Dauide, effectiue, separabiliter: sed ita ut ipsa Christi *ὁμοιωσις* sit diuina. Nā Græci *ὁμοιωσις* dicūt, ut nos uulgo personā.

Christus natura Dei filius.

Secunda ratio: Vniuersa scriptura Prophetica & Apostolica, magno cōsensu præcipit Christum

b s adorari

adorari et inuocari, ac iubet in eū cōfidere: ergo tribuit ei potētīā infinitā, quod ubiq; adsit, corda in spiciat, exaudiat, quod det iustitiā et uitā eternā. Necesse est igitur, in Christo diuinam naturā esse.

Testimonia
de inuocando
Christo.

Extant autē clara testimonia de inuocādo Christo, & de fiducia in Christum, Matthæi 21. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Ioan. 3. Qui credit in filium, habet uitam eternam. Esa. 11. In die illa radix Iesse stabit in signum populi, gentes ipsum deprecabuntur. Psal. 45. Et concupiscet rex decorem tuum, quoniā ipse est Deus tuus, et adorabunt eum. Psal. 72. Et timebuunt eum donec erunt sol & luna. Itē, Deprecabuntur coram ipso semper. Acto. 7. Domine Iesu suscipe spiritum meum. 1. Thess. 3. Ipse Deus & pater noster, & Dominus noster Iesus Christus dirigat uiam nostram ad uos. 2. Thess. 2. Ipse Dominus noster Iesus Christus, & Deus & Pater noster, qui dilexit nos, et dedit consolationē eternam, et spem bonam in gratiā, confirmet uos. Gene. 48. Deus Abraham, & angelus qui eruit me de cūctis malis, benedicat pueris illis. In his et similibus testimonijs, dicitur de inuocatione perpetua Christi, etiam cum non uersatur cum hominibus uisibilibus. Quare hæc adoratio non potest intelligi, ut Iudæi cauillantur, de externa significatione honoris, quæ presenti uelut regi tenenti ciuile

Adoratio
Christi.

uile imperium exhibetur: sed concionatur hæc sententia de Messia exaudiente, opitulante & seruante Ecclesiam suam ubiq; terrarum, et omnibus temporibus. Hæc propria sunt naturæ omnipotentis. Vtile est igitur hanc doctrinã in Prophetis de inuocatione Messia considerare. Et apparet, patres, prophetas, ac alios pios ueteris Testamenti, diuinitatem Messia ipsa inuocatione professos esse. et nos dicta illa non solũ erudiũt de natura filij, sed etiam consolatur, et ad inuocationẽ exuscitat.

Semper ergo sit in cõspectu hæc ratio, cum de inuocatione Christi toties præcipiatur. Patendum est, in Christo esse naturam diuinam: quia inuocatio absentis, qui non conspicitur uisibiliter, tribuit omnipotentiam. Sentit enim, illum uidere motus cordium omnium hominum ubiq; terrarum. Hic & Ecclesie exemplum meminerimus, quæ sæpe repetit precationem $\chi\rho\iota\varsigma\ \epsilon\upsilon\lambda\omicron\gamma\epsilon\iota\tau\omicron\upsilon$. Hæc precatio est professio diuinitatis Christi.

Nunc ad Ioannem accedo qui descripturus naturas in Christo, orditur à diuina: In principio erat $\lambda\omicron\gamma\omicron\varsigma$. Sic uocat filium Dei, qui postea assumpsit humanam naturam: ut ibi inquit, Et uerbũ caro factum est. Primũ autem de illa natura loquens, quæ fuit ante incarnationem, affirmat $\lambda\omicron\gamma\omicron\varsigma$ esse æternum, quia inquit fuisse ante creationem, & ait, Omnia per illum facta esse.

Ioãnis euãgelij explicatio.

Et

Et hunc λόγος nominat Deum inquiring, Et uerbū
 erat Deus. nā Græcus articulus testatur, λόγος col-
 locandum esse loco subiecti, & Deum loco prædi-
 cati, nec ambiguitas est hic in appellatione Dei,
 narratio enim instituta est ad descriptionē de-
 sentia diuina. Ideo intelligatur nomen Dei non de
 officijs diuinis, quæ gerunt homines, ut alibi dici-
 tur, Ego dixi dii estis: sed propriissime de æterna,
 omnipotente, intelligente, bona, essentia conditri-
 ce, sicut et postea Ioānes affirmat, Omnia per hunc
 λόγος esse condita. Dicit ergo, λόγος esse æternum
 Deum, & conditorem.

Hoc testimonium firmum esse, bonæ mentes in-
 telligunt, quæ acquiescunt in uoce Euangelij, &
 non accersunt cauillationes & corruptelas Euan-
 gelij. Sed astuti quidam & impij, ut Samosatenus,
 & postea Photinus, & recens Seruetus, sceleratē
 eludere & corrumpere ausi sunt dictum Ioannis,
 ac contenderunt λόγος non significare personam:
 sed sicut in homine, cogitationem hominis aut ser-
 monem non dicimus esse personam, sed qualitatem
 aut motū transeuntē, ita uoluerunt in Ioanne intel-
 ligi λόγος nō esse personā, sed cogitationē seu pro-
 positum patris, quod sit ipse pater, sicut dicimus
 mentem aut bonitatem patris esse ipsum patrem.

Deniq; narrationem Ioannis accommodabant ad
 exemplum hominis architecti, ut in architecto est
 idea

idea futuri operis, quæ non est persona, sed propositum & cogitatio in architecti mente: sic in conditore Deo dixerunt fuisse ideam & propositum, quod se patefacere uoluerit per conditionem mundi, & per doctorem excellentem Christum, traditurum doctrinam salutis, & editurum testimonia de Deo. hanc cogitationem, seu hoc propositum dixerunt fuisse ipsum patrem. et de hac cogitatione ait in Genesi scriptum esse, Dixit Deus, id est decreuit, proposuit. & in Ioanne, Omnia per ipsum facta sunt: id est, omnia condita sunt per hanc architecti cogitationem, seu per sermonem iubentem, ut res fieret.

idea

Quod uero Ioannes inquit, Verbum caro factum est: sic corruerunt, tandem iuxta id propositum natum esse ex uirgine Christum, atque ita Ioannem exorsum esse inquit, ut moneret Euangelium non esse inuentum humanum, sed æternum Dei propositum fuisse, mittere hunc doctorem Christum, & per eum edere testimonia doctrinæ.

Hæc sycophantica corruptela, quia alludit ad humanum exemplum, propter concinnitatem impijs ingenijs blanditur, & sæpe magnas ruinas traexit. Ideo firma testimonia colligenda sunt, quæ ostendunt oportere hic λόγος intelligi personam. Estque præcipua in narratione Ioannis controuersia, an λόγος hic significet personam, sicut Ecclesia Dei catholica semper sensit et defendit. Nam & tunc cum

λόγος pro
persona.

Samo

Samosatenus tumultuaretur, conuenerunt senes episcopi Antiochiam ex uicinis regionibus, qui discipulos Apostolorum audierant, & Samosatenu refutarunt, ac damnatum eiecerunt ex Ecclesia.

Ad eam cognitionem profectus Gregorius Neocæsariensis episcopus senex, cuius doctrinam Ecclesia eius temporis purissimam esse iudicauit, reliquit scriptam confessionem multo ante Nicenam Synodum. Hæc confessio extat lib. 7. Eusebij, pagina 173.

Confessio
Gregorij.

Vnus Deus pater uerbi uiuentis, sapientiæ subsistens et imaginis suæ, integer, integre genitor, pater filij unigeniti. Vnus Dominus solus ex solo, imago patris, uerbum efficax, filius sempiternus, ex sempiterno. Vnus Spiritus sanctus, ex Deo substantiam habens, qui per filium apparuit, sanctificans, per quem Deus super omnia & in omnibus cognoscitur.

Hanc confessionem non solum eò recitauit, quia illustre testimonium continet ueteris & purioris Ecclesiæ: sed etiam quia diserte tradit discrimina personarum. Filium ait esse imaginem: Spiritum sanctum ait esse sanctificantem, per quem Deus cognoscitur, id est inchoantem nouam lucem in cordibus. ut 2. Cor. 3. dicitur, Transformamur in eandem imaginem tanquam à Domini Spiritu.

Quod autem in narratione Ioannis 1. & significet personam, primum ex illa ipsa narratione ostenditur. quia postea dicit Ioannes de Christo, In mundum

do erat, et mundus per ipsum factus est. Cōstat autē, mundū nō esse conditū per humanā naturā Christi: ergo necesse est in Christo nato ex uirgine, & esse & manere alterā naturam conditricem cū patre.

Sic & alibi similia dicta ostendunt, in Christo In Christo dicitur
naturæ. duas esse naturas. Col. 1. Omnia per ipsum & in ipsum condita sunt, & ipse est ante omnia, omnia consistūt per ipsum. Et Hebræ. 1. Per filiū quē posuit heredē omnium, per quē & secula fecit, qui est fulgor claritatis, et effigies substantiæ eius, ferens omnia uerbo potētiae suæ. Hæc dicta manifeste testantur, esse et manere in Christo diuinam naturam conditricē cum patre. Quare λόγος non significat propositū seu cogitationē extra Christū, nec significat uocē transeuntē: sed naturā manentē in Christo, conditricē cū patre. Est igitur λόγος, persona.

Sic & in Epistola Ioannis dicitur: Quod erat ab initio, quod audiimus, quod uidimus, quod manus nostræ contrectarunt, uerbum uitæ, id annunciamus. Hic quoq; testatur, in ipso Christo nato ex uirgine, esse & manere uerbū illud quod initio fuit. Idem ostēdunt infra plura testimonia, quæ de diuina natura in Christo loquuntur. ut Priusquam Abraham natus est, ego sum.

Pie mentes, quæ sciunt, de Deo, sicut se patefecit, sentiendū esse, cum uideāt hæc testimonia Euangelij perspicua esse, agnoscunt hanc sententiā constantissimam.

stantissime amplectendā esse, quod in Christo sit natura diuina, & quod λόγος in hac narratione personam significet. & intuentes in hæc testimonia, filium Dei inuocant.

Serueti per-
Adia.

Nunc & ueterum scriptorū dicta queramus, qui fuerunt ante Nicenā Synodum, de quibus Seruetus perfidiose fucum facit lectoribus. citat mutū lata dicta ex Irenæo & Tertulliano, quasi uelint λόγος non esse personā, seu ὑπόστασις, antequam nascitur Christus ex uirgine. Sed manifestā iniuriam utriq; facit. nā Tertullianus aduersus Praxeā expresse mouet hanc quæstionem, an λόγος sit natura subsistens, seu (ut nunc dicimus) persona. et respōdet, affirmans esse personā, seu ὑπόστασις. & hanc sententiā longa oratione exponit, in qua hæc sunt uerba. Quæcunque ergo substantia sermonis fuit, illam dico personam, & illi nomē filij uindico, & eum filiū agnosco, & secundū à patre defendo.

Irenæus etiam aperte affirmat, λόγος fuisse personam, antequam assumpsit humanā naturā. Sic enim inquit Capite 2. lib. 3. Ostēso manifeste quod in principio λόγος existens apud Deum, per quem omnia facta sunt, qui & semper aderat humano generi, hunc nouissimis temporibus secundum præfinitum tempus à Patre unitum suo plasmati passibilem hominem factum misit.

Affirmat & Origenes πρὸς Ἀρχαίου diserte λόγος personam

personā esse. Nemo putet, inquit, nos ἀνυπόστατον
quiddā dicere, cū Dei sapientiā nominamus. et po-
stea: Si ergo semel recte receptū est, unigenitū filiū
Dei sapientiā eius esse, substātialiter subsistentem.
Idem postea affirmat, cū disputat de incarnatione.
Sed illustriora sunt testimonia, et firmitiora Grego-
rij Neocæsariensis, & Irenæi, quæ supra citauī.

Redeo autem ad Ioannem, qui cum inquit, Ver-
bum caro factum est: primū testatur, Patrē et uer-
bum non esse eandem personam. Pater enim nō in-
duiuit humanā naturam: nā discernit se à filio dicēs,
Hic est filius meus dilectus. Deinde cum dicitur,
Verbum fit caro: personā intelligi necesse est. nam
ut supra ostendi, in Christo nato ex uirgine manet
natura diuina conditrix. Est igitur λόγος persona.
Item si λόγος tantum esset cogitatio, quæ est ipse
Pater, hæc cogitatio non fieret caro. nā Pater non
fit caro, nec de uoce transeunte dici potest quod
fiat caro: præterit enim, et euanescit. At λόγος ma-
net in Christo, nato ex uirgine.

Sunt igitur in Christo natio ex uirgine Maria, duæ
naturæ, λόγος, et humana natura: sic unitæ, ut Chri-
stus sit una persona. Est enim usæ Ecclesia hoc uo-
cabulo uniuendi, cuius sermonem nos quoq; sequi-
mur. Quod enim ueteres interdū usi sunt uocabu-
lo permiscendi, id prudenter intelligendū est, ne cō-
fusio naturarum cogitetur. Origenes, & si simili-
tudinem

In Christo
duæ naturæ

tudinem huius coniunctionis propriā afferri posse negat, tamē comparat eam ferro ignito. Sicut ignis penetrat ferrū, & undiq; ei miscetur: sic λόγος assumens humanam naturam, lucet in ea tota, & natura humana uelut accēsa lumine, λόγος unita est.

Satis clarē refutauimus Samosatēni, Photini, et Seruēti furorem, cum constituimus oportere λόγος personam intelligi.

Arij refutatio

Deinde facilis est Arij refutatio, qui cōcedit λόγος significare personā apud Ioannē: at postea pugnat, hāc personā nō esse natura Deū. Sed Ioānes firmissime refutat Ariū, cū affirmat expresse λόγος esse Deū, et ne in uocabulo Dei sit ambiguitas, attribuit λόγος, quod per eam personā omnia condita sint. Ergo cū sit persona cōditrix, et omnipotens, uere Deus est natura, non tantum nuncupatione.

Adiuuatur autem utraq; refutatio, Samosatēni & Arij, sequentibus testimonijs, quae ostendunt in Christo nato ex uirgine, duas esse & manere naturas, diuinam conditricem rerum, & humanam.

Ioan. 20. Thomas uocat Christū apertē Deū, inquit, Dominus meus & Deus meus: quod usitata Hebraica phrasi dictum est, qua iungitur nomen Dei proprium, discernens inuocationem ueram ab ethnica, ut Psal. 19. Nos autem in nomine Domini Dei nostri inuocabimus. Mira igitur & noua lux fuit in Thoma tribuente Christo ueri
Dei

Dei nomen, & agnoscente in eo non tantum humanam naturam esse, sed etiam diuinam. Roma. 9. Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula. Et ne quis cauilletur nomē Dei hic metaphoricè usurpari, ad dātur testimonia, quæ tribuūt Christo ea quæ sunt propria naturæ diuinæ, scilicet creare, uitam reddere mortuis, sanctificare, exaudire, dare uitā æternam, & similia. Ioannis 5. Pater meus usq; modo operatur, et ego operor: Quæ ille facit, et filius similiter facit. Itē: Sicut pater exuscitat mortuos, et uiuificat, sic et filius quos uult uiuificat. In hac cōcione clare affirmat Christus, se unā cum Patre creare, sustentare creaturam, seruare Ecclesiā, reddere uitam mortuis: quæ sine ulla dubitatione sunt omnipotētis naturæ propria. Ioan. 10. Ego uitam æternam do eis, & nemo rapiet eas ex manu mea. Ioan. 14. Quicquid petieritis in nomine meo, hoc faciam. Hic aperte testatur, se & exaudire, & facere ea quæ petimus: quorum utrunq; propriū est diuinæ et immensæ naturæ. Ioan. 15. Sine me nihil potestis facere. Hæc sentētia testatur Christum adesse, protegere, iuuare, gubernare in uocantes, quæ sunt Dei propria. Matth. 18. Vbi cunq; sunt duo aut tres cōgregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Adesse ubiq; exaudire et opitulari ubique, propria sunt diuinæ naturæ.

Christo attributa quæ sunt naturæ diuinæ

Ioan. 20. Christus dat spiritum sanctum, quod etiam solius diuinæ naturæ propriū est. Ioan. 10. Ego pono animā meā, et rursus sumā eam. Ioan. 6. Ego suscitabo eum in nouissimo die. Item: Si uideritis filium hominis ascendentē ubi erat prius. Ioan. 8. Priusquam Abraham natus est, ego sum. Hic testatur se fuisse, antequam assumeret humanam naturam. Ioanis 17. Glorifica me Pater apud te, ea gloria quā habui apud te, antequā esset mundus. Col. 1. Omnia per ipsum, & in ipsum condita sunt, & omnia per eum consistunt.

Est ergo in Christo natura diuina, conditrix rerum. Ideo postea in Cap. 2. dicitur: In ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, in alijs habitat Deus spiritu suo, nouam lucem & novos motus accendens: sed in Christo habitat, nō solum spiritu, sed etiā ita ut personali unione, humana natura diuinæ unita sit. Nā ut nos dicimus nūc usitatē personas, ita ueteres Græci dixerunt *ὑπόστασις*. Ad Hebr. 1. Quem posuit hæredem omnium, per quem & secula fecit, qui est fulgor gloriæ, & effigies substantiæ eius, sustentans omnia, &c.

Act. 7. Domine Iesu suscipe spiritum meum. Hæc petitio tribuit Christo, quod morientium animas custodiat, & rursus coniungat animas et corpora. 1. Theff. 3. ipse Deus & Pater noster, & Dominus noster Iesus Christus dirigat uiam nostram.

strā. 2. Theß. 2. Ipse Dominus noster Iesus Christus, & Deus & Pater noster confirmet uos.

EX VETERI

Testamento.

Jeremiæ 33. Et hoc est nomen, quod uocabunt eū, Dominus iustificator noster. Hic tribuit Christo nomen Dei proprium, & affirmat esse iustificatorem: ergo tribuit ei gloriā, quæ soli Deo competit. Item, iustificare, tollere peccatum, & iram Dei, & reddere iusticiam & uitam æternam, nemo potest nisi Deus. Etsi autem Iudæi hoc testimonium ueteratorie eludunt, tamen facilis est eorum refutatio. Clare dicit Propheta, ipsum Mesiā uocandum: id est, inuocandū esse hac fide, quod ipse sit Deus iustificator noster. Appellatio ad hanc ipsam personam Mesiā pertinet. Esaiæ 7. Vocabitur nomen eius Emanuel, id est, nobiscum Deus. Sed firmitus est quod sequitur Capite 9. Vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater uitæ perpetuæ. Hic quoq; Iudæi cauillantur uocabulum EL, sed certum est hac uoce significari Deum. et præstigijs eorum refutat ipse textus, qui sequitur, Pater uitæ perpetuæ. Tū Christus sit autor & donator uitæ perpetuæ post hanc uitam, sicut inquit, Ego uitam æternam do eis: necesse est eū natura Deū esse. Micheæ 5. Egressus eius ab initio, ante dies mundi. Hoc testimonium quanquam

Mesiā appellatio.

breue est, tamen affirmat Mesiam fuisse ante conditionem mundi. Est igitur æternus ac Deus, ideoq; patres eum ab initio norunt, et sciuerunt eum adesse Ecclesiæ: sicut ostendit dictū Iacob supra citatū. et Daniel cū eo colloquitur, & perterrefactus confirmatur, & noua luce & uita ab eo perfunditur. Et 1. Corinth. 10. dicitur affuisse populo in deserto: Bibebāt ex spiritali comitāte eos petra, petra autē erat Christus. Psal. 45. Et cōcupiscet rex de corem tuum, quoniā ipse est Deus tuus. Hic propriū Dei nomen tribuit regi Mesie. Estq; dulcis promissio, & si Ecclesia in hac uita deformatur ingentibus ærumnis, & adhuc est imbecillis, tamē rex Mesias eā amat, et formosam esse pronunciat. hac promissione piæ mentes luctantes cum imbecillitate sua, se sustentent. Psalmo 72. dicit Mesiam sempiternum esse, & semper adorandum: Fuit nomen eius semper, ante solem, manebit nomē eius, et benedicentur in eo omnes gentes. Item: Timebunt eum donec erit sol & luna. Adoratio tribuit diuinitatem. Certum est enim, dici de perpetua adoratione, qua inuocatur Mesias etiam nō conspectus oculis. nec dicitur tantum de gestu, quo presentibus regibus honos tribuitur. Describitur ibidem & æternitas, Ante solem erit nomē eius: id est, antequā Sol conditus est, erat hic filius. nā Hebraicus psalmus hic insigni uerbo usus est, significans haud dubie

bie natum esse filium ante conditionē Solis. Psal.
110. Dixit dominus domino meo: inde Christus ar-
gumentatur se non tantum esse filium Davidis, sed
dominum quoq;. Iam in eodem regno politico, &
eadem natura, filius, seu successor, nunquā est domi-
nus patris, aut aui regis: ut Augustus nequaquā est
dominus Iulij Cæsaris. Quare Messia regnum e-
rit non politica peritura, sed æterna uita, & iusti-
cia æterna: & in Christo erit diuina natura, red-
dens uitam æternā. Sicut et reliqua membra Psal-
mi docent, quæ omnia complectenda sunt: Tu es sa-
cerdos in æternū. Ait esse perpetuū sacerdotē, du-
centē nos ad Patrē, & dantē uitam æternā. Sede à
dextris meis: id est, regnato pari potentia cū æter-
no patre. Cū autē potētia sit infinita, necesse est in
Christo diuinā naturā esse. Psal. 2. Ego hodie ge-
nuī te. Hoc de solo Christo dicitur. sicut & à Ioan-
ne Christus uocatur unigenitus Dei filius, id est,
non adoptione sed natura filius. Est autem natura
filius is, in quem substantia Patris propagata est.

Quod si obijcitur, Naturam diuinam nō pati,
non mori, Christum autē mortuū esse, usitata, ue-
ra, & necessaria respōsio est. Cum in Christo due
naturæ sint, quædā propria uni naturæ, non impe-
diunt quo minus adsit altera natura. Propria autē
sunt hæc humanæ naturæ, lacerari membra, pati,
mori. Ideo Petrus disertē dixit Christū passum esse

Naturam diuinā
nam non mo-
ri, obijcitur,

carne: & Irenæus eruditè & piè inquit, pagina 185. Christum crucifixū & mortuum esse requiescente uerbo, ut crucifigi & mori posset: id est, natura diuina nō est quidem lacerata aut mortua, sed fuit obediēs Patri, quicuit, cecit iræ æterni Patris, aduersus peccatum generis humani. nō est usa sua potentia, non exeruit suas uires. Si expendes dictū Irenæi piè declarari naturarum discrimina, & simul illustrari magnitudinem iræ Dei aduersus peccatum, effusæ in Christum: & admirandam humilitatē filij, quiescentis & obedientis Patri, nec exerentis suam potentiam.

Conuenit autem hoc dictum ad illud Philip. 2. Qui cum esset in forma Dei, id est, sapientia et potentia æqualis Patri: non rapuit æqualitatem Dei, id est, cum missus esset, ut obediret Deo in passione, nō fecit contra uocationem, non est usus sua potentia contra suam uocationem: sed seipsum exinaniuit, id est, non exeruit potentiam suam, & humiliavit se formam serui accipiens, id est, induens cum humana natura mortalitatem, habitu inuentus ut homo, id est affectibus, pauore, tristitia, dolore. Teneatur ergo discrimen naturarū: sed simul illud sciatur, propter unionem personalem ueras esse has propositiones, Deus est passus, crucifixus, mortuus: nō cogites humanam naturam solam esse redemptricem, et nō totū filium Dei, nam etiā si
 natura

natura diuina non laceratur, non moritur, tamen scias uere hunc ipsum filium coeternū Patri, redēptorem esse. Ideo tradūtur regulæ in hac doctrina, de communicatione idiomatum: id est, de prædicatione proprietatum, quæ de utraq; natura communiter, sed in concreto dicuntur, uidelicet ut intelligantur proprietates personæ tribui.

Diligentia digna est pijs, propter concordiam loqui cum Ecclesia. & non sine eruditis causis, Ecclesia uetus alios modos cōprobauit, alios reiecit. Fugiamus autē studiū cauillādi, et formas receptas graui & uera autoritate retineamus. Hæc propositio non est uera, Natura diuina est humana: sed hæc est uera, Deus est homo, Verbū est homo, Christus est homo, Christus est Deus, Deus est natus ex uirgine, passus: quia hæc persona, in qua unio ne personali unita est humanæ naturæ diuina, nascitur, crucifigitur. Hanc loquendi formā in cōcreto uocāt, cōmunicationē idiomatū: id est, prædicationē, in qua proprietates naturarum personæ recte attribuuntur, ut filius Dei sit redemptor, non tantum natura humana sit redemptrix. Item ueræ & receptæ sunt hæc propositiones, Verbum factū est caro, Verbum factū est homo, Deus incepit esse homo. Ecōtra uerò reiectæ sunt hæc propositiones, Verbum est creatura, Christus est creatura, Christus incepit esse, Christus factus est.

Pium, cū ecclesia loqui.

Ariana hæ-
resis.

enim vitata est ambiguitas : et vitatæ sunt insidiæ. Nam Ariani sic loquētes, non de natura humana Christi assumpta loquebātur, sed alterā naturā in Christo priorē humana contendebāt ex nihilo conditam esse, non esse imaginē æterni patris, genitū de substantia eius, *ὁμοούσιον* & coeternam Patri. Verbū est homo, recepta est, quia intelligitur Verbū assumpsisse humanā naturā. Verbū est creatura, reiecta est, quia nō intelligitur assūptio alterius naturæ, sed prædicatū significat *ἄδραμ* esse creatū: quod falsum est. Hæc recēsui, ut moneā studiosos, ut in loquēdo diligentia adhibeant dignā pijs mētibus, ac orthodoxæ Ecclesiæ sermonē imitentur.

Est & illa responsio tenenda : Quædam dicta de essentia loquuntur, quædam de officijs. Ariani citabant hoc dictum, Pater maior me est: quod manifeste loquitur de discrimine mittētis et missi, non de essentia. Cum enim Iudæi accusarent Christū, quod doceret contra autoritatem Dei, necesse fuit Christo allegare autoritatē Patris, à quo affirmat se missum esse, & traditam sibi doctrinam & mandatum docēdi, ac Patrem maiorem esse dicit, tanquam mittentem, fontem doctrinæ, approbatorem & defensorem huius doctrinæ & Ecclesiæ suæ. Filius missus, hic subit crucem, et Ecclesia plena est infirmitatis : sed de Patre clamat Christus, Pater maior me est, is mecum operatur, defendet hanc doctrinam & Ecclesiam suam. Ita alibi dicitur, Pa

ter glorifica me. Hoc dictū tam poterat citari ab Arianis, quā alterum. Sed facit discrimē officiorum, non loquitur de essentia: Nunc missus subiectus sum cruci, & seruo mee uocationi: Deinde uero gloriam mihi restitue, quam ante mundi constitutionem apud te habui. At hoc dictum de essentia loquitur Ioan. 1. Verbum erat Deus.

Sæpe locum habet et hæc responsio, quam cer te in Prophetis animaduerti neesse est. Alia dicta loquuntur de regnante Christo, ut, Quæ pater facit, hæc & filius similiter facit. Alia dicta de humiliato & patiente Christo loquuntur, ut, Deus quare dereliquisti me. Non dicitur de essentia, sed illius tēporis obediētia describitur, in qua irā Dei aduersus humani generis peccata in filium effudit.

Et regula tenēda est, filium Dei assumpsisse humanam naturam integram, incorruptam, habentē omnes uires & appetitiones nature proprias & ordinatas. Item non uitiosam, sed tamē passibilem, sine peccato, & mortalē. Quas infirmitates assūpsit uolens, propter nos, ut fieret uictima. Sic ad Hebræos 4. dicitur: Non habemus pontificē, qui non possit cōpati infirmitatibus nostris, sed tenta tū per omnia, secundū similitudinē sine peccato. Et si igitur Christus uidebat Patrem, & erat beatus, tamen humana natura habuit suas appetitiones, sed ordinatas. Et hæc sæpe recitantur: Esurit, sitit, letatur, irascitur, dolet, lachrymat, conflicta-

De Christo
gnante alia, a
lia de patien
te dici.

Christo qua
lis natura hu
mana susce
pta.

Christi crucien-
sus sudor.

tur ingenti mœstitia. sicut ipse inquit: Tristis est anima mea usq; ad mortem. Et quia motus cordis in mœstitia pellit, ut omnes experimur: tātus in Christo motus est, ut sanguis expellatur, ac sudor esset similis guttis spissi & concreti sanguinis. nam id significant *hō. ubi.* Talem resolutionem nemo alius sustinere potuisset. Hi affectus in Christo non fuerunt simulati, sed ueri & ingentes motus.

Christi in agone
mœstoris
causa.

Nec cogitemus Christum fuisse lapidem, aut Stoicū: sed uere lætatus est, uere conflictatus mœrore, & illa ingens mœstitia in agone, multas causas habuit. Non tantum formidat lacerationē corporis, sed sentit maius onus, scilicet irā Dei aduersus peccata generis humani, quā scit in se effundi, perinde ac si ipse sese omnib; horrēdis scelerib; poluisset. Doluit itē magnā partē generis humani periturā esse, spreto hoc beneficio Dei. Isti ingentes dolores à nobis nec intelligi nec sustineri possunt. Sed tamē Ecclesiā aliquid de his tātis rebus cogitare necesse est: quæ ideo onerata est cruce, ut agnoscat magnū quiddā esse irā Dei aduersus peccata.

Cum igitur præcipua ira effusa sit in filium, mœstitiā fuisse ingentē necesse est, qua doluit Deū offensum esse à genere humano, & luctatus est cū tētatione de abiectioe. Ideo et angelus mittitur ad eum confirmandū. Hæc cogitanda sunt, ut aliquo modo magnitudinem peccati inde æstimemus, &
Christo

Christo gratias agamus, quod pœnã pro nobis subiit, et simul pro nobis factus est deprecator: et hac cogitatione fidẽ, inuocationẽ et timorẽ excitemus.

Quod uero disputant, an fuga mortis in Christo fuerit uitiosa, cum pars inferior non obtemperauerit superiori, primò respondeo: lacerationes in carne naturaliter efficere dolores, etiam sine peccato. Item aliquas mœstittias in corde & uoluntate naturales esse, quæ in Christo sine uitio fuerunt: doluit, sed non, ut nos, inordinate.

Mortis hor-
ror in Christo
an uitiosus.

Deinde supra illũ naturalem dolorẽ est in Christo, sensus iræ Dei aduersus peccatum generis humani. agnoscit & dolet, Deũ uere et horribiliter offensum esse propter peccata generis humani, & luctatur cum tentatione de abiectiõne. Quanquam igitur in hac lucta est quædam trepidatio, quia uniuersaliter natura supra uires onerata, gemit: tamen dissimilis est hæc trepidatio, seu hic gemitus in Christo, & in cæteris hominibus. Christus fert terrores sine indignatione aduersus patrem, & agnoscit esse obsediendum Patri: ideo hæc trepidatio est sine peccato, & non est uitiosa. At in cæteris hominibus, cum fuga extitit fremitus aduersus iudiciũ Dei, & in his qui non eluctantur confugiẽtes ad uictoriam Christi, accedunt horrendæ blasphemie. Nec addam longiorem disputatiõnem: nam pios sue ærumnæ ad harum rerum cogitationem

nem deducunt. Nos tamen commonefieri utile est, & collatio similiū agonum in Psalmis & Prophe-
tis hæc aliquo modo declarat.

Quod uero de pugnancia dicunt, beatū cum sit
in excellenti læticia, non simul esse in magna con-
sternatione: respondendū est, fuisse certū tempus
passionis, quo nō ita fulsit illa gloria beatitudinis,
ut alio tēpore. Fuit enim tēpus destinatū ad hunc
agonē, in quo Christus uere fieret uictima, requie-
scente uerbo, ut inquit Irenæus: Hac tēporum di-
stinctione contēti simus. Alij querūt alias respō-
siones, de quibus iudicium relinquo lectoribus.

DE SPIRITV SANCTO.

Spiritus uaria
significatio.

NOMEN Spiritus in genere significat a-
gitationem, aut naturam seu uim agitantē.
& obseruanda est uarietas in ipsis scriptis Prophe-
ticis & Apostolicis, nec temere omnia dicta mi-
scenda sunt, in quibus reperitur uocabulum Spi-
ritus. Sæpe significat uentos, sæpe uitam hominis,
sæpe motus seu impetus hominum creatos, tum bo-
nos, tum malos. Hic significat essentiam spiritua-
lem, id est uiuam, intelligentem, incorporeā, effi-
cacem. Deus est Spiritus: estq; hoc loco nomē com-
mune Patri & alijs personis. Delectus igitur adhi-
bendus est in testimonijs colligēdis, ac prudēter iu-
dicandum, ubi proprie loquatur scriptura de Spiri-
tu sancto, quem prædicat Euangeliū dari per Chri-
stum.

stum, ut sanctificet ac uiuificet corda nostra, et quæ Ecclesia agnoscit personam esse diuinam, uiuificantem & sanctificantem.

Idq; confirmandum est, Spiritum sanctum esse personam. nam multi impij et audaces homines in disidijs ecclesiasticis contenderunt, Spiritum sanctum nō esse personā, sed tantū significare agitationē creatā in hominibus, aut certe significare ipsū Patrem potentem seu agitantem sine alia persona.

Spiritus factus
est persona.

Sed huic impio sophismati, Ecclesia uera oppo- nit testimonia, in scripturis tradita. Quorum primum & maxime illustre est, reuelatio diuinitatis facta in baptismo Christi, ubi clare discernuntur tres personæ. Pater inquit, Hic est filius meus dilectus. Est igitur alia persona Patris, alia filij. Descendit autem Spiritus sanctus in specie columbæ. Iam si Spiritus sanctus esset agitatio in animis creata, non appareret peculiari specie corporali. aut si esset ipse Pater, nō discerneret Spiritum sanctum. Inquit autem, Super quē uideris Spiritum sanctū.

Sic & in Pentecoste, apparet Spūs sanctus peculiari specie corporali. Hæ patefactiones nō sunt frustra factæ: imō sunt excellentia beneficia Dei, in quibus Deus se patefecit Ecclesiæ, & testificatus est Spiritum sanctum esse personam.

Ad hæc testimonia adiungatur dictum de Baptismo: Ego baptiso te in nomine Patris, & filij, et Spiritus

Spiritus sanctus non simpliciter persona.

Spiritus sancti. id est, testificor te recipi à Deo, quem super te inuoco, Patrem, filium, & spiritum sanctum. Cum autem ad Spiritum sanctum dirigatur inuocatio, sicut ad Patrem, & filiū, necesse est eum personam esse, & non motū seu agitationem creatā in homine. Nequaquā enim docet Christus, inuocare motum aut agitationē creatam in homine. Cum igitur inuocatio pariter ad Spiritum sanctum, ut ad Patrem & filium dirigatur, hæc sententia docet, non solum personam esse Spiritum sanctum, sed etiam omnipotentem, exaudientem et saluantē. Hæc enim omnia complectitur inuocatio, quæ parem honorem tribuit Patri & filio & Spiritui sancto. Est igitur tertia persona Spiritus sanctus: ac discernitur à Patre & filio, ut supra dixi, quia procedit à patre & filio, & mittitur in corda, quæ uoce Euangelij regenerantur, ut noua luce agnoscant & inuocent Deum, & inchoetur in eis uita æterna, dum fide consolationē concipiūt.

Ioannis 14. Rogabo Patrem, & alium paracletum dabit uobis. Cum ait, Alium, discernit à Patre & filio hunc paracletū. Non igitur significat Spiritus ipsum Patrem agitantiē: non enim esset alius, nec significat agitationē creatam. non enim mitteretur à filio, si esset Pater agitans, aut tantum agitatio creata à Patre. At Christus inquit, Ioan. 15. Cum uenerit paracletus, quem ego mittam uobis à

Patre,

Patre, Spiritus ueritatis, qui à Patre procedit: à se, inquit, mitti Spiritum sanctum. Non est igitur aut pater agitās, aut tantū agitatio creata à patre.

Sunt et hæc personæ propria: Alius paracletus, quod docebit uos, et quæ audiet, loquetur. Si Spiritus significaret agitationem creatam, esset doctrina, non doctor alius à Patre et filio, audiēs et accipiēs.

Sic et Paulus 1. Corinth. 12. clare discernit Spiritum sanctum à donis creatis, autorem ab effectibus: Omnia, inquit, hæc efficit unus et idem Spiritus. Eodem modo loquitur Rom. 8. Ipse Spiritus dat testimoniū spiritui nostro. Discernit hic quoque mouentem et consolantem Spiritum sanctum, à consolatione qua cor erigitur et uiuificatur. Eodem modo loquitur 2. Corin. 3. Transformamur tanquam à Domini Spiritu. Vbi etiam effectorem discernit à creata in nobis luce, ut ibi inquit: id est, à clara et firma noticia, id est firma fide et inuocatione. Eodem loco expresse dicit, Spiritum esse Dominum, id est Deum. Nam cum inquit, Dominus est Spūs: articulus tribuit nomini Spūs locum et intellectum subiecti. Et sic Basilius eum locum citat.

Quod autem Spiritus sanctus fuerit, antequam carnem induit filius Dei, perspicue testatur Petrus, cum inquit de Prophetis: Spiritus Christi in eis, prædicens Christum passurum esse. Hic disertè uocatur Christi Spiritus, qui fuit in Prophetis. Eodem

Spiritus sanctus ante Christum incarnatum.

d igitur

igitur Spiritu sancto, et Patres & Apostoli, et pii
deinceps, hoc est omnes electi omnibus tempori-
bus sanctificati sunt. Idq; multo illustrius docent
uerba Esaiæ 59. Hoc fœdus meū cum eis, dicit Do-
minus: Spiritus meus, qui est in te, & uerba mea,
quæ posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, nec
ab ore seminis tui, dicit Dominus, deinceps & in
sempiternū. Eundem Spiritum ait esse in Esaiæ, &
in tota Ecclesia ad omnē eternitatem. Non igitur
tantū post resurrectionē Christi effusus est in pe-
ctora sanctorū Spiritus sanctus, sed semper eodem
spiritu sancto omnes electi sanctificati sunt. Et qui-
dem dictū Esaiæ, dulcissimā doctrinā et consolatio-
nē proponit. Affirmat semper mansurā esse eccle-
siam Dei: & ibi mansuram, ubi sonat uox Euange-
lij: & cum ea uoce, efficacem esse Spiritū sanctū.

Esaiæ locus.

Et Zach. 7. dicitur, Verba quæ misit Domi-
nus exercituum, in Spiritu sancto, per manum pro-
phetarum priorum. Hoc dicto etiam utrunq; affir-
matur, & gubernatos esse spiritu sancto prophe-
tas: & uerbum Dei nō esse inanē sonitum, sed ad-
esse Spiritum sanctum, & ea uoce mouere & accē-
dere mentes: quod firmissime statuendum est pijs,
ut sciant uere Deum efficacē esse per uerbū suum
in mentibus credentium, & in eis accendere uitam
æternam. ut Gal. 3. dicitur, Vt promissionē Spiri-
tus accipiamus per fidem: ut infra rursus dicam.

Ita & Esaias Cap. 63. affirmat spiritum sanctum fuisse ductorem & gubernatorem Moysi & populi in deserto. Quo dicto significat, semper adesse spiritum sanctum in Ecclesia Dei. Sic Christus clare dicit, Ioan. 14. Dabit uobis alium paracletum, ut maneat uobiscum in sempiternum, spiritum ueritatis. Verba Esaiæ hæc sunt: Vbi est qui eduxit eos de mari cum pastore gregis sui: ubi est qui posuit in eo spiritum sanctum suum: qui eduxit dextra Moisen, brachio maiestatis suæ: qui scidit aquas ante eos: et deinde addit, Spiritus Domini ductor eius fuit.

Hæc dicta ostendunt, doctrinam de spiritu sancto exiitisse in Ecclesia patrum & prophetarum. Ideo etiam ueteres hoc dictum in Genesi intellexerunt de spiritu sancto, qui est persona diuinitatis: Et spiritus Domini ferebatur super aquas. Sic enim ait Basilius: Siue quod uerius est, & enarratum ab ijs qui ante nos fuerunt, loquitur de spiritu sancto Dei: quia scriptura hoc obseruat, ut cum ait spiritus Dei, intelligat spiritum sanctum, qui est diuinae trinitatis tertia persona. Ac si hoc modo intelliges dictum Moysi, maiorem capies utilitatem. Quomodo enim ferebatur super aquas? Narrabo tibi sermonem Syri cuiusdam, qui ait, uocem hic positam significare idem quod fouere uitali calore, sicut auis incubans fouet oua. Hactenus Basilius.

Sed testimonia ex nouo Testamento recitata,

illustriora sunt. Hoc uero dictū in Genesi quoquo modo expones, tamen significat foueri Ecclesiā, in cubante, docente, & accendente in ea lucē et inuocationem spiritus sancto. Id firmissima fide tenendū est, sicut in Actis Cap. 2. dicitur Christus sedere ad dextrā Patris, ut det spiritū. Idem in dicto illo traditur: Ascendit, dat dona hominibus. Hac igitur si de petamus, ut filius Dei nos regat Spū sancto suo.

Recensui testimonia, quæ personam esse Spiritum sanctum, conuincunt, quibus addam et illud 1. Ioan. 5. Tres sunt qui testimoniū perhibent in cælo, Pater, ^{70, 75,} & spiritus sanctus, & hi tres unū sunt. Quod disertē inquit, testimonium perhibent: admonet nos de patefactione Dei, ut Deū sic agnoscamus, ut se patefecit. Testificatur Deus de sese, quis & qualis sit uerus Deus, conditor rerum, cōseruator & opitulator. Testificatur & de doctrina sua, & de uoluntate erga nos: & affirmat tres esse in cælo, qui testimonium ediderunt.

Testimonia
personas discernentia.

Teneantur ergo testimonia discernentia personarum. Pater se patefecit et discernit, cū clamat, Hic est filius meus dilectus. Item Ioannis 12. Et glorificauit, & glorificabo. Filius de Patre, de sese, & de Spiritu sancto testificatur in doctrina sua, quā miraculis et sua ipsius resurrectione confirmauit. Spiritus sanctus discernitur, quia peculiari specie effunditur in Christum & Apostolos, & testificatur

tur postea in inuocatione, confessione, miraculis, fortitudine tolerandi supplicia, &c. Non igitur frustra Ioannes testimonij mentionē facit: sed ideo sic loquitur, ut nos admoneat, ut ita agnoscamus Deum, sicut se patefecit, & ipsa testimoniorum editione nos confirmemus.

Etsi autem noui testamenti dicta sunt magis perspicua, tamen his congruunt testimonia prophetarum. Significata est persona diuina in dicto Ioel, Ioelis locus, cum ait Deus, Effundam de spiritu meo super omnem carnem. Quia enim inquit, meo, testatur nō mitti creatam agitationē, sed aliquid essentiaē Dei. Necessē est autem personam esse distinctā, quæ est aliquid Dei, & tamen non est Pater. Quanta autē misericordia, quantus amor est erga genus humanum, quod Deus hunc amoris ignem in nos transfundit, coessentialē ipsi.

Collegit et Basilius testimonia multorum, quorum ante ipsius ætatem in Ecclesia præcipua fuit autoritas, quod meminisse utile est. Confirmantur enim pij, cum audiunt doctrinam certis testimonijs uera & purioris Ecclesiæ traditam esse. sicut de Ecclesia audienda scriptum est: Nisi uitula mea arassetis, non inuenissetis.

Ac inter cætera, hoc dictū Eusebij Palestini citat: Sanctū Deum lucis conditorē, per saluatorem nostrū Iesum, cum Spiritu sancto inuocātes. Hæc

uerba ostendūt, ueteres disertē tres personas in inuocatione complexos esse, & ea forma loquēdi de filio ufos esse, ut animi simul de mediatoris intercessionē & de promissionibus commonefierent.

Huc pertinet etiam testimoniū quod recitamus in Symbolo, Credo in Spiritum sanctum. Ut enim supra dicitur, Credo in Deum Patrem, et in Iesum Christum: qua forma sermonis, personas alloquimur, & ab eis bona petimus, & fiducia auxiliij Patris & Filij acquiescimus: ita cum hic dicitur. Credo in Spiritū sanctum, persona intelligatur, & petamus ut hic *ωπαύνησθε* mittatur in corda nostra, regat et ducat nos in tantis uitae periculis: sicut duxit Moysen per mare rubrum, ut inquit Esaias.

Conciliorum
de Spiritu san-
cto testimonia

Hactenus ueram & salutarē doctrinam de personis recensui. Et quia dixi testimonia uerē Ecclesiae non negligenda esse, legant pij etiam historias, uideant in quibus synodis haec doctrina fideliter defensa & illustrata sit. Antiochena refutauit Samo-
satenum. Nicena condidit Symbolū Nicenum, & praecipue illustrauit sententiā de duabus naturis in Christo. Constantinopolitana defendit hunc articulum, Spiritum sanctū esse personā procedentē à Patre et filio. Ephesina damnauit Nestoriū, qui finxerat, non unitas esse duas naturas in Christo, sed δύο *ἀσistere* Christo, sicut amicus amico adest. Chalcedonēsis damnauit Eutychē, qui cōfunde-
naturas,

naturas, & fingeat humanam conuersam in diuinam, ut cum ex aqua factum est uinum: nec fuisse duas naturas unitas. Hæ sunt præcipuæ Synodi, quarum iudicia meminerimus & amplectamur.

Econtra etiam in historijs cōsideremus, qui furores sæpe exorti sint contra uerã de essentia Dei doctrinam. Marcion & Manichæi finxerunt duos Deos pariter æternos, pugnantes inter sese, bonũ & malum. Ac bonum uocarunt lumen, malum tenebras: & bonas naturas dixerunt à bono conditas esse, materiam uitiosam à malo.

Hæc portenta refutare discamus. Vnus est enim conditor omnium rerum, & quidem bonus, ut supra dictum est in definitione Dei. & Esaiæ 45. dicitur: Præter me non est Deus alius, formans lucẽ Eliæ locus. & creans tenebras. id est, corpora in quibus sunt tenebræ, seu corpora obscura. Dans pacẽ et creans malum: id est, corpora nocentia.

Fugiamus etiam portenta Valentianorũ, qui finxerunt innumerabiles Deos: seu nomina tantũ allegoricẽ cumulãtes, ut Hesiodus cumulat Chaos, noctem, Erebum, Saturnũ, Iouem, & alios: seure ipsa putantes esse innumerabiles æternos deos. Quia mirum uidetur, unum aliquem in æterna solitudine cogitare. Semper ab initio mundi diabolus & sparsit, & sparget horribiles furores, ut uerum Deum contumelia afficiat, & humanæ imbe-

cillitati insultet. Aduersus illos furores tradidit nobis Deus certam doctrinam per patres, prophetas, Christum & Apostolos. hac luce uult Ecclesiā regi, nec alias opiniones admittere.

Vt foetus in matre sedet circundatus aluo, sic nos uerbo Dei inclusos esse sciamus, donec quasi editi in aeterna uita palām cernemus Deum. Interim Deo gratias agamus, quod se nobis patefecit, & reuerenter illi patefactioni assentiamur.

Vera de trinitate fides.

Sciamus non plures esse personas diuinitatis, quā tres. Vnum esse coaeternum patrem Domini nostri Iesu Christi, unū filium imaginē aeterni Patris Iesum Christū, unum Spiritū sanctum. & has tres personas tamen *diuorsius* esse, et simul omnia condidisse: & discrimina discamus, ut suprā recitauimus, ac beneficia propria cuiusq; personae intelligamus. Quia enim Deus sic se patefecit, uult ita agnosci & discerni personas. Pater fons est omnium beneficiorum: sed filius proprie est mediator et reconciliator, et factus est pro nobis uictima, cū naturā humanā assumpsisset: Spiritus sanctus mittitur in corda credentiū, ut nouā lucē, iustitiā et uitam aeternam accendat. ut uocat eum Zacharias, Spiritū gratiae & precum: id est, testificantē in nobis nos receptos esse in gratiam: & mouentē cor, ut hoc credat & statuat. Item, impellentem ad inuocationem, quia iam exaudiri nos credimus.

Hac

Hec doctrina de tribus personis in inuocatione quotidie proferatur. in qua certe hoc primum omnium ardentissime petendum est, ut Deus pectora nostra regat, ut recte de ipso sentiamus, ac uere eum inuocemus, nec ab eo aberremus ut Ethnici, recentes Iudaei, Mahometistae, haeretici, Marcion, Manichaei, Valentiniani, Samosatani, Ariani, & alij fanatici. Teneatur ergo certa aliqua & uera forma, cuius recitatio nos de uera doctrina admoneat.

Omnipotens aeternae & uiuae Deus, aeternae patris Domini nostri Iesu Christi, qui te patefecisti in mensa bonitatis, et clamasti de filio tuo Domino nostro Iesu Christo, HVNC AVDITE, conditor omnium rerum & conseruator & opitulator, cum filio tuo coaeterno Domino nostro Iesu Christo, regnante tecum, et patefacto in Ierusalem, Spiritu sancto tuo effuso in Apostolos: sapiens, bone, misericors, Iudex & fortis. qui dixisti, Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat: & dixisti, Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te. miserere mei, propter Iesum Christum filium tuum Dominum nostrum, quem uoluisti pro nobis esse uictimam *νὴ μοίρας, νὴ ἰκέρων*, & sanctifica, rege, iuuua, accende cor & animam meam Spiritu sancto tuo, ut te uere agnoscam & inuocem, tibi uere credam, gratias agam, & obediã. rege & serua Ecclesiam tuam, sicut promisisti, inquit: Hoc

Oratio ad Patrem

est fœdus meū cum eis, Spiritus meus qui est in te, & uerba mea quæ posui in ore tuo, nō recedent ab ore seminis tui in æternum. Semper luceat in nobis Euangelium tuum: & rege & confirma corda nostra Spiritu sancto tuo, ne in furores Epicureos aut fanaticos ruam: guberna studia Ecclesiæ, et de fende politias, quæ præbent hospitia Ecclesijs.

In tali inuocatione quotidie de essentia Dei, de patefactione, de beneficijs, de promissionib. cogitemus. Simul enim hac cogitatione erudimur de personis, & accenditur fides, et segregatur inuocatio nostra ab ethnica, Iudaica & Turcica, quod fieri necesse est. Nam inuocatio nulla placet Deo, nisi fiat cogitatione & fiducia Christi mediatoris, ut scriptum est: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, id est me nominato, me monstrantes intercessorem, dabit uobis. Item: Nemo uenit ad Patrem, nisi per me. Experiemur autem, hanc ueram inuocationē in Euangelio traditā, non esse irritā.

Ac intueantur mens & oculi in testimonia patefactionis illustra, ut in Baptismum Christi, in Christum resuscitantem mortuos, & post resurrectionem familiari conuersatione se ostendentē multis, & in Spiritus sancti missionē. Hæc uisibilia testimonia ideo exhibita sunt, ut Ecclesiam doceant & confirmēt: & quia exhibita sunt, uult ea Deus affici & cogitari. Non tantum propter baptismum

Inuocatio
quomodo placet
Deo.

tunc se patefecit diuinitas, sed hoc testimonio uoluit Deus confirmari uniuersam Ecclesiã eius temporis, et posteritatis. Imò et angelos illud admirandum spectaculũ Dei, prodeuntis ex latebris suis, & se Ecclesiæ suæ ostendentis, erudijt.

Hæc testimonia cū cogitabimus, accēdetur lux in cordibus, ut firmiter statuamus uerè adesse Deũ, & recipere nostras preces, ac opitulari, sicut promisit. Hanc enim fidẽ ad precationẽ afferri necesse est. Pie etiã hac forma utemur, directa ad mediãtorem, quæ etiam complectitur tres personas.

Iesu Christe fili Dei uiuui, crucifixe pro nobis, & resuscitate, qui regnas ad dexteram Patris, ut des dona hominibus, & constitutus es interpellator pro nobis, miserere mei, & intercede pro me apud æternum Patrem tuum, & sanctifica me Spiritu sancto tuo, sicut promisisti inquitens, Non relinquam uos orphanos, &c.

Oratio ad Christum.

Pie & hac forma utimur. Spiritus sancte effuse in Apostolos, quem promisit nobis filius Dei, redemptor noster, ut accendat in nobis uerã agnitionem et inuocationẽ Dei: sicut scriptum est, Effundã super uos spiritũ gratiæ & precũ: exsuscita in cordibus nostris uerũ timorẽ Dei, et uerã fidẽ et agnitionẽ misericordiæ, quam nobis æternus Pater Domini nostri Iesu Christi propter filiũ promisit: sis nobis paracletus in omnibus consilijs et periculis.

Oratio ad Spiritum sanctũ.

lis: & accende mentes nostras, ut uera obedientia, Patrem Domini nostri Iesu Christi, et filium eius redemptorem nostrum, & te perpetuo celebremus.

Si hoc modo in inuocatione cogitabimus de personis & de beneficijs, proficient mentes & eruditione & pietate. Ceterum illud sciant studiosi, appellationes potentiae et uirtutum communes esse omnibus personis, uidelicet nomina sapientiae, bonitatis, iustitiae, misericordiae, fortitudinis, puritatis. Nec sunt haec uirtutes distinctae res ab ipsa essentia. Sicut potentia patris est pater, sic iustitia patris est pater, sic iusticia filij est filius. Et considerandum est, quomodo haec nomina in scriptis Prophetis usurpentur, et adhibenda est diligentia proprie & recte loquendi.

DE CREATIONE.

Voluit Deus innotescere, et se conspici: ideo condidit omnes creaturas, & miram artem adhibuit, ut conuinceret nos, non extitisse res casu, sed esse aeternam mentem, architectatricem, bonam, iustam, spectantem hominum facta, et iudicantem. Quamquam autem haec consideratio uniuersae naturae admonet nos de Deo, ut postea rursus dicam: tamen nos referamus initio mentem & oculos ad omnia testimonia, in quibus se Deus Ecclesiae patefecit, ad educationem ex Aegypto, ad uocem sonantem in Sinai, ad Christum resuscitantem mortuos, & resuscitatum ascendentem in caelum, ad uocem aeterni Patris de
Christo

Christo sonātem, Hunc audite: ad missionem Spiritus sancti. Hæc testimonia ædita & proposita sunt, ut nos in hac naturæ imbecillitate magis perspicuè erudiant, conuincant, & confirment. idè semper defixæ sint mentes in horum testimoniorum cogitationem, et his cõfirmatæ articulum de creatione meditentur, deinde considerent etiam uestigia Dei impressa naturæ.

Est autem articulus de creatione, Gene. 1. & a Creationis articulus.
 libi sepe expressus: quod uidelicet Deus æternus, pater Domini nostri Iesu Christi, unà cū filio cœterno, Spiritu sancto, condiderit ex nihilo cœlū & terram, angelos & homines, & omnia reliqua corpora. Sic de filio dicitur Ioan. 1. Omnia per ipsum, scilicet filium, facta sunt. & de Spiritu sancto creāte dicitur, Psal. 32. Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris eius omnis uirtus eorū.

Quod autem res ex nihilo conditæ sint, docet hæc sententia: Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. id est, dicente seu iubente Deo res exortæ sunt. Non igitur ex materia priore extractæ sunt, ut Stoici duo genera fingeant, mentē & materiam: sed Deo dicente, cum res non essent, esse cœperunt. & cum Ioannes inquit, Omnia per ipsum facta esse: refutat Stoicam imaginationem, quæ fingit materiam non esse factam. Hæc de articulo creationis in Ecclesia moneri necesse est.

Sed

Imaginatio
ptaua in crea-
tionis arti-
culo.

Sed nondum satis dictū est de hoc tanto articulo. Infirmetas humana, etiamsi cogitat Deum esse conditorē, tamē postea imaginatur: ut faber discedit à naue extracta, et relinquit eā nautis, ita Deū discedere à suo opere, et relinqui creaturas tantū propriæ gubernationi. Hæc imaginatio magnā caliginem offundit animis, et parit dubitationes.

Alij, ut Stoici, fingunt Deū alligatū causis secundis, nec quicquā aliter posse fieri, quā ut causæ secundæ ciēt. alij, ut Epicurei, omnia casu uolui et confundi. Vterq; error magnos tumultus in humanis mētibus excitat. Quoties in periculis sumus, quæ superāt humana cōsilia, mouemur cogitatione causarū naturalium, ut arbitremur malū immedicabile esse, quia arbitramur naturam sic ferri sine Deo.

Res conditas
perpetuo sus-
tentari etiam
à Deo.

Aduersus has dubitationes, confirmandæ sunt mentes cogitatione uera articuli de creatione: ac statuendum est, non solum conditas esse res à Deo, sed etiam perpetuò seruari ac sustentari à Deo rerum substantia. Quotānis fecundat Deus terrā, procreat fruges ex terra, impertit uitam uiuentibus. Hæc rerum sustentatio, seu conseruatio, usitata appellatione uocatur actio Dei generalis: quæ tamen non ita alligat eum causis secundis, ut nihil faciat aliter, quā ut causæ secundæ ciēt. Sed Deus est liberrimum agens, seruat sui operis ordinem, et tamen multa propter homines mitigat. Cedit natio

Dei actio.

rarerum precibus Moisi, Eliæ, Elisæi, Esaiæ, & omnium piorum: sicut Christus inquit Matth. c. 21. Omnia quæ petetis, credentes accipietis. Si dicetis monti huic, iacta te in mare, fiet. Item: Iacta curas tuas in Deum, & ipse te enutriet.

Adest Deus suæ creaturæ, sed non adest ut Stoicus Deus, sed ut agens liberrimum, sustentans creaturam, & sua immensa misericordia moderans, dans bona, adiuuans, aut impediens causas secundas. De hac distinctione admoneri pios necesse est. Teneantur ergo testimonia, quæ docent adesse Deum naturæ rerum, et gubernatorem eius et moderatorem esse, ut in periculis nostris non frangamur cogitationibus Epicureis aut Stoicis: non cogitemus casu nos opprimi aduersis, aut fatalē ordinē causarum immutabile esse: nec res secundas ad casum, aut tantum ad phycas causas referamus, sed Deum agnoscamus uerè largiri bona, et moderari naturam.

Deus naturæ
moderator.

Act. 17. In ipso uiuimus, mouemur & sumus. id est per ipsum datur, sustentatur, & fouetur uita nostra. Hebr. 1. Ferens omnia uerbo potentie suæ. Colof. 1. Omnia per eum consistunt. 1. Timo. 6. additur descriptio Dei. qui uiuificat omnia. 1. Timo. 4. Speramus in Deo uiuo, qui est saluator omnium hominum, maxime fidelium. id est, omnibus benefacit, fouens uitam, gignens fruges, seruans genus humanum, ut inde sibi colligat Ecclesiam:
maximè

maxime uero iuuans Ecclesiã, in qua non solũ corpora fouet, sed etiam largitur eterna bona. 1. Timoth. 6. In Deo uiuẽte, qui præbet nobis abunde omnia ad fruendũ. Matth. 10. Duo passeret asse ueneunt, & unus ex illis non cadet super terrã sine patre uestro. Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. Psal. 103. Omnia à te expectant, ut des eis escam in tempore suo: dan te te illis colligent: aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate: auertente te faciem, turbabuntur. auferes spiritum eorũ, & deficient, & in puluerem suũ reuertẽtur. Emitte spiritũ tuum, et creabũtur, et renouabis faciẽ terræ. Psal. 144. Oculi omnium in te sperant, & tu das escam illis in tempore opportuno. Aperis tu manũ tuã, & imples omne animal benedictione. Psal. 32. De cælo respexit Dominus, uidet omnes filios hominum, fingit singulatim corda eorũ, intelligit omnia opera eorũ. Psal. 146. Qui operit cælum nubib. et parat terræ pluuiã. Qui producit in mōtib. scenũ. Qui dat iumentis escam ipsorũ, et pullis coruorũ inuocãtib. eũ. Psal. 35. Homines et iumenta iuuabis Domine.

Peculiares promissiones Ecclesiæ de uita, uictu, & defensione corporũ multæ factæ sunt, quæ etiã testantur Deum adesse creaturis, sustentare nos, et moderari causas naturales. Psal. 32. Beneplacitũ est Domino super timẽtes eũ, ut eruat à morte ani

inas eorū, & alat eos in fame. Psal. 33. Non est inopia timentibus eum. Psal. 36. Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur. Osee 2. Et nesciuit hæc quod ego ei frumentū dederim, ideo rursus auferam frumentum meum.

Idem docent benedictiones & maledictiones; Deut. 28. Abundare te faciet Dominus fructu terræ tuæ. Item, erit cœlū æneum. Et Prouer. 3. Egestas à Domino in domo impij, habitacula autē iustorū benedicentur. Prouer. 10. Benedictio Domini diuites facit. Psal. 126. Nisi Dominus ædificauerit domū, frustra laborat qui ædificat eam. Hic clarè affirmat, secundas causas irritas esse, nisi à Deo iuuentur. Psal. 99. Scitote quod Dominus ipse est Deus, ipse fecit nos, & non ipsi nos. Nos autem populus eius, & oues pascuæ eius. id est, Non nascimur casu, non uiuimus tantū causis secundis, nostris consilijs & uiribus, sed Deo uiuificāte, et seruante.

Causæ secundæ

Postremò idem docet precatio Dominica, quæ à Deo petere iubet panem quotidianū. Confitemur ergo Deum largiri uictum, & terram non esse fecundam nisi Deo iuuante.

Collegi mediocrem aceruum testimoniorū, quæ enarrant articulum de creatione, ac affirmant Deū adesse creaturis sustentatorē & moderatorem, & refutant opiniones Epicureas & Stoicas. Quia enim promittit Deus pijs & inuocantibus bona, & mina

Deus non alligatus causis secundis.

Annō ac frugum caritas unde.

tur pœnas impijs, constat eum liberè agere, nec alligatum esse causis secundis, sed multa mitigare propter pios, multa exasperare propter impios. sicut exēpla ostendūt. Propter idolorū cultus triēnio nō pluit, regnante Achab: sed redditæ sunt pluuiæ, Elia petente. Talib. testimonijs confirmadæ sunt mētēs in inuocatione. Non enim possunt à Deo petere uitæ, et uitæ defensionē, si fascinatæ Epicureis aut Stoicis opinionibus sentiant, aut casu omnia ferri, aut Deū non moderari secundas causas. Imò ideò eripit Deus fruges hominibus, quia putant eas naturali quadā uī nasci, etiā si Deus eas non foueat: nec reuerenter utūtur dato munere, nec timēt datorem, ut monet Osæ dictum, quod supra citauī.

Mens humana cōuincitur demōstrationib. ut fateatur hunc mundū à Deo conditū esse: sed Deū adesse moderatorem, etsi huius sententiæ etiā quædam habet argumenta, ut pœnas atrocium scelerum, tamē hoc obscurius est. Quia igitur difficilior est assensio, diuinis testimonijs fides in animis excitanda et confirmanda est, ut Deum inuocare, et seriò ab eo petere, & expectare bona possimus, ut præcipit: Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te. Item: Commenda Domino uiam tuam, & ipse faciet.

Postquam autē mens confirmata est uera & recta sententia de Deo, & de creatione ac præsentia Dei in creaturis, & moderatione causarum secundarum,

darū, ex uerbo Dei, et illustribus tēimonijs, in quibus se Deus generi humano peculiariter patefecit, ut in educatione populi ex Aegypto, in resuscitatione mortuorum, et alijs mirandis factis Prophetarū, Christi & Apostolorum: tunc etiam utile & iucundum est, aspiciere opificiū mundi, & in eo uestigia Dei querere, & demonstrationes colligere, quæ testantur hunc mundum non extitisse casu, nec uolui casu, sed esse Deū mentē æternā, conditricē rerum. Ideo enim tota natura cōdita est, ut Deū monstraret. Et si humanæ mentes primā lucem retinuisent, hæ noticiæ de Deo multo fuissent illustriores, nūc multis dubitationibus conturbantur. Sed bonis mentibus utile est, tenere aliquas demonstrationes, quæ ostendunt esse Deum: sicut & Paulus ad aspiciendū mundi opificiū nos deducit, Rom. i. & in Actis inquit: Adeo propè adesse Deum, penè ut manibus cōrectari possit. Recitabo igitur breuiter aliquas demonstrationes, quarū cogitatio ad disciplinā et confirmandas honestas opiniones in mentibus utile est.

Prima, ab ipso naturæ ordine sumitur, id est, ab effectibus monstrantibus opificē. Impossibile est ordinem perpetuum in natura, casu ortum esse, & casu manere, aut tantū à materia ortū esse. Præcipuæ partes in natura sunt ordinate, ut manet ordo perpetuus motuū cœlestium, specierum, ita ut ex homine homo, ex boue bos nascatur, foecunditatis terræ,

Apodixes aliquor de Deo.

perennitatis fluminū, naturalium noticiarum in mentibus humanis. Ergo natura non extitit casu, sed à mente aliqua orta est, quæ ordinem intelligit.

- 2 Secunda, à natura mentis humanæ. Bruta res non est causa naturæ intelligentis: Mentis hominum habent aliquam causam, quia homo non habet esse per sese, sed incipit, & aliunde oritur: Ergo necesse est, aliquam intelligentem naturam causam esse mentis humanæ. Necesse est igitur esse Deum.
- 3 Tertia, à discrimine honestorum et turpium, & alijs noticijs naturalibus, ordinis & numerorum. Impossibile est discrimen honestorum & turpiū in mente, casu aut materia ortum esse: Item, noticias ordinis & numerorum fortuitas esse: Ergo necesse est, aliquam mentem architectatricem esse. Et hæc due rationes omnium maxime sunt illustres. Estque dignum consideratione, quod humana mens, & illa lux menti insita, præcipuum de Deo testimonium est in natura. Et quidem inter noticias naturales hæc quoque est, quod sit Deus sicut Paulus inquit, Deus ipsis manifestavit. id est, Deus indidit humanæ menti hanc noticiam, quod sit Deus, & simul indidit ratiocinationes illas ex effectibus.
- 4 Quarta, Noticiæ naturales sunt veræ: esse Deum naturaliter omnes fatentur: ergo hæc noticia vera est. Hæc minor esset illustrior, si natura non esset corrupta: sed confirmada est certis argumentis quæ recitavi.
- Quinta,

Quinta, apud Xenophontē sumitur à terrorib. 5
consciētiæ. Cōstat homicidas et alios p̄petratis ma-
gnis sceleribus, horribiles animorū cruciatus susti-
nere, etiā si nulla humana iudicia metuāt: Esbigitur
aliqua mens, quæ hoc iudiciū in animis ordinauit,
quæ probat recte facta, et improbat secus facta.

Sexta, à politica societate. Politica societas non 6
est concursus hominū fortuitus, sed certo ordine et
iure consociata multitudo: nec possēt humana ope
tantum retineri, sed experientia testatur, aliquo nu-
mine ad p̄cēnā rapi eos qui uiolāt hunc ordinem, ut
homicidas, incestos, & tyrannos: Ergo est aliqua
mens æterna, quæ dedit hominibus intellectum ordi-
nis, ut politicam societatem colant: item quæ sua
ope seruat & defendit.

Septima est erudita, sumpta à serie causarū effi 7
cientium. Non est processus in infinitum in causis
efficientibus: ergo necesse est resistere in una prima
causa. Hanc rationem Physici dilucidē explicant.
Nam si essēt progressus in infinitum, nullus esset or-
do causarum, et nullæ causæ necessariò cohererent.

Octaua, à causis finalibus. Omnes res in natura de 8
stinatæ sunt ad certas utilitates. Hanc distributio-
nē finitū impossibile est aut extitisse casu, aut casu ma-
nere, sed necesse est cōsilio architecti factam esse.

Nona, à futurorū euentuū significationibus. Cer 9
tò monstratur futuri euētus, nō modo per prodigia

quæ gentes mouebant, quorum alia alias causas habet: sed multo magis per uaticinia in Ecclesia, ut Balaam, Esaias, Ieremias, Daniel prædixerunt mutationes & successiones regnorum. Necessè est igitur aliquam mentem esse, præuidentem eas mutationes, & præmonstrantem.

Hæc argumenta non solum testantur esse Deum, sed etiam sunt indicia prouidentia, quod Deus respiciat homines, puniat atrocia scelera, & aliquibus opituletur: ut scæcunditas terræ indicat, Deum hominū uitæ cōsulere: pænæ sceleratorū indicāt Deum postulare ut colamus iustitiā. Prædictiones etiā de imperijs: itē quod mittūtur heroici uiri, ut restituāt politias, et artes, indicāt Deū curare politias. Hæc sunt perspicua, et semper mouerunt bonas mentes.

Legis noticia
homini in-
dita.

Possent & multa alia uere quidē colligi, sed quia sunt obscuriora, relinquo. Non frustra indita est homini legis noticia, qua Deus uult se coli. Effset autē frustra indita, nisi iudicium aliquod esset, in quo discrimen erit bonorum & malorum. Sed hæc alibi explicanda sunt. Nos ad primam admonitionē redeamus, uidelicet assidue mentibus atq; oculis intuen-
da esse illa peculiaria testimonia, in quibus se Deus Ecclesiæ patefecit, ut in educationē populi Israel ex Aegypto, in resuscitatione mortuorum, & miracula cætera, quæ per Prophetas Christum et Apostolos facta sunt, & deinde addamus uerbum per hos traditum:

tum: et statuamus uere hanc esse Dei uoluntate, quæ in eo uerbo proposita est: & discernamus Philosophiam, seu naturales noticias, ab Euangelio, id est, à promissione gratuita remissionis peccatorum donande, propter filium Dei, ut suo loco dicitur de discrimine Legis & Euangelij.

DE CAUSA PECCATI, ET
De contingentia.

Semper omnes sapientes mirati sunt, cum tantus sit ordo nature in plurimis rebus, unde in genere humano tanta sit confusio, tantum scelerum & calamitatum, morbi & mors. Ac philosophi partim in materia, partim in uoluntate humana causas collocant, partim ad fatum transferunt, quod dicunt esse necessariam connexionem primæ causæ, et omnium secundarum, physicarum et uoluntatū. Et Manichæi ex corrupta philosophia orti, horribiles furores, contumeliosos in Deum, & perniciosos moribus, excitauerunt de duobus dijs, bono & malo, & de necessitate, nec leuiter quassata est Ecclesia illis uetustis temporibus, hac questione, de causa mali, et de contingentia. Est autem piæ mentis, reuerenter de Deo sentire ac loqui, & sententias ueras, pias, honestas, comprobatas grauib. iudicijs piorū in Ecclesia, utiles morib. retinere: nec curiositate, aut studio argutiarū, querere infinitos labyrinthos disputationū.

Estq; hæc uera & pia sententia, utraq; manu &

Fatum.

Manichæi.

Deus an pec-
cati causa.

uerius toto pectore tenenda, Deum non esse causam peccati, nec uelle peccatum, nec impellere uoluntates ad peccandū, nec approbare peccatum: sed uere & horribiliter irasci peccato, ut toties suo uerbo asiduis poenis & calamitatibus mundi, cōminatione æternæ iræ declarat. Imò iram aduersus peccatū maxime ostēdit filius Dei, qui apparuit, ut uictima fieret pro peccato, ut ostēderet diabolu esse autorem peccati, et sua morte iram ingētem Patris placaret.

Non igitur Deus causa est peccati, nec peccatū est res cōdita aut ordinata à Deo, sed est horribilis destructio operis & ordinis diuini.

Peccati causa
quæ.

Sunt autē causæ peccati, uolūtas diaboli, & uoluntas hominis, quæ auerterūt se liberè sua sponte à Deo, nec uolente, nec approbante illā auersione: et hæserunt uagantes extra ordinē in obiectis, contra mandatum Dei, ut Eue uoluntas auertens se à uoce Dei, & uagata extra ordinem, hæsit in pomo.

Etsi autem homines acuti multa hic inextricabilia colligunt, tamen nos omīsis præstigijs disputatio num, ueram sententiā, quam dixi, toto pectore amplectamur, et teneamus testimonia de ea tradita diuinitus, etiamsi non possumus omnes argutias quæ opponuntur, extricare, testimonia autem hæc sunt:

Testimonia
de peccati
causis.

Gen. 1. Vidit Deus omnia quæ fecerat, et erant ualde bona, id est, Deo placencia, ordinata, congruētia ad ordinem in mente diuina, & ad certos usus profu-

profuturos homini condita. Psal. 5. Non Deus uolens iniquitatem tu es. id est, Deus uerè, non simulate odit peccatum. Ioan. 8. Quando mendacium loquitur diabolus, ex proprijs loquitur, quia mendax est, & pater mendacij. Pater, id est, primus fons & causa mēdacij. Discernit autem Christus mendacium à substantia, quasi dicat: Substantiã quidē habet diabolus aliunde acceptã. nam omnes angeli à Deo creati sunt, quorū aliqui postea lapsi sunt. Habet autem Diaboli proprium. proprium quiddã diabolus, nõ à Deo acceptũ, uidelicet mendacium: id est peccatum, quod libera uoluntas diaboli peperit. Neq; hæc inter se pugnant, ut postea longius dicemus: Substantiam à Deo cõditam esse et sustentari, et tamen uoluntatē diaboli, & uoluntatē hominis causas esse peccati. Quia uoluntas abuti libertate sua potuit, seq; à Deo auertere.

Zach. 8. Malum ne cogitetis in cordibus uestris, & iuramentũ mendax ne diligatis. Omnia enim hæc sunt, quæ odi: dicit Dominus. Cum igitur non sit simulatũ odium peccati in uoluntate diuina, nequaquã sentiendũ est Deum uelle peccatũ. 1. Ioan. 2. Concupiscētia carnis non est ex Patre, sed ex mũdo est. 1. Ioan. 3. Qui facit peccatum, ex diabolo est. Quia ab initio diabolus peccat, id est, primus autor peccati est diabolus. Rom. 5. Per hominẽ intrauit peccatum in mundum. id est, peccatum non est res condita à Deo, sed homo sua libertate se à Deo auer-

tit, & excusit dona Dei, & illam suam destructionem propagauit in posteritatem.

Hebraismi, In
durabo cor,
ne inducas,
&c.

Nec figura illæ uerborum in sermone Hebraico, pugnat cum sententiã quam dixi: Indurabo cor Pharaonis, et similes. Certũ est enim, Hebraica phrasi significare eas permissionẽ, nõ uoluntatẽ efficacẽ. ut, ne nos inducas in tentationẽ: id est ne sinas nos induci, seu, ne sinas nos labi et ruere, cum tẽtamur.

Præterea & hoc moneri studiosos utile est, quid proprie sit peccatum, ut discernantur res conditæ à Deo & peccatum, quod est conturbatio seu confusio ordinis diuini. ideo recte dicitur, peccatum esse defectus seu priuatio, ut Dialectici loquuntur.

Originale
peccatum.

De originali facilis est declaratio. Id enim est in mente tenebræ, hoc est, nõ habere illustrem noticiaẽ et firmum assensum de prouidentia, cõminationibus & promissionibus diuinis. Et in uoluntate est auersio, id est, sine metu fiducia, dilectione Dei esse, et in corde sine obediẽtia esse, quæ congruebat legi naturæ, sed uagis et errantibus inclinationibus ferri extra ordinem contra Deum. Hæc mala esse defectus, non obscurum est: nec sunt res conditæ à Deo, sed horribilis destructio humanæ naturæ. Nõ est igitur causa peccati Deus: qui & si iuuat et conseruat propagationem substantiæ, tamen seruat talẽ massam, qualis nunc est. ut si faber poculum nõ ex auro, sed ex plumbo faciat: ac ipsi destructioni uere & horribiliter

biliter Deus irascitur. Misit enim filiū ad hanc irā placandam, & ad sanandum uulnus naturæ. Intelli-
gi igitur potest, Deum nec causam esse uitij nobiscū
nascentis, nec uelle id malum, nec approbare.

Hic autē cauillatio diluatur: Cū defectus nihil sit,
id est nō sit res positiua, cur irascitur Deus nihilo?
Respondendū est, Magnū discrimen est inter nihil
priuatū, et nihil negatiuū. Quia nihil priuatiuē in-
tellectū, requirit subiectū, et est in illo subiecto que-
dā destructio, propter quā subiectū reijcitur: ut rui-
næ ædificij sunt destructio in illa mole, seu partes
dissipatæ. Ita uitij originis, est ipsarū partium homi-
nis inquinatio et confusio, quā Deus odit, et propter
quā subiecto irascitur. In morbo, nihil significat pri-
uationē, quia manet subiectū, et est in subiecto cōfu-
sio aliqua. At equus Alexandri, iā nihil est negatiuæ.

Nihilum hīta-
riam dici.

Hæc mediocris explicatio sufficiat, quæ et uera
est, et sæpe cogitata discentibus aliquid lucis affert,
nec querantur subtiliores disputationes & inextricabiles
labyrinthi. Geometrica pingi, & oculis sub-
ijci possunt: hæc uero de quib. hic dicimus, non ita
pingi, et oculis subijci possunt: sed attenda considera-
tione paulatim magis intelligentur. Dolet saucius,
aspiciens uulnus, & scit uulnus non esse nihil nega-
tiuæ, sed esse partes laceratas: ita Paulus docet, ui-
dens Neronis scelera et uitia, quæ agnoscit non esse
nihil negatiuæ, sed operis diuini teterrimas ruinas.

Cum

Cum in tali consideratione discemus quid sit malum, seu defectus, seu priuatio, agnoscemus peccatū non esse extenuandū. Vt ordo in opere Dei, uidelicet in homine, est res à Deo condita, & ei placens, & seruans hominē, ac propterea dicitur ingens bonum. Ita e contra, ruinae illae sunt confusio ordinis, nō à Deo condita, sed facta à diaboli & hominis uoluntate, esq; à Deo reiecta, et exitialis diabolo & homini. Ideo ruinae illae, seu destructio, seu confusio, uocatur malū, id est, nō congruens ad mentē diuinā, displicens Deo, & exitiale diabolo & homini.

Malum.

Hæc declaratio aliquid lucis affert sequenti declarationi de peccato actuali, de quo multorum sunt intricatæ quæstiones. Sed hic quoq; facile est intelligere defectus, si intuearis non solum facta, sed mentem regentem facta. Eua comedens pomū, non regitur luce Dei. Illud, non regi luce Dei, & uoluntatem à Deo auersam esse, defectus esse non obscurum est. Etsi interim accedunt motus externi & interni, qui sunt res positivæ: & si sunt motus errantes, et quædam ordinis confusio, ut si nauis sine uelis & remis uarie iactetur uentis & procellis. Hæc imago utcumque declarat illos defectus.

Vt autem donec manet nauis, manent motus aliqui: ita donec uiuit homo, quocūq; modo aliqui motus, quamlibet errantes & confusi, manēt. Nec propterea Deus est causa peccati. Etsi enim sustērat aliquantisper

quantisper naturā, tamē defectus illi in mente nō efficiūtur ab ipso. et uolūtas libera Eux, proprie et uere erat causa suae actionis, ac spōte se auertit à Deo.

Constituta autem hac sententia, quod Deus non sit causa peccati, nec uelit peccatum, sequitur, contingentiam esse: hoc est, nō omnia quae sunt, necessariò fieri. Quia enim peccatum ortū est à uoluntate diaboli & hominis, nec factum est Deo uolente: sic erant conditae uoluntates, ut possent nō peccare. Est autem causa contingentiae nostrarum actionum, libertas uoluntatis. Et hoc loco de contingentia humanarum actionum loquimur, non de ceterarum rerum motibus, de quibus in Physicis differitur.

Deinde concedendū & hoc est, quod scriptura apostolica tribuat homini, etiam nunc post lapsum, libertatem aliquam deligēdi ea quae sunt subiecta rationi, & faciendi externa opera mandata lege Dei. Ideo enim iustitia Legis, dicitur iustitia carnis: quia uiribus huius naturae, externa illa disciplina utcūq; praestari potest, ut dicit Paulus, Lex est iniustis posita. id est, ad coercendos non renatos, & puniendos contumaces. Item, Lex est pædagogus, ac nisi hæc libertas aliquo modo reliqua esset in natura, nulla utilitas esset legum & imperiorum, & totius ciuilibus gubernationis. Manet igitur aliqua libertas, quae, ut dixi, fons est contingentiae.

Quod uero dicitur Deus determinare contingentiam,

Contingentiam esse in actionibus humanis.

Libertas cuiusmodi naturae humanae relicta.

Dei determinate non uniusmodi.

tia, discrimen tenendū est. Aliter determinat Deus ea quæ uult, aliter ea quæ non uult: aliter ea quæ à sola ipsius uoluntate pendent, aliter quæ partim ipse facit, partim uoluntas humana.

Præuidet Deus delicta Saulis, sed nō uult ea, nec impellit uoluntatē eius, sed permittit ut uolūtas Saulis ita grassetur, et nō impellit ut secus agat. Interim tamē decernit, ubi Saulē repressurus sit. Hæc igitur præuisio non affert necessitatē, nec mutat in uolūta te hominis modum agendi, qui adhuc in natura reliquus est, hoc est hanc libertatē quæ adhuc reliqua est.

Nec illud obstat contingentiae aut libertati, quod Deus sustentat naturā. Nam interim tamē uolūtas Eue erat causa suæ actionis, quia libertas fuerat donū in creatione inditū generi humano: & sustentatio diuina non impediebat illud donum. Sic iam quantum est libertatis, non impeditur sustentatione diuina: sed sic sustētat Deus Saulem qualis est, et Saulis uoluntas est propriē causa malæ actionis.

Quod uero hic dicta quædam obijciuntur, ut Ieremiæ 10. Scio Domine, quod non est hominis uia eius, nec est uiri dirigere gressus suos. & si infra in titulo de Libero arbitrio, hæc dicta explicanda erunt, tamen & hic breuiter monendus est lector, aliud esse loqui de electione uoluntatis, aliud de euentu seu successu. Vult Pompeius bellū aduersus Cæsarem, & libere uult, sed euentū aliæ multæ causæ regunt, non sola

sola uoluntas Pompeij. Dictum igitur Ieremiæ, do- Ieremiæ 10. 23
ctrinam & dulcissimam consolationē continet. Via
hominis, id est gubernatio priuata & publica man-
data homini, seu uocatio, nō potest sustineri solis ui-
ribus humanis: Non potest mēs omnia pericula pro-
spicere et cauere, saepe hallucinatur, ut errat Iosias,
bellū Aegyptio inferens. Ac multa sunt tristitia erra-
ta omnium sapientum, ut Cicero exclamat, O me
nunquam sapientem.

Multi lapsus accidunt, qui pariunt difficultates
 inexplicabiles humanis consilijs: & unus lapsus se-
 pe ingentem ruinā trahit, ut Dauidis adulterium.
 Deinde etiam bonis consilijs, & in bonis causis se-
 pe non respondet euentus. Possunt et subito magnæ
 calamitates accidere, quæ summos ex suo fastigio
 deijciunt, ut uere dicitur.

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,

Et subito casu, quæ ualere, ruunt.

De his tantis impedimentis, de infirmitate huma-
 na, & inconstantia rerum humanarum, quæ multas
 habet arcanas causas, concionatur Ieremiæ, & si-
 mul docet confugere ad Deum, & ab ipso petere et
 expectare gubernationem & auxilium.

Hic igitur promissiones tenendæ sunt: Non uos
 estis qui loquimini, sed Spiritus Patris uestri coele-
 stis, qui in uobis est. Item: Non relinquā uos orpha-
 nos. Item: Deus est qui efficit, ut uelitis & perficiā-
 tis.

Promissiones
 tenendæ.

tis. Itē: Quanto magis dabit spiritū sanctū petenti-
bus. Itē Psal. 38. A Domino gressus hominis dirigen-
tur, etc. His promissionib. freti, petamus et expecte-
mus auxiliū à Deo: et agnoscamus, salutaria agi nō
posse, nisi Deo nos iuuāte, ut inquit Christus: Sine
me nihil potestis facere. Et Baptista: Nō potest sibi
homo sumere quicquam, nisi datum sit ei de cælo.

Pompeius, Brutus, Antonius, & alij multi, ma-
gna conati sunt, sed Deus alios prouexit. Et si igitur
hæc dicta concionantur de auxilio Dei in bonis &
salutaribus actionibus, tamē non est inde ratiocinan-
dum, prorsus nullam esse libertatem electionis huma-
næ. Ac multo minus hoc sequitur, omnia bona et ma-
la necessariò, et à Deo fieri. Quare dictum Ieremiæ
dextrè intelligatur, quod uidelicet solis humanis cō-
silijs & uiribus non possint salutaria effici.

Discamus magnum & ingens donum Dei esse,
iuuari nos, ut simus organa Dei salutaria in omni
administratione: nec deserti, simus pestes generis
humani, ut Pharao, Nero, Manichæus, & similes.
& quotidie nos hoc dictū Christi, Sine me nihil po-
testis facere, exsuscitet, ut ardentibus uotis prece-
mur, ut à Deo regamur. Perspicuū est autem, non
sequi hinc, Deum esse causam efficacem. Imò Ec-
clesia Dei, cum sciat Deum uere, seriò, & horribili-
ter odisse libidines Neronis, nequaquā dicet eas aut
necessariò accidisse, aut uolente Deo accidisse.

Obijci-

Libertas ele-
ctionis hu-
manæ.

Obijciuntur & hæc dicta, Ephe. 1. Electi secundum propositum eius, qui facit omnia secundum consiliū uoluntatis suæ, & 1. Corinth. 12. Idē est Deus agens omnia in omnibus. Hæc dicta certū est in illis ipsis locis ubi ponuntur, tantum loqui de Ecclesia, & de salutaribus actionibus, quas Deus excitat & regit in Ecclesia sua: nec loqui de uniuersali rerum sustentatione, seu de singulis omnium animantium motibus. Dextre igitur intelligantur hæc dicta, nec à natia sententia transferantur in peregrinam.

Hoc monet Paulus, non humanis consilijs aut uiribus, seruari & regi Ecclesiam, sed mirandis Dei operibus. Seruatio Nohe in diluuiō, defensio populi in Aegypto, & in deserto, res gestæ Moysi, Iosue, Samuelis, Dauidis, & aliorū priorū, fuerūt & sunt opera Dei, in illis excitata, ad iuuandā Ecclesiam, & ad propagationem ueræ doctrinæ.

Ecclesiam mirandis Dei operibus regi ac seruari.

Quare hæc dicta consolationes sunt, quæ testantur adesse Deū membris Ecclesiæ suæ, & opitulari suis in periculis et ærūnis. Adiuuat Deus preliantē Dauidē: adiuuat morientē Laurentiū, ne abijciat cōfessionē, fractus metu. His igitur dictis et promissionib. nos cōfirmemus, ac regi nos petamus: sicut sepe clamat Propheta, Dirige me in ueritate tua, & doce me, &c. Omnia agis in Ecclesia tua, salutaria: sis in me quoq;, ut in mēbro tuæ Ecclesiæ, efficax: fac me organū salutare, et uas misericordiæ, &c. Ac horum dictorum explicatio, multis alijs similibus lucē affert.

f Postrema

Necessitas du-
plex.

Postremò & illud addendū est, recte dici, Necessi-
tatem esse duplicem. Alia necessitas nuncupatur ab-
soluta, cum uidelicet res aut propositio simpliciter
necessaria est, ac poni oppositū prorsus impossibile
est, & destructio omnium rerum. Vt hæc propositio
nes sunt necessariae necessitate absoluta, Deus est,
Deus est essentia, intelligens, æterna immense sapi-
tiæ, potentia, iustitiæ, bonitatis, uolens iusta, casta,
non uolens pugnantia cum sua mente, iniustam cru-
delitatem, incestas libidines, &c.

Deū aliter bo-
na, aliter mala
determinare.

Sed alia est necessitas Consequentia, quæ est ca-
rum rerum, aut propositionum, quæ possent se natu-
ra sua aliter habere, sed fiunt necessariae, uel pro-
pter præcedētes causas, uel quia determinatæ sunt.
Et in his magna sunt discrimina. Aliter Deus deter-
minat bona quæ uult, cuiusmodi multa expressit, ut,
Mortui certo die resuscitabūtur: hæc est necessaria,
necessitate Consequentia. Aliter determinat mala
quæ non uult, cum uidelicet metas constituit, nec si-
nit grassari ulterius malos. Sic fit necessaria: Pha-
rao persequetur Israelitas. hæc non est sua natura
necessaria, sed reuera Contingens. Ac fieri opposi-
tum, nõ esset impossibile: Sed quia sic euenit, dicitur
necessaria, necessitate Consequētia. Hæc puerilis di-
stinctio non est inutilis, & sæpe traditur in Scholis,
ut consideremus, qui euentus uere pendeant et orian-
tur à uoluntate Dei, qui aliunde orientur.

Hic etiam de physica necessitate dicendum est, ut
ignis.

ignis necessariò calefacit, sol necessariò mouetur. Sed hanc physicam necessitatem, doctrina Ecclesiæ etiam ait esse necessitatem Consequentia. Sic mouetur sol, quia Deus hunc ordinem instituit, & mutare potest, ut ostendunt historiæ Iosue & Ezechia. Hæc alàs copiosius traduntur.

Recitavi præcipuas materias, quæ in hac questione agitari solent. quibus diligenter consideratis, studiosi dextrè de hac tota controuersia iudicare poterunt: & satis perspicue intelliget, nequaquã Stoicorum op^{is} cas opiniones in Ecclesiam inuehendas esse. Stoicorum op^{is} uo de fato. Quomodo enim inuocabit Deū is, qui omnia necessariò euenire statuit? Deinde et moribus perniciosum est illud, quod in tragœdia dicitur, Fati ista culpa est, Nemo sit fato nocens. Sicut & Zenonis seruus dicebat se iniuste plecti, quia fato coactus esset peccare. Tales igitur sermones & opiniones fugiamus. Plato honestius loquitur, cuius hæc sunt uerba in secundo libro *πρωτων*. *Ὅμνι κōtentione pugnādum est, ne quis in ciuitate quam bene regi uolumus, uel dicat, uel audiat, seu senex seu iuuenis, seu in poemate, seu in alia narratione, Deū causam alicui esse malorū. Quod neq; sancte ita dici potest, neq; utile est dictum ciuitati, nec secū consentit in explicatione.*

Adijciam explicationē usitati argumenti, ut mihi uideatur, pijs mētibus utilē. Obijcitur enim, Secūda causa non agit sine prima. Secunda, ut uoluntas *Eue*, est proprie causa peccati: ergo etiam prima.

Deus quomodo
adit crea-
turis.

Hac obiectione scio ingenia interdum perturbari, et ex ea perturbatione labi in absurdas opiniones. Et si autem responsio quædam tenuis & subtilis traditur ad elabendū, tamen aliam crassiore et magis conspicuam tradā, quæ sumpta est ex hoc fundamento: Quod Deus adest creaturis, non ut Stoicus Deus, alligatus causis secundis, ut moueat simpliciter, sicut mouent secundæ: sed ut agens liberrimū, sustentans naturā, & suo consilio aliter agens in alijs.

Vt in corporalibus, etsi sustentat naturā, tamen contra ordinē iussit aliquando Solem regredi, impediuit pluuias toto trienio, ac postea subito dedit largum imbrē, fecit fecundas anus: ita quotidie sciamus multa in corporalibus fieri præter uim secundarum causarū, et tamen Deus eas sustentat. Multi liberantur uarijs periculis, in morbis, in acie, in aqua, ubi secundæ causæ eos destituunt. Vt igitur inuocatio uere fieri possit, cogitemus Deum sic adesse suo opificio, non ut Stoici fingunt alligatum secundis causis, sed sustentantem naturam, & multa suo liberrimo consilio moderantem.

Sic agit Deus, cum uoluntate sustentans et iuuans ordine agentē, sed non iuuans ruentem, contra ordinem, & si eam sustentat. Sic enim condidit uoluntatem Euxæ, ut esset liberū agens, quod posset tueri ordinem, aut deficere. Sit igitur hæc crassa solutio. Secunda causa non agit sine prima, scilicet sustentante: hoc uniuersaliter uerum est. sed non semper adiuuaret:

uante: non enim adiuuat prima effectum quem non uult. Est igitur uoluntas Eux immediata causa sui actus, cum auertit se à Deo.

Nec eodē modo Stoicus et Christianus hęc propositionē intelligūt: Secunda causa non agit sine prima. quia Stoici cogitāt similitē copulationē in omnibus, seu bonis seu malis, ut est copulatio essentialis maris & foeminae in procreatione. Sed Christianis necesse est discernere bona & mala: Secunda non agit sine prima, scilicet sustentante. Sed multa facit prima causa, præter secundas: quia est agens liberum. Et secunda libera, ut uoluntas Eux uitiosē agit sine prima adiuuante: quia talis facultas est libertas. Hęc sit explicatio perspicua, non nimis tenuis.

Secundā causam nō agere sine prima, quomodo intelligendum.

Alij sic dicunt: Secūda non agit sine prima, positiuē quiddā efficiens. Secūda, ut uolūtas Eux, agit aliqd delinquēs. Hic respondēt, agit nō positiuē, sed aberrans ac deficiens. Hęc solutio si per priorē exponatur, erit planior, et eam esse sententiā huius obscuræ solutionis consentaneum est, ut copulatio primæ & secundæ causæ talis cogitetur, qualem Deus libere agens uult esse, non ut nos copulationem maris & foeminae cogitamus.

Difficiles sunt hęc disputationes, ideo nos de Deo cogitantes, referamus mentē et oculos ad patefactionem Dei, ut eū sic agnoscamus, sicut se patefecit: & sic statuamus, Deū libere adesse, & opitulari inuocantibus, sicut promisit, Propē est Dominus omnibus inuocantibus eū.

Hæc dicta de singulari actione & auxilio inculcetur animis. Nam illa obscura disputatio de generali sustentatione, nõ potest penitus perspicui, sicut nec creatio intelligi potest. Et in summa teneatur hæc propositio: Adest Deus suo operi, non ut Stoicus Deus, sed uere ut liberum agens, sustentans creaturam, & multa moderans.

DE HUMANIS VIRIBVS,
seu de Libero arbitrio.

VAlla, & pleriq; alij non recte detrahunt uoluntati hominis libertatem, ideo quia fiant omnia decernente Deo, atq; ita in uniuersum tollunt Contingentiã. Sed aliena est disputatio de Cõtingentiã, ab hoc loco de uirib. humanis. Hic enim in Ecclesia quæritur, qualis sit natura hominis, an pfectã obedientiã legi Dei præstare possit. Non quæritur de arcano Dei consilio, gubernãtis omnia: non quæritur de prædestinatione: non agitur de omnib. contingẽtib. Ideo prudens lector disputationes de Cõtingentiã, itẽ de prædestinatione, hic seponat, et procul ab hoc loco seiũgat. Nos ipsos intueamur, et meminimus nos de nostra infirmitate iam loqui. Non est opus *ἀποβαθῖν*, et cœlestia scrutari, de modo gubernationis diuinæ, aut de Prædestinatione. Ac prouidendũ est, ne obruãtur res bonæ et utiles, rixis nihil ad rem pertinentib. quod fieri solet, cũ peregrini loci cõmiscẽtur. Ideo dicã breuiter hic, quomodo scriptura nos de infirmitate humanæ naturæ doceat.

De prædestinatione, aut contingentiã hoc loco non disputandum.

ceat. Hæc enim agnoscenda est, ut discamus, quare nobis opus sit beneficio Christi.

De uiribus humanis sumatur ex Philosophia partitiones, quæ non sunt ignotæ. In homine sunt ratio, seu mens, quæ iudicat: Voluntas, quæ uel obtæperat, uel repugnat iudicio, et imperat inferioribus uirib. Inferiores uires sunt sensus, appetitiones sensuû, seu affectus. Vocant autẽ liberũ arbitriũ, uoluntatẽ coniunctã cum ratione. Scriptura cũ nominat cor, mentem et similia, complectitur iudiciũ, & ipsas appetitiones ueras, non simulatum aut externum opus.

Liberũ arbitrium quid.

Sed ut rixas de appellatione omittamus, de re dicendũ est. Illud quæritur, Quomodo uoluntas sit libera: hoc est, quomodo possit obedire legi Dei. Neque uero iudicari de hac quæstione potest, nisi magnitudo peccati, quod nobiscũ nascitur, seu naturalis infirmitas cõsideretur. Item nisi sciamus lege Dei requiri, nõ tantũ externa ciuilia facta, sed perpetuã & perfectã totius nature obedientiã. Nam si natura hominis non esset corrupta peccato, haberet certiorẽ & clariorẽ de Deo noticiã, non dubitaret de uoluntate Dei, haberet uerũ timorẽ, ueram fiduciã. Deniq; præstaret obedientiã integrã legi, hoc est, in natura hominis essent motus omnes consentiẽtes cũ lege Dei, sicut in pijs angelis. Nunc autẽ natura hominis oppressa morbo originis, plena est dubitationis, caliginis, errorũ, neq; uere timet Deum, nec uere confidit, deniq; plena est uitiosorum affectuum.

Voluntas hominis quomodo libera.

De hac infirmitate hic queritur: quantum præstare humana uoluntas possit.

Voluntatis in
homine liber-
tas cuiusmodi

Primum igitur respondeo. Cum in natura hominis reliquū sit iudiciū, et delectus quidā rerum, quæ sunt subiectæ rationi aut sensui, reliquus est etiā delectus externorū operū ciuiliū. Quare uoluntas humana potest suis uirib. sine renouatione, aliquo modo externa legis opera facere. Hæc est libertas uolūtatis, quā Philosophi rectè tribuūt homini. nā hanc etiā sacræ literæ aliquo modo concedunt hominib. Quia scriptura docet esse quandā iusticiam carnis, quædā opera legis, in his qui nō sunt renati. Ergo cōcedit, hæc opera effici posse humanis uiribus, sine renouatione. Imò hanc disciplinam externā seuerè requirit, cū inquit, Lex est iniustus posita. Itē, Lex est pædagogus. Et quantas utilitates habeat hæc pædagogia, paulo post dicemus. Nūc illud tantū addā, hæc ipsam libertatē efficiendæ ciuilis iusticiæ, sæpe uinci naturali imbecillitate, sæpe impediri à diabolo. Nā cū natura sit plena malorū affectuū, sæpe obtēperant homines prauis cupiditatibus, nō recto iudicio. Sicut inquit apud Poetam Medea, Video meliora proboq;, Deteriora sequor. Præterea diabolus captiuā naturā impellit ad uaria flagitia, etiā externa. Sicut uidemus summos uiros, qui tamē conati sunt honeste uiuere, lapsus turpissimos habere. Sed tamē inter has difficultates, utcunq; reliqua est aliqua libertas efficiendæ iusticiæ ciuilis.

Secundo,

Secundo, Euangeliū docet in natura horribilem corruptionem esse, quæ repugnat legi Dei: hoc est, facit, ne præstare integram obedientiam possimus. Et hanc corruptionē non potest humana uoluntas per sese ex natura tollere: sicut neq; mortem, quæ est propriissimus effectus istius corruptionis, per sese potest ex natura tollere. Est autē in natura humana cæcitas tanta, ut hanc ipsam corruptionē non satis perspicere possimus. Ideo non uidemus quanta sit infirmitas humanarum uirium: quam si uerè cerne-remus, tum demum intelligeremus, homines non posse legi Dei satisfacere.

Nature corrup-
tio in ho-
mine.

Sciendū est igitur de Libero arbitrio, nō posse ho- mines legi Dei satisfacere. Nam lex diuina requirit nō tantū externa facta, sed interiorē munditiā, timo- rem, fiduciā, dilectionē Dei summā, deniq; perfectā obedientiā, et prohibet omnes uitiosos affectus. Cō- stat autē, homines hanc perfectā obedientiā in hac corrupta natura non præstare. De hac corruptione precipue loquimur, non de externis factis, cum ex- tenuamus libertatem uoluntatis. Multum enim re- fert, non extenuari neq; dissimulari hanc corruptio- nem: ut intelligamus, homines nō satisfacere legi: ut sciamus nobis opus esse misericordie, &c.

Legi Dei satis-
facere homi-
nes nō posse.

Deinde et hoc addendū est, Volūtas humana non potest sine Spū sancto efficere spirituales affectus, quos Deus requirit, scilicet uerū timorē Dei, uerā fi- duciā misericordie Dei, obedientiam ac tolerantiam

Affectus spūi-
tuales qui,

afflictionū, dilectionē Dei, et similes motus. Testimonia satis multa sunt, quæ testatur naturā esse corruptā, nec posse legi Dei satisfacere. Præterea neque posse sine Spiritu sancto motus spirituales concipere, quos Deus approbat.

Testimonia.

Roma. 8. Qui ducuntur spiritu Dei, hi sunt filij Dei. Item: Si quis spiritū Christi nō habet, is nō est Christi. Hæ duæ sententiæ satis perspicuæ sunt, & planè testantur, opus esse Spiritu sancto, ut obedire possimus. Cōstat autē nomine Spiritus sancti significari non rationē humanā, sed Spiritū Dei efficacē in animis nostris. 1. Corinth. 2. Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. Significat enim

Animalis homo quis.

luxuriosus homo, uiuentē uita naturali, hoc est sensu et ratione naturali, sine Spiritu sancto. Sic enim eo loco discernit Paulus animalē à spūali. Quanquā enim homini naturaliter impressa est noticia de Deo, tamen hæc adeò obscurata est, ut non satis assentiatur ei animus, sed dubitet, an Deus curet nos, an puniat, an uelit ignoscere, exaudire. Et hæc dubitatio efficit, ne uere timeant animi Deū, &c. Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, nō potest intrare in regnū Dei. Ioan. 6. Nemo potest uenire ad me, nisi quem Pater meus traxerit. & Erūt omnes docti à Deo. Itē, Sine me nihil potestis facere. Hæc testimonia satis planè docent, uoluntatē humanā sine Spiritu sancto nō obedire Deo, hoc est, non habere spirituales motus, uerā noticiā Dei, uerū timorē, ue

Voluntatē hominis absque Spiritu sancto non obedire Deo.

ram

ram fiducia. Loquimur enim hic precipue de animi motibus, nō de externis factis.

Neq; uero opus est lōga disputatione: cōsulat unusquisq; animū suum, & secū deliberet et quærat, an non mirificæ dubitationes de Deo exerceant animum, an non cōflictetur mira diffidentia, an uere timeat, amet Deū, an nō indignetur hęc imbecillē naturā tantis calamitatib. ac morte opprimi, et præterea terrores æternarū pœnarū proponi? Quid in ipsis afflictionib. quomodo sunt affecti animi, ubi uidetur deserti à Deo? An nō dubitāt tunc, utrū Deo curæ sint humana, uerū exaudiat hominū preces? Hi magni motus animorum considerandi sunt, cum de Libero arbitrio disputatur.

Neq; hęc eō dicuntur, ut laqueos iniiciamus mentibus, aut deterreamus homines à studio obediēdi, aut credēdi, aut ne conētur. Imò cū à uerbo ordiri debemus, certe non repugnandū est uerbo Dei, sed attendendū ut obtēperemus, et intuēda promissio Euāgelij, quæ est uniuersalis. Porro in certaminib. hęc clarius iudicari possunt, q̄ in ociosis disputationib. Nā in uero agone, ubi angimur de remissione peccatorum, erigere nos debemus, et intueri in promissione.

Quantū autē luctatur uolūtas cū infirmitate, tamē quia non abiicit uerbū, sed sustētat se uerbo, cōsequitur consolationē. et Spūs sanctus ibi efficax est per Verbū: sicut inquit Paulus, Spūs adiuuat infirmitatē nostrā. In hac lucta adhortādus est animus, ut omni

Volūtas humana cum infirmitate lucta

Causa.

nni conatu retineat uerbū. Non est dehortādus, ne conetur: sed docēdus, quòd promissio sit uniuersalis, et q̄, debeat credere. In hoc exēplo uidemus coniūgi has causas, Verbū, Spūm sanctū et uoluntatē, non sanē ociosam, sed repugnantem infirmitati suæ.

Has causas hoc modo Ecclesiastici scriptores coniūgere solēt. Basilius inquit, *υόου θελουσι, ηγεi δ̄ διος προπαυτε̄*. Deus anteuertit nos, uocat, mouet, adiuuat, sed nos uiderimus, ne repugnemus. Cōstat enim peccatū oriri à nobis, non à uoluntate Dei. Chrystomus inquit *δ̄ δε̄ ελκου, τοῡ ε̄νομενοῡ ε̄λκου*, id aptē dicitur auspiciati à uerbo, ne aduersetur, ne repugnet uerbo. Et nos quidē sic iudicare oportet, Nō enim indulgere debemus diffidētiae aut desidiæ naturali. Præterea si de morib. piorū loquamur, etsi est ingens imbecillitas, tamē est aliqua libertas uolūtatis, cū quidē iam adiuuetur à Spū sancto, et agere aliquid potest in externis lapsib. cauēdis. Ideo et spiritus sancti auxiliū amplificari debet, et simul acui diligētia nostra. Sicut Paulus iubet cauere, ne frustra gratiā acceperimus. Et Christus, cum inquit, Dabit Spūm sanctū petentib. promittit nō ociosis, nō aspernantib. non repugnantib. Et auget Deus dona in his qui recte utūtur: ut docet similitudo de negociantib.

Postremò de disciplina. Dixi suprā, uolūtate posse suis uiribus aliquo modo efficere ciuilia officia. Et hanc disciplinā requirit Deus, etiā in his qui nondū sunt sanctificati. Nec nulla est eius utilitas. nā exter

na delicta pœnis corporalib. & æternis puniuntur. Ad hæc Paulus inquit, legē esse pædagogū in Christi, prodest enim hæc pædagogia, ut doceatur homines et audiatur uerbū Dei. Et quia Deus est efficax p uerbū, ideo p hæc exercitia multi uocantur ad uerā pietatē. Hæc sententia de Libero arbitrio, nihil habet absurdi, & est germana, cum aliorū scriptorū Ecclesiasticorū ac Synodorū, tū uero etiā Augustini. Nec adigit ad desperationē bonas mentes, nec deturget eas quo minus conentur. Imō et amplificat Spiritus sancti auxiliū, & acuit curā ac diligentia nostræ uolūtatis. Nō probo deliramēta Manicheorū, qui prorsus nullā uolūtati actionē tribuebāt, ne quidē adiuuante Spū sancto. Quasi nihil interesset inter statuā et uoluntatē. Atq; hinc facile possunt conciliari sententiæ de libertate. Ecclesiasticus inquit: Deus reliquit hominē in manu cōsiliij sui, etc. Dico, uoluntatē in pijs actionib. et conatibus non esse ociosam, sed tamē adiuuandā esse à Spū sancto. ita fit uerius libera. Addā, ut hæc fiant illustriora, duo Hieronymi dicta. Anathema sit, si quis dixerit Deū impossibilia præcepisse. Hoc dicto ualde abutuntur imperiti quidā. Neesse est igitur dicto Hieronymi cōmodā interpretationē addere. Hæc sumemus ex altero dicto eiusdē autoris. Qui dixerit, nos posse mādāta Dei implere sine gratia Dei, anathema sit. Hic gratia intelligatur nō solum quod adiuuemur à Spū sancto, sed etiā ipsa gratuita imputatio iusticiæ, seu acceptæ.

Lex pædagogus in Christum.

Manicheorū deliria.

Hieronymi sententiæ explicata.

acceptatio: quod uidelicet iusti reputemur propter Christū, & deinde placeat inchoata obediētia, etiā si legi non satisfacit. Sic intelligatur Lex possibilis esse per gratiā. Hęc interpretatio necessaria est, ut intelligamus utrunq;, et quod obediētia piorū procul absit à perfectione legis, & tamen placeat, uidelicet, quia personę propter Christum placent. Sed hęc suo loco copiosius exponam.

DE PECCATO.

Christus complexus est summā doctrinę Euāgelij, & quasi methodū informauit, cum iubet prædicare pœnitentiā et remissionē peccatorū. Hi sunt præcipui loci uniuersę doctrinę Christi, ad hos tanquā ad caput referri debēt reliquę partes. Porrò prædicatio pœnitentię accusat et damnat peccatū. si cut in Ioāne scriptū est, Spūs sanctus arguet mundū de peccato, etc. Neesse est igitur in doctrina Ecclesiastica diligēter explicari, quid uocet scriptura peccatū. Et Paulus ob eā causam propemodū totā epistolā ad Rom. cōsumit in collatione horū trium locorū, Peccati, Legis, Gratię. Ideo et nos hunc locum suscepimus explicandū, præsertim cum aliter iudicet scriptura de peccato, quā humana ratio, seu Philosophia, seu leges politica. itaq; singulari prudentia in hoc loco opus est. Nam et Theologi multi hic lapsi sunt, qui peccatū intellexerunt tantum ciuilitè de factis. Hic error peperit alios postea errores. nō enim potest intelligi magnitudo beneficij Christi, nisi cognitis nostris malis. Prin-

Euangelicę
doctrinę me-
thodus.

Epistolę ad
Romanos
præcipui loci.

Principio igitur de uocabulo moneri imperitos
 necesse est. Peccatum non significat in sacris literis
 tantum, ut grāmāticē sonat Latinis, factū aliquod:
 sed significat & perpetuū uictū, hoc est, corruptio
 nem naturę pugnante cum lege, et facta pugnantiā
 cū lege Dei. Idq. de uocabulo admoneo ob hanc cau-
 sam, quod quidam adducti Grammatica superstitio-
 ne sustulerūt uitū originis, eo quod peccatū signifi-
 cet latino more non perpetuū morbū, sed factū ali-
 quod. Nec uident Hebraica uoce significari proprie
 quiddam damnatum, seu, ut ita dicā, reum, prope-
 modum quod Latini scelus dicunt. Sit igitur in ge-
 nere peccatum, uitium perpetuum, aut factum pu-
 gnans cam lege Dei. Diuiditur autem peccatum, in
 peccatum Originis & Actuale. His enim appella-
 tionibus docendi causa utendum est.

Peccatum in
 sacris literis
 quid.

DE PECCATO ORIGINIS.

DE peccato originis ideo multę disensiones
 extiterunt, quia humana ratio non uidet im-
 munditię naturalē: hoc est, nō uidet hęc esse damna-
 ta, quę herent in natura hominis, scilicet ignora-
 tionē Dei, uacare metu Dei, diffidere Deo, &c. Et
 cū has maximas pestes nō cernat, somniat lege Dei
 tantum ciuilē iusticiam requiri, nec peccata esse ulla
 alia pręter ciuilia delicta. Deinde huc detorquent
 imperiti quędā dicta, uidelicet, Naturam bonā esse:
 item, Peccatū non esse peccatū, nisi sit uoluntariū.
 Hęc cū in loco dicuntur, uera sunt. Deus enim natū-
 ram

Vnde tot dis-
 sentiones de
 peccato ori-
 ginis.

rā condidit bonā et integrā. Sed postea per peccatū Adæ accessit corruptio, qua fit ne naturales uires ob tēperent legi Dei. Item, Peccatū non esset peccatū, nisi esset uoluntariū: de ciuilibus delictis recte dicitur, sed nō debet detorqueri ad peccatū originis. et si Augustinus quadam subtili interpretatione etiam ad peccatū originis accommodat. Dicit uoluntariū esse, nō quia sit in potestate nostra, sumere aut abijcere, sed quia nō inuiti tales simus. Verū nihil opus est hac subtili interpretatione: satis est tenere, quod de ciuilib. peccatis dictū sit. Tale est etiam illud, Non laudamur nec uituperamur propter ea quæ natura adsunt. Ac feci mentionem horum dictorum, quia à Theologis intempestiuē in hac disputatione citantur.

Scholasticorū
Doctōrū sen-
tentia:

Scholastici doctores de peccato originis multa pugnantia dicūt, sed tamē in summa hoc sentiunt, Peccatum originis esse reatū, hoc est imputationē, qua posterī Adæ propter ipsius delictum rei ac damnati sint. Deinde addunt esse quandā imbecillitatē in natura, hanc uocant fomitē: & negant esse peccatum, hoc est, rem sua natura dignam damnatione, sed faciunt pœnam peccati, et rem mediā. Cæterū docent hominem posse sine peccato esse, et satisfacere legi.

Hæc est summa sententiæ Scholasticorum, quæ parit multos alios errores: obruit enim & Legem & Euangelium. Nam cum fingunt non esse peccata, dubitationem, diffidentiam, & similes uiciosos

fos impetus, qui nobiscum nascuntur, obscurant legem. Deinde quia fingunt, lege Dei tantum requiri ciuilia opera: item, homines iustos esse proprijs operibus: abolent Euangelium de misericordia. Item, abolent doctrinam de fide. iubent enim dubitare, & docent dubitationem non esse peccatum. Cum igitur falsa persuasio de peccato originis tantam ruinam traxerit, necesse est eam reprehendere, ut recte intelligi Lex, & illustrari doctrina de misericordia possit.

Nos igitur contra sic sentimus: Peccatum originis non esse solam imputationem, seu reatum, sine tenebris in mente, & auersione uoluntatis à Deo, & contumacia cordis. Quanquam enim ratio, cum ualeat adhuc in his quæ sensui subiecta sunt, facere possit externa & ciuilia opera: tamen interim hærent in natura hominis, ignoratio Dei, dubitatio, diffidentia, odium Dei, et alij morbi, pugnant cum lege Dei. Voco autem corruptionem, non actum aliquem, sed perpetuum morbum, atque illud ipsum quod alij uocant nunc defectus, nunc concupiscentiam, nunc inordinationem appetitus, quæ nunc in natura reliqua est. Defectus enim sunt, ignoratio Dei, uacare metu, fiducia, amore Dei. Neque uero fingendum est, hos defectus nihil nocere naturæ, quæ reliqua est. nam isti ipsi defectus sunt horribiles pestes ac uitia. Succedunt etiam flagitiosissimi impetus, scilicet diffidentia, & odium

Peccati originis quida

Dei, inordinata concupiscentia, quæ timet, amat carnalia. Sed hæc omnia sient illustriora ex antithesi.

Anselmi definitio. Anselmus recte definit peccatum originis, cum ait, esse carentiam iustitiæ originalis. Hic iustitia intelligatur, non tantum imputatio seu approbatio, sed etiam in ipsa natura hominis, integritas uirium animæ & corporis, certa notitia Dei, & obedientia perfecta, timor, fiducia, amor Dei. Amissa hac integritate, uires animæ & corporis ita corruptæ sunt, ne uere possint obedire legi Dei. Postquam amisit natura firmam de Deo noticiam, necesse fuit succedere ignorationem, dubitationem, contemptum, aut odium iudicij Dei.

Cumq; sit sine Deo, timet, amat carnalia, & habet multiplices impetus, pugnantes cum lege Dei. Sic interpretatur Anselmus ipse definitionem, ut ostendat se & defectus & concupiscentiam complecti. Et Bonauentura prudenter inquit, nihil interesse inter has figuras, dicere, quod peccatum originis sit concupiscentia: aut dicere quod sit defectus. & addit, altero alterum significari & comprehendî. Ideo recentiores sine causa rixantur, peccatum originis esse defectum, nõ concupiscentiam. utrumq; enim complectitur. Et hic sciendũ est, utruq; esse materiale peccati, & concupiscentiam & defectus. Siquidem formale peccati uere ac proprie est reatus, seu imputatio.

Vnde

V N D E S I T P E C C A

tum originis.

Postquam Adam lapsus est, amisit integritatem naturalem, cum sentiret iram & iudicium Dei, ac subijceretur regno peccati & mortis. Ac spoliatus prioribus ornamentis, procreauit deinde tales, qualis iam erat ipsius natura. Ita posterius propagatione contrahunt uitium originis, hoc est rei sunt, & habent uitiosam naturam.

D E P O E N I S.

Scholastici concupiscentiam faciunt poenam peccati, non peccatū. Nos concupiscentiam dicimus, & poenam lapsus Adæ, & peccatū in nascentibus. Est & mors poena, sed præcipua poena est tyrannus diaboli, cui subiecta est natura hominis propter peccatum. Et de hac poena loquitur Genesis, cum inquit: Insidiaberis calcaneo eius. Sæuit itaq; diabolus in naturam hominis, exercet eam terroribus, et omni genere calamitatum, atq; interficit eam. Ad hæc impellit eam ad omnis generis flagitia, ad blasphemias, ad impias opiniones, ad hypocrisin, ad cædes, ad odia, &c. Idq; res ostendit etiam in præstantibus uiris, qui cum uirtute uiuere conati, tamen naturæ imbecillitate, & potentia diaboli uicti, inciderunt in uaria turpitudinis genera.

Peccati poena, concupiscentia, mors, & tyrannus diaboli.

T E S T I M O N I A, Q U O D S I T

peccatum originis, & quid sit.

Psal. 50. Ecce in iniquitatibus conceptus sum,

Et in peccatis concepit me mater mea. Deplorat enim non matris peccatum, sed suum. Ego ita conceptus sum, ut cum formarer, statim in mea massa, seu in me ipso, extiterit peccatum. Testatur igitur propheta, peccatum esse in hominibus, quod nascentes secum afferunt. Ephes. 2. Erasmus natura filij iræ, sicut et ceteri. Ebraica phrasis est, Filij iræ, pro reis, seu damnatis. Et dicit Paulus, pariter Iudæos et gentes natura esse filios iræ. Ergo non tantum contrahitur damnatio actualibus peccatis, sed etiam morbo naturæ. Porro in eodem loco describitur magnitudo huius mali, ubi dicit, diabolus efficacem esse in incredulis. Hinc intelligi potest, quæ sit præcipua poena peccati originis, quam nusquam attingunt scholastici in suis disputationibus. Et quidem de hac poena, videlicet quod homines sint subiecti regno et tyranni diaboli, præcipue admonendi erant homines: ut cognita magnitudine mali, intelligeremus beneficio Christi opus esse.

Rom. 5. Vnius delicto omnes mortui sunt. Ergo alij sunt rei propter Adæ lapsum. Et addit, Mors peruasit in omnes, quia omnes peccauerunt. Ebraica phrasis est, Peccauerunt, pro rei sunt, seu peccatum habent. Quod si tantum actualia delicta essent peccata, unusquisque tantum reus esset sui facti. Nunc cum clare dicat, nos reos esse propter Adæ delictum: testatur aliud quoddam in natura peccatum

Peccare quid
 Hebræis.

peccatum esse, præter actualia delicta. Et ne id peccatum intelligatur tantum reatus, pondera horum uerborum obseruanda sunt, peccatum regnauit, mors regnauit, & similia. Significat enim homines oppressos esse ira Dei, nõ habere firmam Dei noticiam, odisse & fugere iudiciũ Dei, mori perterrefactos iudicio Dei. Sicut inquit Paulus, Aculeus mortis peccatum est.

Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest intrare in regnũ Dei. Si opus est regeneratione, ergo uetus natura rea est et immũda.

Genesis 8. Cogitatio humani cordis mala est à pueritia. Significat enim non solum consuetudine delicta cõtrahi, sed in natura peccatum esse, quod statim erumpit ab initio.

Huc pertinet & Ierem. sententia: Prauum est cor hominis, & inscrutabile. Sed plurimum ualent in hac causa Pauli sententiæ, Rom. 7. & 8. quæ testantur peccatum esse. Constat enim eum ibi non tantum actualia delicta accusare, sed peccatũ hærens in membris. de quo dicit: Inuenio aliam legem in membris, repugnantem legi mentis meæ. Item: Carne serui legi peccati. Item: Sensus carnis mors est, & inimicitia aduersus Deum, nec potest legi Dei obedire.

Hæc loca utrumq; docent, & nasci homines cũ peccato, quia certe concupiscentia nobiscum nascitur: & testantur peccatum originis non tantũ

Naturæ huma-
næ defectus.

esse reatū, sed etiam morbū in ipsa natura hæreren-
tē. Nec refert, utrum hunc morbū appelles defe-
ctum, an concupiscentiam. Reuera enim nihil in-
terest, si defectum prudenter intelligas. Nihil dici
grauius potest, quā tales defectus in natura esse,
ignorationē Dei, uacare metu, fiducia, amore Dei.
Nulli morbi grauiores nominari possunt.

Hæc de peccato originis uera et perspicua sunt,
& consentanea scripturis & ecclesiasticis patri-
bus. Sed sicut olim Pelagiani, intempestiue philo-
sophantes sustulerunt peccatū originis: & postea
scholastici, etiamsi in speciem retinent, tamen re-
uera tollunt, cū negant concupiscentiam peccatū
esse, & fingunt hominem posse legi Dei satisfacere.
Ita sunt & his temporibus multi leuiter docti,
qui suauiter deridēt hæc quæ diximus de peccato
originis. Quia enim ratio non cernit hanc infir-
mitatem esse rem damnatam, & philosophia nihil
iudicat esse uitiosum, quod non est in potestate no-
stra: ideo colligunt absurda, quæ uidentur hærere
in nostra sententia, eaq; ualde exagitant, & hanc
totam ecclesiæ sententiam iudicant esse merū deli-
ramentum. Aduersus hos leues spiritus, diligenter
muniendi sunt animi scripturæ testimonijs, quæ ci-
tauimus: & uidendum, ne ea nobis excutiant isto-
rum calumniosæ interpretationes, qui transfor-
mant sententijs de rebus spiritualibus & arcanis
dictis, in philosophiam & ciuiles opinionones.

Restat,

Restat, ut uulgare dictum interpretetur, quod solent ad extenuandum peccatum originis citare. Dicitur enim, peccatum originis in baptismo remitti. Hoc dicto somniant, post baptismum nullam rem uitiosam, aut damnatione dignam, reliquam esse. Ideo nec docent de fide, sed fingunt hominem iustum esse propria mundicie. Verum nos dictum illud sic intelligimus: In baptismo remitti reatum, & tamen manere ipsum morbum. hoc est, manet morbus, sed non imputatur credenti. Præterea cum datur spiritus sanctus, concipimus novos & pios motus, quibus aliqua ex parte corrigi morbus incipit. Atq; ita per omnem uitam luctandum est cum hoc morbo dupliciter: Primum, fide statuendum est, quod non imputetur: deinde, fide etiam concipienda est noticia Dei, & fiducia misericordie, & consolatio. Hoc cum fit, aliquo modo corrigitur morbus, & inchoatur uita æterna. Voco autem morbum, ut supra dixi, concupiscentiam & defectus. Constat enim, post baptismum etiam in sanctis adultis manere utrumque. nam & sancti ægré obtemperant in cruce, dubitant, diffidunt Deo, stomachantur concedi impijs successus & uictoriam in persecutione, &c. Hæc testantur, adhuc in natura hæreere & concupiscentiam, & defectus. Et necesse est scire hæc esse peccata, hoc est, res uerè dignas damnatione, quod ad ipsius morbi naturam attinet: sed tamen ita non imputari,

Peccatū originis quatenus in baptismo remittatur.

Et si sanctos post baptismum laborare originis morbo.

si fide misericordiam apprehendamus. Nisi enim hoc peccatum agnoscamus, neque beneficium Christi intelligi, neque exerceri fides poterit. Quod autem in sanctis tale peccatum reliquum sit, clarissime testantur loca 7. & 8. capituli ad Rom. supra citata. Augustinus ad eundem modum docet de remissione peccati originis in baptismo: Peccatum (inquit) remittitur, non ut non sit, sed ut non imputetur. Vt autem studiosi doctrinam ecclesiasticam de morbo originis complecti animo facilius possint, adijciam has propositiones, quæ summam negocij continent.

Propositiones
de peccato
originis, sum
marie.

Peccatum originis est carentia iustitiæ originæ
lis, id est reatus propter lapsum Adæ, & prauitas
secuta lapsum: hoc est, tenebræ in mente, auersio
in uoluntate, & contumacia cordis. id est, homi-
nes sunt rei & propter lapsum Adæ, & propter
eam prauitatem quæ secuta est.

Defectus sunt, ignoratio Dei, non ardere amo-
re Dei, uacare metu, fiducia Dei.

Hos comitantur prauæ inclinationes, amor no-
stri, superbia, seu admirari nostram sapientiam,
consilia, ludere opinionibus fingendis de Deo, &
cultibus, quærere humana præsidia contra uolun-
tatem Dei, anteferre uitã, uoluptates nostras man-
dato & ordinationi Dei.

Hi defectus & inclinationes non sunt proprie
sentientis potentiæ, sed superiorum, mentis & uo-
luntatis:

luntatis: & tamen sequitur etiam ingens *ἀταξία* in inferioribus uiribus.

Anselmus utrumq; complecti uoluit, defectus & inclinationes, cum ait: Peccatum originis est carentia iustitiæ originalis.

Cæteri nomine concupiscentiæ utrumq; complexi sunt: idq; expresse monet Bonauentura.

Significat igitur concupiscentia in hac questione, non substantiam creatam à Deo, sed morbum, qui accessit post lapsum, id est *ἀταξία*, seu defectus, & prauas inclinationes in mente, uoluntate, & cæteris uiribus.

Concupiscentia.

In baptismo reatus tollitur, morbi manent, & si frenantur à spiritu sancto.

Nec existimetur leue malum esse, reliquum uitium. Triasunt grauisima testimonia, quæ ostendunt magnitudinē huius mali: Dignitas uictimæ: magnitudo calamitatū humanarū, quibus subiecti sunt & sancti propter hoc malum: item lapsus sanctorū. ut Moyses dubitauit ad rupē, unde aquā elicere iussus erat, & duriter obiurgatur propter id peccatum. Dauid quā graues lapsus habet? Aaron assensit facientibus uitulos. Deniq; omnes sancti peccant securitate, diffidentia, superbia, impatientia, & alijs multis flammis cupiditatum.

Originalis peccati grauitas unde cognoscatur.

Non igitur hic morbus, *ἀδὴ ἀφ' ὅπου* quiddā est, sed uitium pugnans cum lege Dei, dignum morte æterna, ubi non condonatur. Et cum sanctis con-

donatur, luctari cum hoc malo fidem oportet.

Sententiario-
rum de pecca-
to originis
dissentio.

Sententiarij non eodem modo senserunt omnes. Bonauentura, & quidam alij, agnoscunt uitium in mente & uoluntate esse, pugnans cum lege Dei. Laudat enim dictum Hugonis, qui ait, peccatum originis est ignorantia in mente, & concupiscentia in carne.

Nec reprehendimus eos qui recte sentiunt: ne illi quidem nostros improbaturi erant, cum negamus illum morbum *ἀδελφότητος* esse.

Occam mauult dicere, peccatum originis tantum esse reatu sine ullo uitio. Reliqua turba aperte negat, in uoluntate uitium esse post acceptam gratiam. postea addit, fomitem tantum in corpore esse, nec concedunt esse uitium.

Franciscanus Colonienfis etiam rem bonam esse putat, inquit: Si carni præciperetur, Non concupisces, perinde esset ac si Deus præciperet soli & lunæ ne lucerent, igni ne arderet. Hæc omnia agunt uel naturæ impellente. Quid magis asinum cogitari potuit, quam quod fingit concupiscentiam rem bonam esse, ut lumen solis? Discerni enim debent, substantia à Deo creata, & uitium, seu *ἀνάγκη*, quæ postea accessit.

Formale pec-
cati, & mate-
riale, quid.

Formale peccati proprie est, reatus: materiale, est ipsum uitium, hoc est defectus, & inclinatio-
nes prauæ. Hoc non satis attenderunt recentio-
res Sententiarij, qui uocant defectum formale pec-
cati,

cati, cum sit formale uitij. Materiale uocant concupiscentiam, id est appetitiones in sensu.

Ideo remoto defectu in baptismo, sicut ipsi imaginabantur, cetera putabant esse *ἀδολογία*.

Et ut fit, in hoc errore multi sunt errores inuoluti, quos explicare longum esset: & multa dicunt contra Dialecticam.

Hinc sequitur, quod fingunt hominem legi Dei satisfacere posse, &c. Nec de fide quicquam dicunt.

Quare simplicem ueritatem retineamus, ne queramus quomodo excusemus aliorum errata. Et prophetae & apostoli aperte uocant peccatum, naturae infirmitatem reliquam in Sanctis. Et Paulus discernit inter peccatum & damnationem: hoc est, inter uitium illud pugnans cum lege Dei, & reatum.

DE PECCATIS

Actualibus.

Peccatū actuale significat fructus uitiosae naturae, hoc est affectus & facta, contra legem Dei. Simul autē cōplecti debemus personā et opus. Itaq; etiamsi aliqui impij habent honesta opera, tamen quia personae sunt uitiosae, opera non placent Deo. Et in illis personis sunt interiora uitia, dubitatio, uacare timore ac fiducia Dei. ut in summis uiris, Pomponio Attico, Cicerone: qui etiamsi habent noticiam aliquam legis, uidelicet quod Deus sit

Peccatū actum
le quid.

ste

fit bonus, iustus: tamen non norunt Euangelium, quod Deus gratis remittat peccata. Ideoq; in magnis afflictionibus, iudicāt se reijci à Deo. Quare cum habeant interiores morbos, etiam polluuntur externæ actiones. Sicut Paulus ait, Omne quod nõ est ex fide, peccatum est: id est, quod fit ab his qui dubitant se respici à Deo, qui non credunt se habere Deum propicium. Fides enim significat fiduciam misericordiae. Quamq; enim non est nostri iudicij, quid Deus egerit cum illis præstantibus uiris, Solone, Aristide, Fabio, Scipione, Pomponio Attico, & similibus, an peculiari beneficio ipsis præbuerit aliquem intellectum gratuitæ misericordiae, & remissionis peccatorum, & ueri cultus: tamen nos tantum iuxta uerbum nunc promulgatũ, hoc est iuxta Euangelium iudicare debemus, neminem sine Christi cognitione, & misericordia propter Christum promissa, saluum fieri.

Obiectio. Sed hic obiici potest: Si honesta opera sunt peccata, quorsum igitur prodest ea facere? Item, Cur præcipit ea Deus, cum non approbet peccatum? Iuxta illud, Non Deus uolens impietatem tu es.

Responsio: Nobis facilis est responsio. Adde enim fidẽ ad hanc disciplinam, tunc placebit Deo, etiamsi reuera est imperfecta obedientia, sicut supra dixi, quia persona placet. Et hæc obedientia habet in his qui uere credunt, præmia corporalia & spiritualia, in hac uita, & post hanc uitam.

Sed

Bona opera
quatenus
Deo grata.

Fides.

Sed si de impijs quæritur, hoc respondeo: Nos nõ esse Stoicos, qui disputabant omnia peccata paria esse. Sed plus peccat Nero, quàm Pomponius Atticus: & si Dei iudicium est, quantus gradus sit inferioris uitij, quod certè non debet extenuari. Et tamen requirit Deus externa honesta opera, quæ uocantur legis opera. Est autem hæc disciplina præstanda, propter quatuor causas. Prima est, quia Deus eam flagitat, cui omnes obedire debent. Secunda, ut uitentur pœnæ: quia Deus non solum perpetuis cruciatibus post hanc uitam impios punit, sed etiam in hac uita horrēdis exemplis punit sceleratos. Homicidæ retrahuntur ad supplicia, manifesta uì diuina, etiam cum putant se euasisse ex manibus magistratum. Deniq; omnis generis scelera puniuntur quotidianis uitæ calamitatibus, quæ impositæ sunt generi humano, ut tanquã carcer homines & coërceant, & puniant. Sicut Psalmus docet, In chamo et freno maxillas eorum constringe. Philosophi quæruñ causam, cur hæc præstans natura subiecta sit tot ærumnis. At Psalmus ueram causam proponit. Testatur homines ideo subiectos esse his calamitatibus, quia natura est uitiōsa, & tum coërcenda est, tũ puniēda quotidianis ærumnis. Ac mouerūt exempla etiã ethnicos, qui uidebant homicidas, periuros, incestos ruere in atroces pœnas. Hinc sunt illæ sententiæ, ἀδελφὸς ἐστὶν ἰούδης γένει μετ' ἐταροδίου ἀμείνω, & similes.

Operã disci-
plina cur præ-
standa,

Calamitatum
uitæ huius
causa,

Tertia

110 DE PECCATIS

Tertia causa est, cur disciplinam necesse est prestare, ut societas communis sit tranquilla. Quarta causa in primis magnificienda est, quia Paulus uocat legem pædagogiam in Christum. Hic est magnus honos disciplinæ, estq; sententia, Donec uitiosus cupiditatibus frenum laxant homines, & delectantur turpitudine, non sunt membra Christi.

ex pædagogia in Christum.

Item, emendati si rursus se polluant flagitijs contra conscientiam, non manent membra Christi. Hæc ratio moueat animos, ut disciplinam iudicemus magnopere necessariam esse.

Deinde constat hoc quoq; illas ipsas heroicæ uirtutes in summis ingenijs, uere esse peculiaria dona & opera Dei. Qualis fuit in Xenophonte, inquisitio Dei: in Themistocle, Fabio, Scipione, magnitudo animi atque consilij in defendenda patria: in Lælio, Attico, moderatio & fides. Cum autem sint uerissime opera Dei, sicut ipsi oculi nostri, certe non sunt res malæ. Quare iustitia carnis habet etiam suam laudem, & docendi sunt homines, quod Deus eam requirat, ac præmijs ornet.

Virtutes heroicæ uere Dei opera et dona

Obiectio. Quod autem obijcitur, Hanc iustitiam peccatum esse, Deus autem non requirit peccata. Respondeo: Deus requirit opus ipsum. Deinde, quod istud opus sit peccatum, id fit per accidens, scilicet propter uitiosam personam. Ut magnitudo animi in Achille est egregia uirtus per sese, & uere opus Dei: sed fit uitiosa, quia persona est uitiosa, quæ dubitat

Opus bonum quomodo peccatum.

utrum

Utrum Deus respiciat homines: est sine timore, & sine fiducia Dei. ideo opus ipsum non est obedientia erga Deum. Ille autē est iustus finis operū uere honorum, ut sint obedientia erga Deum. Deus igitur rem quidem bonam requirit, sed natura uitiosa, illud ipsum quod Deus requirit, contaminat.

Reliqua est distinctio peccati, Mortalis ac uenialis. Sed de hac distinctione infra dicemus. Non enim potest intelligi quid sit ueniale, nisi prius de fide dixerimus. Nam sine fide conscientia non potest consistere in iudicio Dei. Ideo fiunt mortalia omnia, quæ conscientiam accusant. Sicut Paulus inquit, Lex iram efficit. item, Aculeus mortis peccatum est, potentia peccati lex. Nec possunt opponi iudicio Dei, quamlibet honesta opera, quia non possumus sine mediatore Christo accedere ad Deum. Ideo inquit Paulus, Sensus carnis mors est: id est, Etiam si habet homo sine fide aliquam de Deo noticiam, etiam si habet egregias uirtutes, tamen in iudicio Dei non uiuificant. Quare & si Deus requirit hanc pedagogiā, seu iustitiam carnis, & si corporalibus præmijs eam ornat: tamen ista sunt falsa, quæ affirmant nostri aduersarij, Quod talia opera mereantur remissionem peccatorum, siue de congruo, siue de condigno. Et quidem docent, huiusmodi opera mereri remissionem peccatorum, sine fiducia Christi. Ita somniant placari iram Dei sine Christo. Sed reclamatur Paulus.

Peccata quatenus mortalia.

Opera quamlibet honesta mereri remissionem.

lus, qui docet gratis remitti peccata, fide propter Christum. Vt clare testatur Ephes. 2. Gratis saluati estis, &c. Hæc in præsentia satis sit monuisse. infra enim copiosius de remissione peccatorum, & iustificatione dicendum erit.

In hoc loco de peccato necesse est admonere Lectorem de affectibus. Duplices sunt in natura hominis affectus. Quidam simpliciter pugnant cum lege Dei: ut, appetere alterius res, aut coniugem, inuidere alijs Dei beneficia, appetere gloriam indebitam, & efferre sese supra alios, diffidere Deo, stomachari aduersus iudicium Dei, odisse Deum. & tales affectus sunt proprie fructus peccati originis, & sunt simpliciter mali ac uitiosi, & efficiendi ex natura hominis, nec erant futuri in integra & incorrupta natura. Alij sunt affectus, qui non pugnant cum lege Dei: ut amare liberos, coniugem, bene meritos, irasci uitijs. Natura enim incorrupta, non erat futura sine omnibus appetitionibus. nam appetitiones ex natura tollere, est tollere motum & uitam. Ideo & si hi affectus etiam contaminantur uitio originis, tamen sciendum est eos per sese non esse malos & uitiosos, sed in natura retinendos esse, & efficiendum ut fiant puriores. Vocantur autem à Græcis *σλογοὶ φρονῆσι*. Hoc discrimen obseruandum est, ne decipiamur ab hypocritis, qui sine discrimine omnes affectus, tanquam per se uitiosos & malos, damnant.

Affectus in
homine du-
plices.

Naturæ pecu-
liares affectus
cuiusmodi.

Scio de definitionibus peccati saepe disputari inter doctos. Nam uulgata definitio, quæ sic recitatur, Peccatum est cogitatum, dictum aut factum contra legem Dei: loquitur tantum de actuali, & est angusta ac tenuis, nihil addit de eo quod est in peccati ratione tritissimum, uidelicet de ira Dei, seu de reatu. Ideo saepe optaui extare definitionem plenioram, et communem peccato originis & actuali. Ac etiam nunc opto, multos eruditos communi consilio et consensu scholis integram & firmam definitionem proponere. Moyses definitionem in his uerbis tradit: Maledictus homo qui non manet in sermonibus legis huius, nec eos opere perficit. Vult igitur peccatum esse, quicquid est in natura rationali contra legem Dei: id' que uocat maledictum, id est quiddam à Deo reiectum & damnatum, offendens Deum & commouens iram Dei, & poenas. Hæc uerba quadrant ad utrumque, ad originale & actuale peccatum. Nam cum ait lex, Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde, et omnibus uiribus, certe iudicat et damnat etiam originale, hoc est in mente caliginem de Deo, in uoluntate auersionem à Deo, in corde contumaciam uagantium & errantium appetitionum contra legem Dei.

Hinc aliquando definitionem extruxi his uerbis: Peccatum est defectus, seu inclinatio, seu actio contra legem Dei, offendens Deum, & commouens æternas poenas, nisi fuerit facta remissio. Defectus et
 h inclinatio

Peccati definitiones diuersæ.

Peccatum uere quid.
 Maledictum.

Vitium philo-
sophis aliud,
quam Eccle-
siae peccatum.

In peccato
præcipuum
quid.

inclinatio, quadrat ad originale: actio, ad omnia actus
alia interiora & exteriora. Agnoscit autem studio
sus partes definitionis, genera, differentiam, & pro-
prium. Genera sunt, defectus, inclinatio, & actio.
Differentia communis est, pugnans cum lege Dei,
Propria sunt, offendens Deum, & commerens eter-
nam iram ac poenas, nisi fuerit facta remissio. Eccle-
sia multo tristius de peccato loquitur, quam philo-
sophi de vitio, qui agnoscunt vitium esse malum, &
confusionem quandam contra naturam, seu contra
legem diuinam, impressam mentibus humanis: sed ta-
men nihil dicunt de ira Dei. Alij dubitant, respici à
Deo hominum facta: alij dicerent, indignam esse mu-
tabilitatem in Deo, nolle peccatum, ac rursus remit-
tere. Denique philosophia non deducit nos ad agni-
tionem iræ Dei. Dolebat Alexander Clitum à se in-
terfectum esse, sed mouebatur facti turpitudine, quam
mens etiã ignara Dei utcunq; intelligit, quia cædes
est quiddam contra naturam: aut mouebatur homi-
num de se iudicijs, nõ intuebatur irã Dei. At in pec-
cato illud ipsum præcipuum, seu formale est, ut uo-
cant, reum et abiectum esse à Deo. sicut Paulus Rom.
7. inquit, Per legem peccatum fit excellenter reum:
id est, cum lex ostendit iram Dei, existunt pauores,
in quibus agnoscimus Deum uere irasci peccato: non
esse ociosum numẽ, ut securæ mentes imaginantur,
sed esse iudicem & uindicem, semper aspicientẽ nos
& punientem peccata, & seruantem confugientes

ad filium mediatorem Dominum nostrum Iesum Christum.

Si cui autē non placet hæc definitio, quā ex Moisi uerbis extractam esse dixi, hunc oro, ut mihi ex alijs tradat magis propriā. Non amo λογικῆς. De rebus magnis differimus, de peccato, de lege Dei, de gratia, de fide: de quibus uel silentium est in scriptis Monachorū, uel diluta doctrina falsis opinionibus.

Monachorū scripta.

Ac definitione peccati constituta, non difficilis est explicatio huius quæstionis, an post baptismum in infantibus sit peccatum. Manet certe malū pugnans cum lege Dei, sed remissum. Ita de adultis querunt, an sit peccatum reliquum in renatis in hac uita. Re-

Peccatum an in renatis & infantibus reliquū post baptismum.

spondent, in eis actualia multa esse, quæ uocant uenialia, quia nemo est sine uitiosis motibus, & plerumq; rapitur simul uoluntas ut assentiatur, aliā ardentius, aliā leuius. De his tantum interpretatur dictū Ioannis: Si dixerimus nos nō habere peccatū, nos ipsos decipimus. Aiunt tales in renatis n̄ uos esse actuales. Sed negant morbum nobiscum natum, esse malum pugnans cum lege Dei. Hæc extenuatio ingentis mali taxāda est. Non sunt enim leuia uitia,

Morbi nobis innati extenuatio.

caligo in mente, quæ parit horribiles dubitationes. & securitas in uoluntate, & amor nostri inordinatus, & in corde contumacia. Hæc mala agnoscit & deplorat Paulus Romā. 7. Et cū nominat peccata, facilis est explicatio, si quis de definitione peccati, quam recensui, dextrē cogitet. Ludūt sophistæ, cum

Sophistarum
 116.

dicunt uocari peccata *κατὰ μάτην*, id est concupiscentiam tantum poenam esse primi lapsus, non malum pugnans cum lege Dei, cui Deus uere irascitur, nisi cum remittit. At in Pauli sermone diserte hoc exprimitur, id malum pugnare cum lege Dei. Non est igitur ambiguitas in sermone Pauli.

In mente Pomponij Attici tenebræ de Deo, & neglectio Dei, & contumacia cordis, sunt mala pugnancia cum lege Dei, quibus Deus uere irascitur, & quantæ pestes sint, ostendunt hinc nati furores, dubitationes de prouidentia, uagari uoluntatem sine timore Dei, sine fiducia Dei, querere sine ordine præsidia humana, et uoluptates. Hæc tanta mala extenuare, magna cæcitas est. Ideo necesse est commo-
 nesteri Ecclesiam Dei.

Renati quomodo se cum huius morbi reliquijs gerant.

Nam in renatis manent reliquiæ huius morbi, qualis est in Attico: & morbus non est ociosus, sed gignit assiduas dubitationes & prauos adfectus. Hæc sunt mala pugnancia cum Lege Dei, quibus Deus irasceretur, nisi iam renatos recepisset. Sunt igitur remissa & tecta peccata. Ac habent renati initia lucis, fidei, timoris, dilectionis, & repugnant prauis motibus. Nec tamen extenuant morbum, sed agnoscunt & deplorant suam immunditiam, & petunt condonationem, seq; fide assidua sustentant, & quia metuunt imbecillitatem, regi se à Spiritu sancto orant. intuentur uitæ regulam, & uerbum Dei, & suæ uocationis officia considerant, & se de inuis laboribus

horibus exercent, & uitant occasiones lapsuum.

Ex hac cōmemoratione facile potest iudicari de controuersia, An sit reliquum peccatum in renatis in hac uita. Veram & pijs necessariam doctrinam tradimus, & quæ prorsus nihil absurdi continet. Ac facilis & expedita est explicatio, dextrè constituta definitione peccati. quod eo toties iam monui, quia uidi confusius de hac controuersia disputari Vuormaciæ, non constituta definitione.

DE LEGE DIVINA.

LEX Dei, est doctrina à Deo tradita, præcipiens quales nos esse, et quæ facere, quæ omittere oportet, & requirens perfectam obedientiam erga Deum, ac pronuntiās irasci Deum & punire æterna morte, non præstantes perfectā obedientiā.

Lex Diuina
quid.

Hæc definitio ex ipsa lege Dei, & multis concionibus Christi sumpta est, continet enim lex præcepta & promissiones, quibus addita est conditio impletæ legis, item comminationes. Præcepta concionantur de integra obedientia, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus uiribus. Item, Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Item, Non concupisces. Comminatio ait, Maledictus qui non permanet in sermonibus legis huius, nec eos opere perficit. Item Matthæi 24. Discedite à me maledicti in ignem æternum.

Hic primum monere necesse est, ingens & infinitum discrimen esse inter leges humanas, & diu-

Inter leges humanas et Dei,
ingens discrimen.

nam. Sed ut non poterat populus uidere fulgentem Moysi faciem, ac uelatam aspiciebat, ita omnium hominum mentes atque oculi procul aspiciunt Legem Dei, nec intelligunt quale iudicium sit, sed utcunque doctrinam de externis operibus esse existimant, sicut de Phocylidis aut Theognidis præceptis cogitant. Sed plures causæ sunt, et maiores traditæ et reuelatæ, legis diuinæ, ut infra dicitur. Non sic aspiciamus legem Dei, ut tabulas Decemuirales Romanas, quæ ante multa secula cum sua curia et rostris perierunt. Sed Lex Dei est regula æterna et immota mentis diuinæ, et iudicium aduersus peccatum, quod impressum est humanis mentibus, et sæpe Dei uoce rursus prædicatum, de quo dicit Christus: Nō ueni soluere legem, sed implere, &c.

Lex Dei.

Hoc igitur discrimen consideretur. Humanæ leges tantum postulant aut uetant externa opera.

Actio honesta
philosophis
quid.

Philosophia docet aliquanto amplius, uidelicet actionem honestam esse, non tantum externum aut simulatum opus: sed in mente rectum iudicium, et in uoluntate liberam electionem, seu *προαισθησις* ad recte faciendum, inquit esse oportere. Moderationem igitur quandam interiorum, et actionum postulat, quæ proprie uocatur *ἠδίκη*. Non autem accusat naturalem immundiciem, nec indicat illa summa uitia pugnantia cum prima tabula, dubitationem de Deo, cor uacans metu et dilectio-

ἠδίκη.

ne Dei, diffidentiam, & similes morbos in natura hominis hærentes.

At lex Dei non tantum requirit externa facta, aut illam diligentiam frenandorum adfectuum, de qua Philosophi loquuntur: sed præcipit ut natura integre obediat Deo, firmam de Deo noticiam habeat, uerum & perpetuum timorem, firmam fiduciam Dei, ardentem amorem. Quia uero natura hominis nõ est talis, ut uox legis est iudicium Dei damnanans peccatum in natura nostra. Hoc sentit Paulus inquitens, Lex est Spiritualis. id est, non est tantum politica sapientia, præcipiens de externis actionibus in uita ciuili: Sed est longe alia doctrina flagitans spirituales motus, firmam de Deo noticiam, ardentem et perfectam dilectionem. ut dicit Lex, Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde.

Lex Dei quæ præcipue requirat.

Lex quomodo spiritualis dicta Paulo.

Sed Monachi de lege Dei, ut de ciuili disciplina locuti sunt. dixerunt legi Dei satisfieri per hanc disciplinam ciuilem, seu philosophicam, id est, per exteriora opera, & qualemcunque conatum uoluntatis, etiamsi in mente dubitationes, in uoluntate & corde multæ prauæ inclinationes manent. Et docuerunt eas dubitationes & prauas inclinationes non esse peccata.

Monachorum traditiones de lege.

Ideo adfinxerunt, homines iustos esse & Deo placentes propter opera, quia arbitrabantur legi Dei satisfieri: non docuerunt homines iustos esse, id est reconciliatos Deo & placentes fide, propter

mediatorem Christum. Sed hos Pharisaicos errores de lege refutat Paulus, adfirmat legi Dei hanc infirmitatem naturam hominum non posse satisfacere, nec placari iram Dei, nec tolli peccatum per opera legis: sed missum esse filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut tollat peccatum, & donet nobis iustitiam & uitam aeternam, ut suo loco copiosius dicemus.

DIVISIO LEGVM.

Lex diuina,

Primum recensentur hæ species. Lex diuina, lex naturæ, leges humanæ. Leges diuinæ sunt, quæ à Deo traditæ sunt, quocumque tempore, & extant scriptæ passim in Moise, et libris Euangelij.

Lex naturæ,

Lex naturæ, ut infra dicam, est noticia naturalis de Deo, & de morum gubernatione, seu discrimine honestorum & turpium, diuinitus insita humano generi: sicut noticia numerorum diuinitus humanis mentibus insita est. Ideo cõgruit cum ea parte legis Dei quæ dicitur Moralís, ut infra ostendam. Prius enim discernendæ sunt species Legis diuinæ.

Legis diuinæ
promulgatio.

Et si inde usq; ab initio mundi, sonuerunt in Ecclesia Dei, uox Legis, & uox promissionis gratiæ: tamen certo consilio, cum constituta est politia Israelitica, Lex Dei promulgata est. uoluit enim Deus publico & manifesto testimonio instaurare noticiam illam, quam mentibus humanis in creatione in didit, ut suum iudicium aduersus peccatum ostenderet. Quia uero tota politia constituebatur, non tantum Leges de singulorum moribus propositæ sunt, sed

Sed etiã additæ sunt Leges forenses, & Ceremoniæ.

Tres igitur partes sunt legis Mosaicæ uniuersæ: Mosaicæ Legi
diuisio.
Leges Morales, Ceremoniales, & Forenses seu Iudiciales. Estq; diligenter hæc distinctio consideranda: quia etiã politia Moysi iam deleta est, tamen discrimen legum considerari necesse est. Ceremoniæ Mosaicæ, & Forenses leges, nec mandatæ sunt cæteris gentibus, nec obligant nos. Et fuerunt ad tempus isti populo Israel traditæ, ut politia ad tempus certum duratura erat, ut esset locus certus, in quo Christus nasceretur, & se patefaceret, concionaretur, fieret uictima, & palàm inchoaret uitam æternam.

Sed est alius gradus legum, quæ uocantur Morales, quæ sunt æterna Dei sententia & regula, nec mutantur temporibus. Semper ab æterno uoluit Deus hanc propositionem, Creatura diligat, & timeat Deum, Creatura rationalis sit casta. Sunt autem leges Morales, quæ præcipiunt de agnitione Dei in mente, & de obedientia cordis erga Deum, & de uirtutibus erga homines: ut de iustitia, castitate, ueritate, temperantia. Præcipuæ autem legum Moralium, simul in una parua tabella miro consilio Dei comprehensæ sunt, quæ tabella uocatur Decalogus. Ideo usitatum est nominare Decalogum, quando legem moralem significare uolumus, quod dextrè & sine uocumaxiæ intelligendum est. Sunt igitur leges Morales, & quæ in Decalogo continentur, ut infrà eum enarrabimus, & Decalogi repetitiones

Morales leges
æternæ, quæ.

Decalogi ta-
bulæ.

et explicationes, ubicunq; in scriptis Propheti-
 cis et Apostolicis leguntur. Hæ cum sint æternæ regu-
 læ mentis diuinæ semper sonuerunt in Ecclesia, etiã
 ante Moysen, et semper mansuræ sunt, et ad omnes
 gentes pertinent. Multa sunt autem naturalia in fo-
 rensis et ceremonijs, quæ etiam sunt perpetua: ut
 Lex quæ prohibet incestas consuetudines. Leuitici
 18. quia ad uirtutes pertinet sanguinis reuerentia. Et
 clare inquit Deus, deleri Cananeos propter ince-
 stas libidines. Cum igitur gentes ante promulgatam
 Moysi legem accusarentur propter hæc flagitia, cer-
 tum est ea æterna Dei lege et naturali iudicio dånari.

EXPOSITIO

Decalogi.



tilissima et saluberrima est medi-
 tatio Decalogi. Continet enim do-
 ctrinam tam copiosam et sublimem,
 ut nunquam satis perspici, nun-
 quam exhauriri possit. Quo ma-
 gis insania illorum detestanda est, qui fingunt posse

Legi Dei non
 posse satis fieri

legi Dei satisfieri: imo addunt, posse amplius et me-
 liora fieri, etc. Hæ uoces nõ sunt humanæ, sed spar-
 sæ à diabolo, qui hoc sarcasmo illudit humano gene-
 ri, lapso ex sua dignitate et puritate. Cũ enim Deus
 ostendit in hac lege, ad quid condita sit humana na-
 tura, unde lapsi simus, in quas miseras ac tenebras
 deciderimus: diabolus quasi illudens nobis, sparsit uo-
 ces ironicæ, extenuantes legem Dei. Sciant igitur

pij hos errores Phariseorum & Monachorum non esse leues: & petant à Deo, ut nostris cordibus uelut detrahatur, quod impedit, ne legem Dei propius aspiciamus: quam serio cogitemus, esse uocem Dei longe maiora continentem, quam ut totam complecti possimus.

Primum autem hæc quatuor de lege cogitanda sunt. Primum: Lex admonet, ad quid condita fuerit natura humana, & qualis fuerit hominis dignitas & puritas, in qua conditus est. Talis enim futura erat humana natura, qualem hic lex describit plena agnitione Dei, semper celebrans eum. semper obediens, semper in omnibus operibus eius præsentiam et gubernationem intuens, iustum ordinem in omnibus afflictionibus obseruans, sine ulla praua cupiditate, sine ullis calamitatibus, sine morte.

Quatuor cogitanda de lege.

Secundo monet nos Lex de præsentis miseria. Iam enim uidemus, naturam lapsam ex prima dignitate, pugnare cum lege, plenam esse tenebrarum, & contemptus Dei, sine ordine, plenam prauarum cupiditatum omnis generis: & peccatum causa est mortis, & infinitarum calamitatum. Nec tamen intelligimus iam miseriam nostram, nec legem uere audimus, nisi cum in ueris terroribus aut poenis agnoscimus iram Dei aduersus peccatum. Hic aliquantulum incipimus intelligere legem Dei, & humanam miseriam. Sicut Dauid clamitat, iram Dei sustineri non posse, si Deus uelit peccata pro merito punire: Si iniquitates
obser-

obseruaueris Domine, quis sustinebit, Et plura sunt
 & maiora peccata in singulis, quam conspici pos-
 sunt. Obserues autem emphasim dicti, Quis sustine-
 bit? Nullius est robur tantum, quod possit sustinere
 humanas calamitates, quæ sunt pœnæ peccatorum.
 Sicut Dauid sensit pœnas adulterij sui, cædes filio-
 rum, filij seditionem, pollutas incesto coniuges, exi-
 lium, stragem ciuium, & alia infinita mala. In his
 pœnis didicit hunc uersiculum, Quis sustinebit? Et
 tamen hæc præsentia mala ne quidem comparanda
 sunt ad æternas pœnas. Ideo quoties hunc uersiculū
 recitamus, Si iniquitates obseruaueris Domine, quis
 sustinebit? cogitemus, uerã & incomprehensibilem
 esse iram Dei aduersus peccatum, aspiciamus legem,
 & agnoscamus nostram immundiciem pugnantem
 cum tota lege: cogitemus, quæ moles pœnarum im-
 posita sit generi humano, intueamur nostras & com-
 munes calamitates, & oremus Deum ut mitiget i-
 ram, quam nemo sustinere & perferre potest: quam
 si exerat, succumbere homines, & perire necesse est
 in præsentibus & æternis pœnis. Ita similia dicta
 Psalmorum admonent nos de uero intellectu Legis,
 & agnitione peccati nostri, ac iræ Dei & pœnarū.

3 Tercio, Lex tacite nos admonet de reparatione
 humani generis, & de uita æterna. significat item,
 ad quantam præstantiam rursus uocemur. Quia e-
 nim Deus repetit uocem legis post lapsam naturam,
 nult certe legem aliquando fieri. Erit igitur repara-
 tio

tio generis humani, erit uita aeterna: quia in hac uita uidemus non satisfieri legi. Sed doctrina de Reparatione, in promissionibus clarius proponitur.

Quarto: cum sic consideramus, quanta sit miseria 4
humani generis oppressi peccato, ira Dei, & morte: & intelligimus uocem Legis, esse sententiam, uinculum, testem & nunciam illius ingentis iræ: semper eregione aspiciamus filium Dei, & consideremus hostiam, quæ sola sustinuit iram pro nobis, subijt onus legis, & placauit patrem: & consideremus beneficium filij Dei, quod exuberat supra peccatum: sciamus item, uocari nos ab ipso filio Dei, ut rursus in nobis inchoetur hæc puritas in lege descripta, ut infrà suo loco dicemus.

DECALOGVS.

TAbulæ duæ sunt, quarum prima continet opera, quibus immediatè seu propriè cum Deo agimus, scilicet præcipuum Dei cultum interiorem & exteriorem. secunda continet opera erga homines, quæ etsi sunt uincula societatis humanæ, tamen fiunt etiam cultus Dei: quia Deus ea suo uerbo præcipit, & pronunciat esse cultus, si fiant propter mādātum Dei. ut docet Esaias cap. 1. item cap. 58. & Samuel: Melior est obedientia quàm uictima. Et Esaiæ 6. Misericordiam magis uolo, quàm sacrificium. & Christus ait, mandatum de dilectione proximi esse simile primo: id est, postulare obedientiam necessariam, sicut & primi mandati obedientia est necessaria

Decalogi tabulæ duæ.

ria

ria. Hæc obseruanda sunt, ut discamus qui sint uerè cultus Dei, & quod omnium præceptorum opera ad primum præceptum referenda sint, ac finis constituendus in singulis, eò facienda esse principaliter, ut Deo præstetur obedientia & honos. Est enim cultus Dei, opus mandatum à Deo, quod principaliter eò fit, ut Deo præstetur obedientia & honos: ac fit cum agnitione Christi, hac fide, quòd propter eum patri placeas. Sicut Petrus iubet offerre hostias spirituales, acceptas Deo per Iesum Christum.

DE PRIMO PRÆCEPTO.

Primum mandatū præcipit de eo opere, quod summum & præcipuum est, uidelicet de uera noticia Dei, de uera & perfecta obedientia erga Deum, perfecto timore, fiducia, & dilectione Dei. Complectitur autem duas maximas res, scilicet modum cognoscendi Dei, & uerum cultum. Modus est, ut apprehendatur Deus per suum uerbum & testimonium. Quia enim Deus est inuisibilis, necesse est de eo aliquod testimonium extare, per quod agnoscat & apprehendatur. ut mens humana intuens mîdi opificium, cogitat de autore Deo: sed hæc noticia nondum sufficit, quam & Ethnici & Mahometistæ tenent. quanquam hæc quoq; multis à diabolo excutitur. Sed ut maxime adsit, manet tamen dubitatio, An ille cõditor Deus nos curet, exaudiat, an sic uelit coli, & quomodo uelit coli. Hic opus est uerbo Dei, & testimonio. Ideo hic propositum est cer-

Dei cultus
quid

Modus co-
gnoscēdi Dei

tum uerbum, & testimonium: Ego sum Dominus deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti. Statuat igitur mens hunc esse Deum, qui se patefecit, dato hoc uerbo in monte Sina: & qui professus est se esse Deum tuum, id est, qui te curat, respicit, iudicat, defendit, punit.

Additum est & testimonium, uidelicet gloriosa liberatio & defensio huius populi, cum educeretur ex Aegypto, &c. Etsi igitur Deus est inuisibilis, tamen mens humana agnoscit hunc esse Deum uerum, qui se in suo uerbo, & testimonijs admirandis patefecit, & ostendit quomodo coli uelit. Sic Adæ principio fuit datum uerbum in Paradiso, & proposita tota rerum natura, quæ esset testimonium de Deo. Sed postea cum lapsus esset, fuit opus consolatione de remissione peccati. Ideo additum est aliud uerbum, scilicet promissio gratiæ: & accedebant signa, rapiabantur igne cœlesti uictimæ. Sic & nobis idem uerbum Euangelij propositum est, & certum testimonium, scilicet filius Dei crucifixus & resuscitatus. Hic ostendit nobis patrem: hoc filio agnito, inuocamus æternum patrem, qui se in filio patefecit, ut dicitur Ioan. 1. Deum nemo uidit unquam: filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Item: Qui uidet me, uidet patrem. & item Matth. 11. Nemo nouit patrem nisi filius, & cui filius reuelauit. Per hęc placatus est pater, propter eum exaudit. Christus ipse inquit Ioan. 16. Quicquid petieritis patrem in nomine

Cur testimonium uerbo Dei additum.

nomine meo, dabit uobis. Hunc ergo statuamus esse Deum, qui se patefecit dato filio, misso ut fieret uictima, & resuscitato, ut sit mediator, intercessor, adiutor & saluator. Item, qui dedit huic filio Euangelium de remissione peccatorum, & de uita aeterna.

Inuocatio ecclesie uera cuiusmodi.

Hæc inuocatio agnoscens Deum aeternum, omnipotentem fiducia Christi per datum Euangelium, discernit inuocationem ueram ecclesie, ab omniū gentium inuocatione. Ergo quoties mens clamat ad Deum, inuocet Deum qui est pater Domini nostri Iesu Christi, crucifixi & resuscitati: & fide cogitet Euangelium datum per hunc filium, Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Hunc modum agnoscendi Dei sepe Paulus nobis commendat. 1. Cor. 1. Quia mundus non nouit Deum in sapientia per sapientiam, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Item doctrina de pontifice Christo intrante in sancta sanctorū, docet idē. Reliqui homines non agnoscunt Deum inuisibilem, sed in hoc arcanum & sanctum sanctorum ingreditur solus filius Dei. Ideo accessuri ad Deum, agnoscamus hunc pontificem, ducentem nos ad Patrem, & perferentem nostras preces. Sicut inquit epistola ad Hebræos: Habentes hunc Pontificē, adeamus ad thronū gratiæ. Hæc de modo agnoscendi Dei necessario docēdi sunt homines, ut recte inuocetur Deus.

Verus Dei cultus in quibus consistat.

Cultus autē, de quibus hic præcipitur, sunt agnitio Dei, credere uerbo Dei, uerus timor, uera fides seu fiducia

fiducia, & uera dilectio. Requirit enim timorem, cū ait: Ego sum Deus fortis, zelotes, uisitans iniquitatem. item, Dominū Deum tuum timebis, & illi soli seruias. Requirit fiduciā & dilectionē, cū ait: Ego sum Deus tuus omnipotēs, te respiciens, curans, defendēs, saluans, &c. itē, Faciens misericordiam diligentibus. itē, Diligas Dominū Deū tuū ex toto corde tuo. Nam hęc dicta ubicunq; leguntur, sunt enarrationes primi præcepti.

Quod autem requirat perfectam obedientiā, hęc uerba testantur, Deut. 6. Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus uiribus tuis. Requirit igitur timorem, fiduciam, & dilectionem Dei supra omnia. Et ita, ut hęc uirtutes sint puræ, flagrantes, & perfectæ, nō admixtis uitiosis cupiditatibus. Sed hanc perfectam obedientiam hęc corrupta natura hominū non potest præstare. Herent in animis dubitatio de ira Dei, & de misericordia: nemo tantū timet quantum debet, nemo sic flagrat dilectione ut debet, & admixtæ sunt multæ prauæ cupiditates. Ideo Paulus inquit: Sēsus carnis inimicitia est aduersus Deum. Nec leue malum intelligit, cum nominat inimicitiam aduersus Deum. Semper igitur accusat et damnat hęc lex omnes homines in hac corrupta natura: quia perfectam obedientiam nec præstant, nec possunt præstare.

Iam dicat aliquis, Atqui necesse est eos qui Deo
i placent,

Perfectā obedientiā requiri in lege.

136 EXPOSITIO PRIMĪ

Quatenus
præstanda lex
illis qui Deo
sunt placituri.

Christo agni-
to præceptū
& inchoari,
& perfici.

Renati quo-
modo legem
præstent.

placēt, facere hęc legē? Respondeo: Primum, nec inchoari potest sine agnitione Christi et Euangelio. Quia enim accusat et damnat lex omnes, et agnoscimus nos reos esse et plenos cōtumaciæ contra hanc legē, ideo corda fugiunt Deum, non diligunt, non audent à Deo bona petere. Sed audito Euangelio, cū agnoscimus nobis remitti peccata propter Christū, & nos recipi in gratiā, fieri filios Dei, quanquā indignos: hic agnita præsentia et misericordia Dei, inuocamus eū, incipimus nos ei subijcere, timere eum, & confidere eius misericordia promissa, & diligere non ociosum, sed tanquam patrem, uere curantem & saluantem nos. sicut ait: Ego sum Deus tuus. Inchoatur ergo præceptum agnito Christo. Deinde & si crescere obedientia debet, tamē nunquam satisfaciunt huic legi etiam renati, sed reliquiæ peccati condonatur eis, ut suo loco dicetur, et ipsi reputatur iusti propter mediatorem Christū. Sicut scriptū est, Christus est consummatio legis. Et cū sint iusti hac imputatione propter filium Dei facta, placet inchoata obedientia, etiamsi non est integra. Faciunt igitur renati hanc legem inchoando, & credendo quod propter Christum reputentur iusti, et quod propter eum condonentur reliquiæ peccati.

Cōmodum est autem docendi causa, his duobus uerbis cōplecti omnia opera primi præcepti, uidelicet appellatione timoris & fidei. Nam & si si-
dem,

dem, seu fiduciã misericordiã necessariò comita-
tur dilectio, tamẽ dilectionis uocabulũ obscurius
est, quã timoris aut fidei appellatio. Timorem
enim oportet nos subinde experiri in pœnitentiã,
oportet & fiduciam experiri in consolatione.

Timor ac Fi-
des, primi
præcepti sunt
ma.

Recensui opera primi præcepti, agnitionẽ Dei,
credere uerbo Dei, timorẽ, fidem, seu fiduciam, di-
lectionẽ Dei. Ad hæc adiungi debet patientia in
afflictionibus, siue cum iniusta uiolentiã tyranno-
rum aut aliorũ uexamur, siue cũ aliã communes
calamitates incidunt, morbi, mors, iacturã rei fa-
miliaris, &c. In utroq; genere requirit Deus obe-
dientiã cordis. Estq; opus primi præcepti & cul-
tus Dei, obedientia ecclesiã in utroq; genere af-
flictionum. ut obedientia Habel in nece, obedien-
tia omnium martyrum in supplicijs, obedientia
Hiob, Dauidis in domesticis calamitatibus, &c.
Nam de priori genere clare scriptũ est: Qui uult
me sequi, tollat crucem suam, &c. Item: Oportet
nos fieri similes imaginis filij Dei. Item: Preciosa
in conspectu Domini mors sanctorũ eius. Extant
igitur clara mandata de hac obedientia, & uult
Deus magis se metui, quã tyrãnos. Deinde uult
nos in ipsis supplicijs non ruere dolore in despe-
rationem, non putare quòd negligamur à Deo,
sed retinere consolationem, quod Deus sit nobis
propicius, & sit gubernaturus euentum.

Obedientiã
cordis re-
quiris.

De altero genere, uidelicet de cõmunitibus cala-
mitatibus

Ecclesia cur
subiecta cala-
mitatibus.

mitatibus scriptum est, Iudicium à domo Dei inci-
cipit. Siue igitur sint poenæ, siue exercitia, Deus
uult ecclesiam subiectâ esse talibus ærumnis, pro-
pterea quod natura humana propter peccatû hæ-
rens in carne subiecta est morti, & puniuntur mul-
ta actualia peccata ecclesiæ, imò sanctorû. Itaque
uult Deus ecclesiâ his ærumnis admoneri de pœ-
nitentiâ, præstare obedientiâ, exercere fidẽ, inuo-
cationẽ & spem, non ruere in desperationẽ, non
putare nos abijci aut negligi à Deo, sed retinere
consolationẽ, quod Deus sit nobis propitijs, &
sit gubernaturus exitû. Huc pertinent dicta quæ
præcipiunt, cum de obedientia præstanda in com-
munibus calamitatibus, tum de retinenda consola-
tione per fidem: Nolite murmurare, id est irasci
Deo, quasi uel crudeliter exerceat nos, uel negli-
gat nos. Itẽ: Humiliamini sub potenti manu Dei.
Itẽ: Sacrificiû Deo spiritus tribulatus, &c. Item
Psal. 37. Subditus esto Deo, et spera in eũ. Itẽ: Sa-
crificate sacrificiû iustitiæ, et sperate in Domino.

Obedientiæ
istius cuiusmodi
coniuncta bo-
na opera.

Ac uide, quàm multa bona opera concurrant
in hac obedientia, quæ simul pertinent ad primû
præceptum. Primum, ipsa obedientia Deum intu-
ens per se est opus bonû, & in hoc præcepto man-
datum, quod præcipit Deum magis timeri quàm
tyrannos. Præcipit item sustinere poenas diuini-
tus impositas, mortem, & similes. ut dicitur, Iudi-
ciû à domo Dei incipit, uel, A Domino corripi-
mur,

mur, ne cū hoc mundo damnemur. Ad hanc obedientiā necesse est accedere fidē, quæ statuat Deū non negligere, nō proijcere afflictos, sed iam quoque te respicere, tibi propitium esse, & gubernaturum hunc exitum, ut David sentiebat cum esset exul. Hæc fides & spes sunt opera primi præcepti: & ex his omnibus conflata est uirtus, quæ uocatur patientia, id est obedientia, quæ Deo præstatur cū quadam tranquillitate animi, seu uoluntate obediendi, quæ ex consolatione fidei oritur. Hæc omnia Paulus uocat pacem, ut Phil. 4. Pax Dei quæ superat omnē sensum, custodiat corda uestra, & mentes uestras. id est, sit in uobis talis pax, seu tranquillitas animi, ut obediatis Deo, & cōsolatione fidei suscētetis & cōfirmetis animos, ut aduersa tolerare possitis, intuentes in promissionem diuinā, in qua cū conspicitur admirabilis bonitas & misericordia Dei, existit etiā dilectio.

Patientia fidei
ac spei cōiun-
cta.

Pax Dei.

A N T I T H E S I S.

Iam cōsideremus humani generis contumaciā aduersus primum præceptū, ut & infirmitatē nostrā agnoscamus, & aliquo modo discernere gradus peccatorum contra hoc præceptū discamus. Primus est Epicureorū & Academicorū, qui negant, aut dubitant, an sit Deus, an curet humana: an hoc uerbum quod habet ecclesia, sit traditū à Deo. Talis est autem maxima multitudo hominū ubiq; quæ prorsus ex animo deleuit omnē assen-

Contumaciæ
humane ad-
uersus primū
præceptū gra-
dus.

Epicurei.
Academici.

tionē de Deo, indulget dubitationi, & eam confirmat. Magnæ igitur tenebræ secutæ sunt lapsum primorum parentum, & has tenebras postea confirmat malicia hominū, & adiuuat diabolus.

2 Secundus gradus est eorū qui idola colunt, hoc est, qui fingūt multos deos, & diuersam potentiā singulis attribuunt, ut Ethnici: aut tribuunt diuinum honorē, id est inuocationē creaturis, ut qui inuocāt sanctos mortuos. Inuocatio enim tribuit omnipotentiā, aut alligant Deū ad certas statuas, cū sine uerbo suo non uelit ad ullam rem alligari. Constat enim mundum semper plenum fuisse, & esse, idolorum. Nec differūt ab ethnicis moribus, inuocatio sanctorum & statuarum cultus.

3 Tertius gradus est Magorum, qui pacta faciunt cum diabolis, hostibus Dei, & eorum qui mago consulunt, & eorum qui alijs superstitionis obseruationibus dediti sunt, quibus tribuitur potentia sine ordinatione Dei. Quare si qui effectus sequitur, diabolus autor est, & fiducia nititur diabolis. Hæc omnia prohibentur Leuitici 20. Anima quæ declinauerit ad Magos, & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi sui.

4 Quartus est Iudeorum, philosophorum, hereticorū, et Mahometistarū, qui omnes sibi fingunt suos deos, nec uolunt agnoscere hunc esse Deum, qui se in hoc uerbo suo per filium Christum patefecit.

Idololatria,
sanctorum &
statuarum
cultus.

Magorum su
perstitiones.

Iudei.
Philosophi.
Heretici.
Mahometi-
ar.

fecit, cum sic tantū uelit agnosci & inuocari. Ergo uiolant primum praeceptū Manichaei, qui fingebant duos deos, bonum & malum, pariter ater nos. Item Samosatenus, qui affirmauit in Christo tantū esse humanam naturam, sicut & Mahometista & impie sentiunt. uiolarunt hoc praeceptū & Ariani, qui negauerunt filium Dei esse de substantia patris. Item alij qui dixerunt, Spiritum sanctū tantum esse motum in hominibus creatum.

Quintus gradus est eorum, qui non inuocant Deum per mediatorem Christum, imò fingunt alios mediatores, sanctos, aut missas, aut satisfactiones, aut alia opera. Item qui dicunt, dubitandum esse de gratia Dei.

Sextus est desertorū, qui deficiunt à uera doctrina Euāgelij, metu uel odio: ut Iudas, Iulianus, etc.

Septimus est desperantium, ut Saul. & in hanc desperationem ruere omnes necesse est, qui nō norunt Euangelium de fide in Christum.

Octauus est, nō discere Euangeliū, non excitare se ad audiendam & cognoscendam doctrinā Christi, cum pater caelestis praeceperit: Hunc audite.

Nonus est hypocritarū, qui etsi uera profitentur, nec sunt polluti externis idolis, tamen in corde sunt sine timore Dei, sine fide, et magis amant uoluptates suas, aut opes, quam Deū: ut Nabal. Talis semper magna multitudo est in ecclesia, etiā habet puram doctrinā, ut monet parabola de semine.

10. Superbia.

Decimus est superbia, id est admiratio & fiducia propriae potentiae, sapientiae, uirtutum, sine agnitione propriae imbecillitatis, sine agnitione et petitione auxilij diuini. ut Alexander maximis rebus gestis, iudicat hoc pulcherrimum, regnū partum esse consilijs & dimicationibus suis: delectatur hac sua sapientia, sua fortitudine: incipit contemnere & premere inferiores, nec agnoscit has tātas res gestas esse Dei auxilio, qui Persis eripiebat imperium ut eos puniret, sicut & postea Alexander factus nequior punitur. Talis describitur & Nabuchdonosor, qui castigatus agnoscit hanc arrogantiam, & se emendat. Sed Sennaberib simili elatus fiducia sui, non emendatur, sed interficitur. Et historiae ostendūt, plerunq; heroicis uiros tandem opprimi tristissimis casibus. Id eo fit, quia hoc modo peccant, admirantur sese, & confidūt suis donis, sine agnitione humanae infirmitatis, sine agnitione & petitione auxilij diuini: & sepe mouent res periculosas, aut etiā iniustas, ex priuatis affectibus, fiducia suae potentiae, ut Pompeius. Accedunt & alia uitia, luxus, despectio, & oppressio aliorū: ut Alexander securus belluabatur, interficiebat optime meritos duces, ideo sequuntur poenae. Hoc ipsum poemata etiā significarunt de Aiace, quem scribit Sophocles ideo punitum esse furore, quia cū pater Telamon abeunti dixisset, ut pugnaret quidē strenuē, sed à Deo uictoriam

Heroicos uiros
r. s. plerunq;
tristiss. casib.
opprimi.

uictoriam peteret: respondit Ajax, etiam ignauos adiutore Deo posse uincere, se uero uel sine Deo. Ex his exēplis facile intelligi potest, quare heroci uiri tandem se uis casibus opprimantur. Et scriptum est de hac elatione & fiducia sui: Abominatio est coram Deo, quicquid est sublime corā hominibus. Etsi autē in heroicis personis clarius conspicitur hoc malum potest, tamen omnes homines aliquid huius contagij habent. Multorū fiducia magis nititur opibus, amicis, industria, q̄ Deo. Hos morbos agnoscere discamus, ut emendemus, & fiducia uere nitatur Deo, sicut Dauid clamitat: Respice in me, & miserere mei, quia unicus & pauper sum ego. Item: Pater & mater dereliquerunt me, Dominus autem suscepit me. Hic etiam recentendi sunt hypocritae, qui confidunt propria iustitia coram Deo, ut Pharisaeus Lucae 18. In his concurrunt multa peccata, uidelicet quod non agnoscunt suam infirmitatem, non agnoscunt se dignos esse poena coram Deo, quod uanam fiduciam habent, quod non inuocant per mediatorem Christum, imò quod sua opera loco mediatoris Deo proponunt. His supra attribui quintum gradum.

Vndecimus est Impatientia, quae proprie aduersatur primo precepto, quia uolūtas recusat Deo obedire in poenis. Interdum etiam irascitur Deo, tanquā duriori domino, aut iniquo iudici, de quo affectu saepe admonet nos scriptura. ut, Irascimini,

11. Impatientia.

ni, nolite peccare: id est, repugnete dolori, & fle-
 Etite animū, ut uolens obtemperet Deo in erum-
 nis, sicut supra dictum est.

Collegi gradus peccatorum, quæ proprie pu-
 gnant cum primo præcepto, qui facile agnosci et
 iudicari possūt. Et quia Decalogus est summa do-
 ctrine omnium uirtutū, distribuamus & ipsas uir-
 tutes in singula præcepta. Ad primum pertinet
 uirtus quæ uocatur aliàs pietas, aliàs religio: sed
 facilius intelligūtur hæc nomina, Timor Dei, fi-
 des, seu fiducia, dilectio Dei. Et quidē has partes
 necessariō cōplectitur ea uirtus, quæ uocatur pie-
 tas. Pertinet huc & Patientia. Ceterū nomen pie-
 tatis penē respondet nomini iustitiæ uniuersalis,
 si definiamus eam obedientiam, quæ Deo præsta-
 tur in omnibus eius mādatis: sicut postea dicemus,
 ad hunc finem, ut Deo obtemperetur, omnia ope-
 ra referenda esse. Collocetur igitur huc & uirtus,
 quæ uocatur iustitia uniuersalis.

Pietas.
 Iustitia uni-
 uersalis.

DE II. PRÆCEPTO.

Postquā in primo præcepto dictū est de mo-
 tibus cordis erga Deū, qui sunt præcipuus
 & interior cultus, quia Deus requirit obedientiā
 cordis non simulatam, iuxta illud, Diligas Domi-
 num Deum tuū ex toto corde: item, Veri adorato-
 res adorabunt patrē in spiritu & ueritate. Dein-
 de secundum præceptum concionatur de externa
 professione: quia Deus uult innotescere, uult uoce
 nostræ

nostra inuocari. Et sicut per uerbū se patefacit,
ita uult hoc uerbū uoce propagari. Idco postquā
de motibus cordis dictū est, nunc præcipit de illa
uoce, in qua sonat nomen Dei, & uerbum Dei.

NON VSURPABIS NOMEN
Dei uanè.

In primo præcepto ponuntur affirmatiuæ &
negatiuæ orationes: Ego sum Dominus Deus tu-
us, qui eduxi te de terra Aegypti. Hæc est affirma-
tiua, cui addendæ sunt & aliæ affirmatiuæ: Dili-
gas Dominū Deum tuū ex toto corde. Itē, Domi-
nū Deū tuū timebis. Constitutis affirmatiuis, etiā
negatiuæ seu exclusiuæ addendæ sunt: Non habe-
bis Deos alienos. Ita in sequentib. cū audimus ne-
gatiuas oratiōes, semper prius affirmatiuā in pri-
mo præcepto expressam mēte intueamur. Hic ue-
tat Deus abusum sui nominis, & tamen uult hanc
uocem propagari & innotescere, Ego sum Deus
tuus. Sunt igitur ueri usus nominis diuini, uera
prædicatio, uera inuocatio, gratiarū actio, et con-
fessio. Hæc quatuor genera operum præcipi hic
sciamus, & huic loco inseramus affirmatiua te-
stimonia de his operibus. ut, Ite docete omnes gen-
tes: Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te,
& celebrabis me, seu ages mihi gratias: Corde
creditur ad iustitiam, & ore fit confessio ad salu-
tem. Hæc dicta proprijsime de his generibus præ-
cipiunt. Pertinet autē ad inuocationem, iuratio.

Verus nomi-
nis Dei usus
quis.

Iuratio.

Quia

Quid iurans inuocat Deum, ut sit testis uoluntatis ipsius, quod non uelit fallere: & petit, ut Deus sit ultor, & puniat fallentem, & ad hanc poenam se obligat. Hinc intelligi potest, quantum uinculum sit iusiurandum. Inuocas Deum, ut in teipsum seruiat eius ira, si fefelleris. Quid potest sibi homo iustius imponere? aut quomodo se ad maiorem poenam obligare potest? Ideo respondent euentus, quia haec obligatio est sancita & confirmata iure diuino, hoc loco: Non habebit Deus infontem, quicumque uanè usurpauerit nomen eius. Ideo etiam in hac uita horribiles poenae comitantur periuros.

Iusiurandum.

Periurium.

QUOMODO POSSIT

fieri hoc praecipuum.

Vt autem supra diximus, non fieri opera primi praecipui sine agnitione filij Dei & fide: ita & de hoc praecipuo sentiendum est. Satis constat non posse fieri inuocationem, nisi agnito mediatore Christo. Sic & de gratiarum actione sentiendum est. Item in ministerio certe necesse est, tradi Euangelium de filio Dei, &c. Denique ut supra dixi, oportere primum apprehendi reconciliationem per filium Dei donatam, postea uero placere inchoatam obedientiam: idem de ceteris praecipuis sentiendum est. Et opera ceterorum praecipuorum ita placent Deo, & fiunt cultus Dei, cum praecedunt opera primi praecipui, timor & fides. Sic reliqua sunt sacrificia laudis, & Deo placent, praecipue

cipue uero opera secūdi praecepti. Sicut scriptū est praecepue de hoc genere, Tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini inuocabo.

P E C C A T A C O N T R A S E-
cundum praeceptum.

Antithesis eadem est, quae est superioris praecepti: cum uitia cordis, quae supra recensuimus, proferuntur. Pugnans ergo cum hoc mandato sermones Epicurei, externi cultus impij, impiæ inuocationes demonum, idolorum & mortuorum, falsa doctrina, periuria, execrationes iniusta, sermones arrogantiā aut impatientiam declarantes: ut dixerat Ajax, se etiam sine Deo uincere posse. Item: usitatissimū malum, prætendere nomen Dei, religionis, Euangelij, iniustis cupiditatibus, ambitioni, auaritiæ, libidinibus, odijs. Papa titulo ministerij quæsiuit potentiā, mouit iniusta bella, instituit aucupia infinita pecuniæ, idola, & alia. Iā hæc ætas etiam titulo Euangelij sepe priuatas cupiditates tegit. Pertinent huc & scandala omnia, quæ uel sauciant infirmas mētes, & fidē languescētē, uel alienant uolūtates aliquorū ab Euāgelio.

Cominationes tristissimæ utrique praecepto additæ sunt, quæ cum de corporalibus pœnis loquuntur, etiā æternam iram significant: quia Lex non annūciat remissionem peccatorum, sed in Euāgelio clare declaratur æterna ira aduersus eos qui non agunt pœnitentiā. Discedite à me maledicti

Secundo praecepto aduersa quæ.

Cominationes primis duobus praeceptis additæ

ledicti in ignem æternum, &c. Quod enim hic dicitur de pœnis in tertiam & quartam generationem scilicet in gentibus, intelligitur de corporalibus. Et ut his prioribus præceptis additæ sunt pœnæ, ita sciamus & sequentibus addi, ut Deut. 27. adduntur maledictiones omnibus præceptis. Nec dubitandum est, calamitates mundi pœnas esse delictorum omnis generis, iuxta dictum Psalmi: Propter iniquitatem corripis filios hominum.

DE III. PRAECEPTO.

VT in primo præcepto docetur opera interiora mētis, uolūtatis, et cordis erga Deū: in secundo, professio externa: ita hic in tertio traditur præceptum de ceremonijs diuinitus institutis. Sed harū præcipuus finis intelligendus est. Ceremoniæ traditæ sunt propter ministeriū docendi, et sunt adminicula huius functionis. Ergo præceptū de sabbato præcipue concionatur de ministerio docendi, & administrandi ceremonias diuinitus institutas. Sicut textus non dicit de ocio tantū, sed nominatim de sanctificatione. Vult eo die sancta opera fieri, id est proprie dicata Deo: hoc est, doceri populū, & ceremonias institutas diuinitus exerceri. Ad eam rem aliquis dies sit destinatus. Hæc principalis sententia pertinet ad omnes homines & omnia tempora, quia est lex naturæ. Caterum de obseruatione septimi diei, constat abrogatis ceremonijs Leuiticis etiam hanc ceremoniam

Ceremoniarū
præcipuus fi-
nis qui.

Sabbati san-
ctificatio.

Sabbati cere-
monia quate-
nus abrogata.

nam

niam esse mutatam, ut clare dicitur Col. 2. Recte igitur dicitur in tertio præcepto duas esse partes: unam naturalem, seu moralem, seu genus: altera pars est ceremonia propria populo Israël, seu species de die septimo. De priore dicitur, naturale seu genus esse perpetuum, & non posse abrogari, uidelicet mandatum de conseruando ministerio publico, sic ut aliquo die populus doceatur, et ceremoniæ diuinitus institutæ exerceantur. Species uero, quæ nominatim de septimo die loquitur, abrogata est.

Discamus ergo, uere hic præcipi conseruatio-
nē publici ministerij, & ceremoniarū, quas Deus instituit. quod Deus uult conseruare, ut maneat
& propagetur ecclesia, ut Ephes. 4. dicitur: Dedit alios quidem apostolos, alios prophetas, alios pastores, alios doctores, ut edificetur corpus Christi, ut non fluctuemus, nec circūferamur omni uēto doctrinæ. Dedit certū uerbū per prophetas & apostolos publice sparsum, additis certis testimonijs, & instituit ministeria publica, in quibus sonet hoc uerbū, ut habeamus certam de Deo doctrinā, nec excogitemus ipsi nouas religiones, sicut ethnici, aut nouos cultus, &c. Hoc tantum Dei donum amare, uenerari, & suo quisque loco adiuuare debet. Sicut dicit Christus: Qui uos audit, me audit: qui uos spernit, me spernit. Ac prophetae deplorantes solitudinem in sabbato, queruntur abolicum esse ministerium docendi.

Publici minist
sterij conser
uatio.

Sabbatū deso
latū apud pro
phetas quid.

Sunt

Tertii præce-
pti opera quæ

Sunt igitur opera huius præcepti, piè fungi hoc ministerio, audire recte docentes, & piè uti sacramentis, & corû usum adiuuare exëplo et frequentia nostra, obtëperare recte docentibus: alere, honore afficere, & defendere pios doctores, adiuuare studia necessaria ecclesiæ. Nõ quæro allegoriã huius præcepti, sed trado propriam et præcipuã sententiam. Nec enim leue aut exiguum opus est, conseruatio ministerij diuinitus instituti.

Peccata con-
tra tertium
præceptum.

Peccata contra hoc præceptum hæc sunt, omittere aut abolere munus recte docendi, falsa docere, deprauare ceremonias, nunquam aut raro adesse publico ministerio in cœtu ubi ecclesiæ recte docentur: item abducere alios uel exemplo, uel alijs modis à publico ministerio, quod nõ est contra minatum impietate, sicut Donatistæ abducebant suos cœtus: nõ obedire ministerio ueræ doctrinæ: exercere operas seruales, id est impediens ministerium die constituto ad publicum ministerium, conferre dies illos in ludos et helluationes, aut alia uitia: contemnere, afficere contumelia pios ministros, non uelle conferre ad eos alendos et defendendos: non tegere eorum infirmitatem, si tamen sint sani in doctrina, sicut Cham deridebat nudum patrem: non iuuare studia ecclesiæ.

Vt aut supra dictũ est, primum præceptũ omnibus reliquis includendũ esse, quæ cũ sint mandata Dei, necesse est agnosci auctorẽ, & obedientiã referri

ferri ad ipsum: ideo timor Dei & fides sunt ceu uita aliorum operum, & adesse omnibus operibus aliorum praeceptorum debent. Quare ut fiant opera huius praecepti, necesse est accedere agnitionem filij Dei, ut possimus in fide & inuocatione Dei huic praecepto obedire. Item cum hoc praeceptum de ministerio & ceremonijs concionetur, necesse est complecti Euangelium: quia legis ministerium tantum est ministerium mortis. Euangelium uero annunciat remissionem peccatorum, & uitam eternam, propter filium Dei. Item ceremoniae diuinitus institutae sunt typi Christi: ideo nec Iudaei poterant recte facere opera huius praecepti, sine agnitione uerae Christi. Et apud monachos & sacrificulos, quia Monachorum & sacrificulorum ceremoniae. doctrina de fide, uera inuocatione, & de ueris cultibus ignota est, multa peccata concurrunt in ipsorum ceremonijs. Falso putant esse cultus operum traditionum humanarum, cenam Domini deprauant multipliciter: & has ipsas uitiosas ceremonias conferunt in quatuor. Haec peccata etiam cum hoc praecepto pugnant, & polluant sabbatum.

Appellationes uirtutum, quas continet primum praeceptum, etiam ad duo sequentia pertinent.

DE SECUNDA TABULA.

Etiam si tantum politica uita hic institueretur, tamen agnoscere humanam rationem oportet, optimam formam politicae hic proponi. Primum sancitur imperium, praecipitur obedientia: deinde

Politicarū le-
gam fontes.

munitur pax, Non occides: muniuntur coniugia,
Non mœchaberis: muniuntur dominia rerū, Non
furtū facies. Postea constituuntur iudicia, & sanc-
tur ueritas in contractibus et pactis, Non dicas fal-
sum testimoniū. Hi sunt fontes legū politicarū. Sed
nos sciamus doceri quidē politicam uitam, sed duo
adiungi. Primum meminerimus Deum aut orē esse,
& harum legum, & uitæ politicæ. Ideo sciamus,
propter Deum obedientiam præstandam esse, &
includamus omnibus primum præceptum, ut obe-
dientiam in cæteris etiam regant timor Dei, & fi-
des. Secūdo sciamus præcipi non tantum externa
opera, sed interiorē obedientiam. Sic debebat esse
ordinata natura hominis, ne haberet inclinatioes,
affectus, aut opera contra hunc ordinē, in quo con-
dita est, & qui in lege declaratur ac præcipitur.

Politice uitæ
confusio.

Apparet autē contumacia & confusio ordinis
in natura hominum, maxime in hac politica uita.
Qualis est cōtumacia in gubernatione? quā mul-
ta iniustæ cædes, iniusta bella? quantū odiorū, &
inuidentiæ? Deinde uagæ libidines, inordinatæ
flammæ & furores amantium infiniti sunt. Postea
furta manifesta sunt innumerabilia, in imposturis
negotiationū, in usuris, & alijs. Atē quis non labo-
rat auaritia? quis suo cōtentus est, & suas res recte
& pie collocat? Postremò omnes deplorant sophi-
sticā, & mendaciā pactorū, contractū, et iudicio-
rum: in his exemplis manifestē cernimus confusio-
nem

nem ordinis instituti à Deo. Ideo discamus, in lege Dei non tantum de externis factis dici, sed accusari totam contumaciam naturæ humanæ, seu confessionem ordinis interiorem & exteriorem. Quare in fine addita sunt præcepta de concupiscentia, quæ clare loquuntur de interiore contumacia.

Nunc igitur percurramus reliqua præcepta, quæ cum sint politica, primum scias Deum præcipere, ut in hac politica societate uiuamus, in qua uult innotescere, uult nos exercere fidem & inuocationem & communibus periculis & laboribus: uult exerceri dilectionem erga homines, & singulos subiectos esse communi seruituti propter ipsum: uult ibi lucere confessionem nostram, ut alij doceantur & inuitentur ad agnitionem, & timorem Dei. Sicut scriptum est, *Luceat lux uestra coram hominibus.* Non uult Samuelem aut Dauidem latere in solitudine & specu aliquo, & tantum arcanis ceremonijs uacare: sed uult eos in medijs fluctibus & procellis gubernationis uersari, & ibi circumferre doctrinam diuinitus traditam. Vult eos in his periculis exercere fidem, docere alios, uult conspici testimonia doctrinæ, quæ Deus per ipsos exhibet: uult subiectos esse communi seruituti, propter obedientiam Deo debitam. Ita lex facit ex æquationem omnium, officia imperans, in quibus singuli singulis seruiunt, cū officia sua faciunt: ut omnes simus unius corporis membra, mutua dilectione,

Reliquorum
præceptorum
summa.

tionem, mutuis officijs coniuncti, ut Deo obediamus. Discamus igitur præcipi hic, ut communia onera totius uitæ & communem seruitutem seruiamus, conferamus operas, ac meminerimus nos à Deo ad hanc politicam societatem conditos esse. Non enim dicit prima lex, quære solitudinem, tuus uoluptates, facito tibi otium: sed inquit, Honora patrem & matrem: sancit imperia, & obedientiam. Discamus igitur, & opera secundæ tabulæ uere esse cultus Dei, ut supra descripsi cultus, scilicet cum gubernantur à timore Dei & fide. Quare toties in prophetis, cum fit collatio cultuum, anteferuntur politica officia ceremonijs. Esaiæ 1. Iudicate populo, &c. & 58. Frange esurienti panem tuum. Osee 6. Zach. 7. Iudiciū uerum iudicate. Et maxime hæc officia Christus ornat, cum mandatum de dilectione proximi ait esse simile primo, hoc est, Deum obedientiam in utroque genere simul postulare, & utriusque generis officia cultus Dei esse.

DE IIII. PRAECEPTO.

Orditur autem quartum præceptum à primo gradu imperij, scilicet à patribus, qui debent esse regula aliorum gubernatorum: de quibus alibi dicitur, ut Rom. 13. Et præcipitur summus gradus obedientiæ, scilicet honos, qui tria complectitur. Primum, agnitionem Dei, quem status esse autorem humanæ consociationis, tum in coniugio, tum in politia. In his ordinationibus conspicitur sapientia

Politica officia ceremonijs præferri.

Honoris, qui quarto præcepto mandatur, tres partes.

Sapientia Dei, bonitas erga nos, iustitia, ira aduersus sceleratos, defensio innocentiae. Est igitur honos, agnoscere hanc societatem esse opus diuinum, testimonium prouidentiae, salutare humano generi, bonum & honestum, & amare hunc ordinem propter Deum & propter utilitatem, & pijs precibus à Deo petere, ut ipse conseruet. Secundò complectitur obedientiam externam, ut communibus officijs tueamur politias, non dilaceremus. Tertio ³ *è inueniatur*, qua in tanta infirmitate humana quaedam errata condonemus imperijs, & ea nostra equitate, moderatione, et diligētia sanemus & sarciamus: sic tamē, ne contra mandata Dei faciamus.

Discerni autem res à personis debent. hic triplex honos, quem dixi, semper debetur imperijs, hoc est ipsi societati coniugali, & politicae, diuinæ & honestis legibus, quas Deus mentibus hominū indidit, & alijs iustis legibus. Sic patres, prophetae, Christus & apostoli semper agnouerunt coniugium & politicum ordinem, esse opera & beneficia Dei: sicut uices motuum & temporū, & multos mirros euentus considerauerunt in politijs. Vnde ratiocinati sunt, Deo curae esse genus humanum. Interim tamen has ipsas res à personis & à diaboli operibus discernebant, qui, quo maiora sunt Dei opera, eo furiosius ea deformare, concutere, & euertere conatur. Amabat igitur Paulus politiam, hoc est leges imperij Romani, & his ob-

Res a personis discernendae.

k 3 temperabat:

temperabat: sed Caligulam & Neronem non amabat: imò execrabatur tanquam organa diaboli, maledicta à Deo, quorum sceleribus contaminari totam rerū naturam uidebat. Hæc distinctio de rebus & personis obseruanda est, ut opera Dei ab operibus diaboli discernantur. Ac magis amabit & uenerabitur ipsas politias & leges, qui poterit res & personas discernere: & intuens in tantam confusionem imperiorum, quæ oritur à diabolo & eius organis, maiore cum dolore spectabit diaboli potentiam, qui in summo loco gubernationis maxima petulantia & atrocitate declarat odium aduersus Deum, & contemptum generis humani, & seuitiam suam. Quid enim monstruosius, turpius, et abominabilius cogitari potest tyrannis omnium temporum, & quàm pauci omnibus ætatibus fuerunt & sunt uel mediocres principes? Hæc tanta mala intelligenda & deploranda sunt, & petendum à Deo, ut ipse emendet & seruet politias. Nec prætextu operis diuini excusanda aut tuenda sunt uitia, nec propter loci dignitatē toleranda sunt manifesta & atroces iniuriæ, impietates, & flagitiosæ libidines tyrannorum sine fine grassantium: sed reliqua politia, cui Deus gladium dedit, recte facit, cum Caligulas & Neronem, & si milia portenta remouet à gubernatione. Sicut honestissime Traianus ad magistrū equitū dixit, tradens ei gladium: Hoc gladio pro me utaris, si iusta imperabo:

Principum
tyrannis.

Tyranni impe-
tio mouendi.

imperabo: sin uero iniusta, contra me utaris. Sed si gubernatores sunt fideles, hoc est, mediocriter student officium facere, & plerunq; iusta agunt, & lapsi resipiscunt, tolerandi sunt, & eorum errata uel tegenda uel sananda sunt. Tales fuerunt Dauid, Salomon, Iosaphat: qui tamen cum fuerint excellentissimi principes, habent tamen suos lapsus, qui describuntur, ut admoneamur, difficillimam et periculosissimam rem esse gubernationem. Nam diabolus cum sit homicida, molitur dissipaciones politiarum, & uel gubernatores euertit, uel habet sua organa in populo: sicut Saulem funditus perdidit, qui tamen initio res magnas & utiles gesserat. Dauidi laqueos iniecit, ex quibus uix eluctatus est. Deinde incendit filium Absolonē, cuius scelus ingentem ruinam traxit. Turbat igitur diabolus politias, & natura hominum per sese infirma est in gubernatoribus & in populo. Ac utrique licentiam naturaliter amant, & oderunt legum & disciplinae uincula. In tantis diaboli insidijs, & tam multiplici infirmitate hominum retinere mediocrē statum, magnum & singulare Dei opus est. Sicut clare dicit Salomon: Ut oculus uideat, & auris audiatur, Deus faciat utrunq; id est, ut gubernator habeat scēlix consiliū, & respondeat obedientia subditorū suo loco, Dei opera sunt. haec impertit per fideles gubernatores, quorum alij alijs praestant. Nulla humana sapientia, uigilantia, aut uirtus par

Gubernatores qui tenent tolerandi.

Diabolū moliri resip. dissipaciones.

est tantis rebus. Ideo Paulus inquit 2. Corinth. 3. Sufficiencia nostra ex Deo est. Itē, Non sumus idonei ex nobis, ne cogitare quidem. Sed in ipsis personis fidelitatem, id est studium recta faciendi requirit 1. Corinth. 4. Ceterū hoc requiritur in ministris, ut fideles sint. Cum igitur mediocris status est politiarum, agnoscamus eum esse beneficium Dei, quod per aliquos fideles ministros impertit: & Deo auctori politiarum obediamus.

Gubernato-
ribus, honor tri-
buendus.

Deinde & ipsis gubernatoribus pro sua fidelitate & ingentibus laboribus, qui comitantur omnem gubernationem, tribuamus honorem, hoc est, agnoscamus eos adiuuari diuinitus: esse organa, per quae Deus nobis bona suppeditat: amemus eos ac nos eis subijciamus, & debere fateamur pro ipsorum sedulitate gratiam, & aliquos lapsus ipsis condonemus. sic tamen, ne contra mandata Dei faciamus. Hæc equitas magna uirtus est, & difficilis. Breuiter annotaui, quas res complectatur uocabulum Honoris: quod diligenter expendendum est. & dixi de discrimine rei, & personarum.

Officia super-
riorum & in-
feriorum mu-
tua.

Continet autem hoc præceptū mutua opera superiorum & inferiorum. Officia superiorum significata sunt in uocabulis patris & matris, item in integro Decalogo, qui uniuersaliter est forma regiminis, et cōplectitur omnes uirtutes, et omnia officia boni patris & boni gubernatoris. sicut uera illa uox est, quemadmodū Xenophon inquit,

BONUS

Bonus princeps nihil à bono patre differt. Primà sit igitur cura gubernatoris de prima tabula, id est curet recte doceri ecclesias. Pater curet doceri liberos suos de Deo. deinde sit iustus & fortis in defensione, sit castus, sit beneficus in iuandis bonis, habeat zelum, & acre odium turpitudinis, sit uerax in dictis & factis, sit candidus, nō suspicax, &c. Sit diligens in facultatibus recte collocandis, ne desint sumptus rebus necessarijs. Denique, ut dixi, totus Decalogus est forma gubernationis. & si gubernator habebit affectum paternum, erit in eo studium harum uirtutum.

Vicissim inferior tribuat honorem superiori, id est agnoscat Dei opera esse politias, obtemperet propter Deum, & condonet quaedam errata. Pertinent huc uirtutes: iustitia uniuersalis, quæ est obedientia legitima erga magistratus. item, cura uocationis. Item *επιεικεια* in dissimulandis, aut sanandis superiorum erratis, ne pax publica turbetur.

Sed opposita uitia, seu peccata, facilius conspiciuntur: ut contumacia aduersus superiores, quæ uocatur inobedientia, & est uniuersalis iniustitia. Itē seditio, negligentia obeundæ uocationis, *πολυπραγμοσύνη*, id est ingerere se alienæ uocationi. Hoc uitio & superiores & inferiores sæpe peccant. Ideo & Petrus prohibet esse *αλλοτριωσις*, ingerentes se alienæ gubernationi.

Præterea ut supra dixi, in imperijs discernen-

Opposita
quarto præ-
cepto uitia.

Rerum discrimen in imperiis obseruandum. *das esse res & personas: ita rerum etiam discrimen obseruandum est. In monarchijs cæteris, gubernatio præcipue spectabat ad ciuilibus & honestæ societatis defensionem, etiamsi erat ignota religio. Sed in regno Antichristi, leges perpetuæ, & præcipue regni, sunt de nouo cultu contumelioso in Christum, & damnato diuinitus. Et finis principalis eius regni est, delere nomen Christi. Et hoc ipso prætextu conditum est regnum, quasi gloriæ Dei intersit, extirpari nomen & doctrinam Christi.*

Mahometi regnum & lex cuiusmodi. *Tale est regnum Mahometi. Lex ipsa Mahometi, est manifesta contumelia aduersus Christum. Deinde, est mandatum de latrocinio, quia iubet interfici eos qui credunt Christum esse filium Dei. Præcipit item, propagari suos errores gladio. Hæc prædicta sunt apud Danielem cap. 7. de paruulo cornu: Sermones contra excelsum loquetur, & sanctos altissimi conteret. Tertio, conceditur lege multiplex turpitudine libidinum: & re ipsa nulla sunt Mahometistarum connubia, quia concedunt duci, dimitti, & dimissas recipi, priuatis arbitrijs, sine ullis causis. Concedunt & lege flagitiosas libidines, propter quas Deus euerit Sodomam, et alias multas ciuitates. Ergo in eo regno nec lex est à Deo, sed est diabolicus furor: quem grassari Deus extremo tempore finit, ut punit mundum, sicut crescentibus peccatis inde usq; ab initio creuit seruitus, & imperiorum asperitas, et confusio.*

Quare

Quare differentia inter reliquas monarchias & regnum Mahometi obseruanda est. Daniel poterat esse magistratus in regno Babylonico: Iudaei poterant militare sub Alexandro; Christiani poterant militare sub Romanis principib. ut sub Marco Antonino fide militum Christianorum magna uictoria parta est in Pannonijs: quia finis militiæ erat honestum regimen politicum. Sed non licet militare cum Turcis, quorum finis est non regimē politicum, sed confirmatio & propagatio legis, quam profitentur. Seruitutem pati Christianis licet, unā militare cum Turcis non licet: quia clare inquit textus, Sanctos Dei conteret.

Christianis
cum Turcis
militare non
licet.

Q V I N T V M P R A E C E P T V M.

Non occides.

Prohibet nō solū externas corporū iniurias, & priuatam uindictam externam, sed etiam in animis malevolentiam, odia, inuidiam, priuatam cupiditatem uindictæ: sicut Christus clare enarrat hoc præceptū Matth. 5. Econtrā uerò postulat erga omnes homines benevolentiam, misericordiam, zelum, candorem oppositum malevolentiae, mansuetudinem, patientiam, æquitatē, quæ remittit aliquid de summo iure propter probabiles causas, uidelicet ut sanabiles reuocentur in uiam: itē, ne ex priuatis discordijs orientur publica dissidia. quia de priuatis offensionibus scimus seuerè præceptum esse, Remittite & remittetur uobis.

Item,

Itē, Vindicta non est res priuati impetus, sed Deus eam sibi relinqui postulat, & metas circūscripsit. Ideo inquit, Mihi uindictam. Constat autem, quantos motus sepe excitet priuata cupiditas uindictæ. Quare & discamus quid de uindicta præceperit Deus, & mandato diuino obtemperemus.

Magistratus
uindicta legi-
tima.

Iam hic addendum est, Magistratum politicum habere mandatū diuinum de legitima uindicta, ac pertinet officiū magistratus ad hanc ipsam uocem, Mihi uindictam, Ego retribuam, Ego puniam, uel mea manu, uel permissione, uel legitimo officio magistratus. quia Deus imperia & politias constituit, retinet, & mutat: sicut ait Daniel cap. 2. Deus transfert regna, & constituit. Sunt igitur diuina uindicta legitime pœnæ, quibus magistratus afficit latrones, adulteros, periuros, grassatores iudicij condempnatos. Ad magistratus officiū & legitima bella pertinent, ut, cū Constantinus repressit

Bellum sum-
mus politicæ
potestatis gra-
dus, eiusq;
abusus.

armis seuitiam Licinij. Sed ut summus gradus est potestatis politicæ bellū, ita in maximo abusu est, ac rarissima sunt iusta ac legitima bella. Sed diabolus cum sit homicida, & inimicus politico ordini, & disciplinæ, sepe leuissimis occasionibus excitat ingentia bella, incensis animis utrinque iniusta cupiditate. Hæc latrocinia tolerat Deus, ut puniantur utriusq; partis scelera. Sicut bellū Peloponnesiacū, quod fuit exitiosum toti Græciæ, ex leuissimis causis ortum est, cæso quodam luco, qui riti-
bus

bus ethnicis habebatur pro consecrato: & quod Pericles incanduerat cōuicijs offensus, quæ erant dicta in Aspasiam. Nec summum ius, præsertim in causa leui, satis iusta causa est inferendi belli: sicut dicitur, Sæpe summum ius summa est iniuria. Sed accedat æquitas, quæ etiã si qua incidit offensio, tamẽ potius sanare eam curet, quàm propter paucorum errata sæuire in innocentes, nocere in infinitum ecclesijs & Reip. Et sciant gubernatores, bella debere esse uindictam diuinã, non debere seruire humanæ cupiditati, aut temerariæ iracundiæ: sicut ait Abigail ad David, Quia prælia Domini præliaris, non inueniatur in te malum.

DE VI. PRÆCEPTO.

Non mœchaberis.

Ingens est cōfusio publica ordinis diuinitus instituti in hoc præcepto, quã prohiberi omnes intelligūt. Addit autẽ Christus enarrationẽ Matth. 5. quæ ostendit, non tantum externa delicta prohiberi, sed etiam prauam inclinationem, & uagos ac errantes motus contra hoc præceptum. Vt autem supra dictum est, prohibitionibus includi quasdam affirmationes: ita & hic obserues, sanciri & confirmari legitimum coniugium, quia hac lege munitur, quæ & consuetudinẽ conjugalem approbat, & c. contra damnat omnem concubitus extra legitimum coniugium. Ac minatur pœnas in hac uita, & æternos cruciatus post hanc uitam. Sicut in

Scortationis
Pœna

epistola

epistola ad Hebræos dicitur, Scortatores & adulteros iudicabit Deus. Item Ephes. 5. Omnis scortator, aut contaminatus, non habet hæreditatē in regno Christi & Dei, propter hæc enim uenit ira Dei super inobedientes. Dixi autē muniri coniugium his legibus: quia etiam cum mundus non punit adulteria, aut alias libidines, tamen Deus punit, nec finit irritas esse suas comminationes, sicut exempla omnium ætatū ostendunt, etiam non scripta. Quædam uero Deus scribi uoluit, ut de regula nos admoneant, Deum uere irasci omnibus pollutis: & uel duriter castigare resipiscentes, ut Dauid castigatus est: uel prorsus delere non resipiscentes, ut deleta sunt Sodomæ. Nec tantum urbes illæ quinque propter hanc causam deletæ sunt, multis alijs exitio fuerunt libidines omnis generis, ut omnibus Græcis ciuitatibus, Thebis, Athenis, Sparta. Nec tantum Troia propter adulterium punita est, sed plurimi reges tragicis casibus interierunt propter libidines, ut Aegisthus, Clytemnestra: Macedonici reges ferè omnes, Philippus, Alexander, Demetrius, Ptolemæi, Cæsares plurimi. Sæpe etiã ingentibus bellis regna mutata sunt propter hanc causam, ut ferè tota tribus Bèniamin deleta est propter stupratam uxorem Leuitæ. Hæc exempla intueamur, & ad comminationes diuinas confraamus, nosq; excitemus ad obedientiam in hoc præcepto, ac repugnemus illicitis flammis. Virtutes

hic

hic requiruntur, pudicitia, seu castitas, seu continentia, uerecundia, temperantia, sobrietas. nam sine temperantia tueri pudicitiam nemo potest.

D E V I I. P R A E C E P T O.

Non furtum facies.

ET hic primum affirmatiua requirenda est. Sancitur enim dominiorum distinctio, quam hæc ipsa uox præcepti testatur ordinationem Dei esse. Quia enim prohibet furta, uult singulos tenere res suas. Hoc testimonio refutantur deliria fanaticorum hominum, qui magno & pernicioso errore contendunt, in Euangelio tolli rerum proprietatem. Deinde & prohibitio obseruanda est, ne aliena appetamus. Et quia contractus diuinitus instituti sunt, ut homines inter se mutuis officijs declarent obedientiam suã erga Deum, pie & sancte exercendi sunt. nam & iniustitiam in contractibus punit Deus, non solum pœnis magistratuũ, sed etiam alijs cladibus, ut inquit Esaias: Væ prædanti, quia uicissim spoliaberis. Deut. 25. Pondus iustum habeas, ut longo tempore uiuas. Et experientia comprobatur usitatam regulam, Male parta male dilabuntur. Continet hæc lex multas uirtutes pugnantes cum auaritia, ignauiã, prodigalitate: scilicet, iustitiam in contractibus, liberalitatem, sedulitatem, parsimoniam. Quia ignaui & prodigi omnes sunt fures. nisi enim ex alieno rapiant, non possunt suum ocium & sumptus tolerare.

Rerum communitio.

Contractus

De

DE OCTAVO PRAECEPTO.

Non dicas falsum testimonium.

Veritatis
utilitas.

HAec lex munit iudicia & pacta, & cōtinet
uirtutem omnium pulcherrimā, Veritatē:
cuius utilitas latissime patet in doctrinis, in iudi-
cijs, in pactis, in conuersatione. Violant enim hoc
p̄ceptum omnes corruptelæ doctrinarum, quæ
sunt fraude, aut petulantia ingeniorum, omnes ca-
lumnia forenses, omnes elusiones fucosæ negotio-
rum, seu sophismata: omnes qui hypocrisi sua insi-
diantur alijs, & non ingenue ostendunt quod sen-
tiunt, & qualis sit natura. Hæc quā late pateant
in uita, diligenter considerandum est, ut uere et a-
criter odissē sophisticam discamus.

DE NONO ET DECIMO

Præcepto.

Concupiscen-
tiam quoque
damnant.

Nonum & decimū addunt declarationem,
ut sciamus lege Dei non solum de externis
operibus præcipi, sed accusari & damnari etiam
uitium herens in hac deprauata hominum natu-
ra, quod uocant concupiscentiam. Non enim tan-
tum damnat hic uitiosos affectus, ad quos accedit
consensus, ut uocant: sed etiam ipsam prauam in-
clinationem, quæ est perpetua quædam auersio à
Deo, et contumacia repugnans legi Dei, et gignit
infinitam confusionē appetitionum, etiamsi non
semper accedit consensus. De hoc perpetuo malo,
inquit Paulus: Sēsus carnis inimicitia est aduersus

Deum,

Deum. legi enim Dei nec subijcitur, nec subijci potest. Nec leue malum intelligatur inimicitia aduersus Deum: multas enim pestes complectitur, dubitationes de Deo, auersionem à Deo, frémítum aduersus Deum, cum punimur: deinde uagos & errantes motus infinitos contra legem Dei, scilicet confidentiam propriæ sapientiæ aut uirium, contemptum aliorum, inuidentiam, ambitionem, auaritiam, flammam libidinũ, cupiditatẽ uindictæ. Hæc omnia Paulus complectitur uerbo inimicitia, in quo econtra reatus intelligendus est. Hæc repugnât Deo, et Deus uicissim irascitur his uitijs, & si propter filium ignoscit credentibus. Quod autem Paulus uocat inimicitiam aduersus Deum, id alibi concupiscentiam nominauit, quæ significat prauam inclinationẽ, & deprauationem omnium appetitionũ. Hinc perspicuũ est, nullum hominem in hac corruptione natum Legi Dei satisfacere. Quia in hac mortali natura manet concupiscentia uitiosa, quam esse peccatum testatur Paulus Rom. 7. Et postea uocat inimicitiam aduersus Deum, & addit, non posse eam legi Dei subijci. quare hic in Decalogo damnatur. Hæc moneri neceße est, ut conspici magnitudo gratiæ, & intelligi doctrina de iusticia fidei possit.

Ceterum & hoc obseruandum est: Etsi nõ in singulis præceptis in uno loco sit mentio præmiorum, aut pœnarum, tamen sciendum est, & promissiones & comminationes ad singula præcepta pertinere,

Concupiscentia quid Paulus.

Promissiones & comminationes singulis præceptis communes.

Et alibi saepe repetitas esse. Summa promissionum in his uerbis est: Qui fecerit hæc, uiuet in eis. Minarum summa est: Maledictus qui non permanserit in omnibus quæ sunt scripta in lege. Sed sciendum est, omnes promissiones legis conditionales esse, id est requirere conditionē, ne quid contra legem fiat. Cum autem lex semper accuset nos, hæc promissiones fierent irritæ, nisi ex Euangelio disceremus, quomodo reputemur iusti, & quomodo placeat inchoata obedientia iuxta legem. Fiunt igitur iustis fide propter Christū, et legis promissiones ratæ, quia Deus recipit obedientiā. Ideo et præmia tribuit corporalia et spūalia, iuxta illud: Date, et dabitur uobis. Itē Psal. 32. Ut eruat à morte animas eorum, & aliat eos in fame. Verum infrà copiosius dicendū erit de discrimine Legis et Euangelij, et promissionū legalium, & eius promissionis quæ est Euangelij propria.

Ordo politicus
Dei opus.

Illud etiam memineris, quia ordo politicus uere est opus Dei, sicut ordo motuum cœlestium: ideo Deus in politica iusticia, regulariter præstat promissiones & minas. Externa & atrocia scelera commitatur manifestæ pœnæ, etiā si cessent magistratus. Homicidæ quanquam effugerunt manus magistratum, tamen mirabiliter ad supplicia retrahuntur. Periuuros, adulteros, et pollutos incestis libidinibus, etiā si magistratus non punit, tamen opprimi uarijs cladibus testantur historiæ, & quotidiana uita. Sed lex testis est, hæc diuinitus fieri. iuxta illud,

Non

Non habebit infontem, &c. Item, fornicatores et adulteros iudicabit Deus, &c. Econtra iustos gubernatores adiuuat Deus, ut constitutio regnorum & exitus bellorum regulariter ostendunt. Ideo addita est promissio corporalis quarto praecepto, quod constituit politias, Si uis longæuus esse super terrâ, etc.

D E L E G E N A T V R A E.

VT lumen oculis diuinitus inditū est, ita sunt quaedam noticiæ mentibus humanis inditæ, quibus agnoscunt & iudicant pleraque. Philosophi hic lumen uocant noticiam principiorum, uocant *κοινὰς νομοίαις* & *πρωτάφαις*. Ac uulgaris diuisio nota est: alia esse principia speculabilia, ut noticias numerorum, ordinis, syllogismi, principia geometrica, physica. hæc omnes fatentur esse certissimâ, & fontes maximarum utilitatum in uita: qualis enim esset uita sine numeris, sine ordine? Alia sunt principia practica, ut totum discrimen naturale honestorum & turpium. Item, Deo est obediendum. Ac debebāt quidem hæc practica principia, tam illustria nobis esse & firma, quæ sunt noticiæ numerorum. tamē quia propter labem originis accessit quaedam caligo, & cor habet contrarios impetus discrimini honestorum & turpium: ideo homines non tam constanter assentiuntur his noticijs, Deo obediendum est, Adulterium est uitandum, Honesta pacta sunt seruanda, sicut huic noticiæ, Bis quatuor sunt octo, manet noticia legum, sed assensus est infirmus pro-

Principiorum
partitio.

pter contumaciã cordis. Notitia testimonium est nos à Deo ortos esse, ac Deo obedientiam debere, et accusat inobedientiam. Dubitatio uero, et contumacia, illustre signum est naturam hominis non esse integram, sicut idem significant, mors & calamitates infinitæ humani generis, & multa prodigiosa uitia.

Veritatem de
sineri in iniu-
stia, quid.

Hæc Paulus Rom. 1. his uerbis exposuit, Veritatem in iniustitia detinent: id est, & si impressa est hominibus uera noticia, quod sit Deus una quædam æterna mens, conditrix & conseruatric rerum, sapiens, bona, iusta, &c. & quod huic Deo obediendum sit, iuxta discrimen honestorum & turpium: tamen hæ ueræ noticiæ detinentur in iniusticia, id est captiue tenentur, non regnant, sed regnat iniusticia pugnans cum his noticijs, scilicet auersio uoluntatis à Deo, contẽptus Dei, fiducia propriarum uirium, deniq; uarij impetus pugnantes cum lumine diuinitus insitamentibus. Ideo & assensus infirmior est, ac fertur equis auriga, nec audit currus habenas. Ideo Philosophi cum uideret infirmam assensionem esse, & rapiti homines magno impetu ad diuersas uoluptates, quæsiuerunt, utrum iusta & iniusta natura uel opinione discernantur. Qua de re dubitare, turpe & flagitiosum est: perinde ac si quis quærat, an natura uel casu bis quatuor sint octo. Lumen diuinũ in mētibus non extinguendum est, sed potius excitandum, & confirmandus animus, ut agnoscat principia præctica, eaq; amplectatur, & statuatur re uera tam certa

Lumen diuinum in mentibus excitandum.

& firma esse, quàm sunt speculabilia, imò pariter
 esse decreta immutabilia Dei. Sicut & Paulus con-
 cionatur Rom. 1. inquit: Deus ipsis ostendit. Itē
 Rom. 2. Opus legis scriptum in mentibus eorū. Vo-
 cat item has noticias ius diuinum, Rom. 1. Qui cum
 ius Dei norint. Est ergo uera definitio legis naturæ,
 Legem naturæ esse noticiam legis diuinæ, naturæ
 hominis insitam. Ideo enim dicitur homo ad imagi-
 nem Dei cōditus esse, quia in eo lucebat imago, hoc
 est noticia Dei, & similitudo quædam mentis diui-
 næ: id est, discrimen honestorum & turpium, & cū
 his noticijs congruebant uires hominis. Voluntas e-
 rat conuersa ad Deum ante lapsum, ardebant & in
 mēte ueræ noticiæ, et in uoluntate amor erga Deū,
 & assentiebantur corda sine ulla dubitatione ueris
 noticijs. Ac statuebant nos conditos esse ad agnoscen-
 dum & celebrandum Deum, & ad obediendū huic
 Domino, qui nos condidit, alit, impressit imaginem
 sui, qui iusta postulat et approbat, econtrā uerò dam-
 nat & punit iniusta. Quanquā autem in hac naturæ
 corruptione deformata imagine Dei, non ita fulgent
 noticiæ, manent tamen: sed cor repugnat, & incur-
 runt dubitationes propter quædam, quæ pugnare
 uidentur cum illis noticijs. quia enim pænæ differun-
 tur, & bonis male est, & malis bene, ambigit ratio
 de prouidentia, hoc est de ipsa prima lege, An Deus
 benefaciat bonis, & puniat malos. Item, omnes natu-
 raliter dubitant se audiri in inuocatione.

Lex naturæ
quæ.

Lex prima na
tura,

Nec tamen extincta est penitus noticia naturalis de Deo. Ideo prima Lex, naturæ re ipsa est agnoscere, quod unus sit Deus mens æterna, sapiens, iusta, bona, conditrix rerum, benefaciens iustis, et puniens iniustos. à qua ortum est in nobis discrimen honestioris & turpium, & quod ei iuxta hoc discrimen obediendum sit, quodq; hic Deus sit inuocandus, & expectanda ab eo bona. Hanc legem naturæ Paulus citat, & sic enarrat, Rom. 1. Et congruere eam cum primo præcepto, manifestum est. Iam huc referantur ueræ disputationes Xenophontis, Ciceronis & similia, qui secuti naturale iudicium, hanc legem contra atheos sæpe inculcant & defendunt.

2 Ad secundum præceptum pertinent leges & dicta de iureiurando, et de pœnis periurij: item de pœnis eorum qui sunt maledici aduersus Deum. nam & ratio iudicat pœnas sequi, & experientia omnium temporum quædam exempla ostendunt. Huc innumerabilia dicta pertinent, de pœnis periurij: ut apud Tibullum, Ah miser, & si quis primò periuria cælat, Sera tamen tacitis pœna uenit pedibus.

3 Ad tertium præceptum pertinet, si qua leguntur probabilia dicta de honestis ceremonijs, ut apud Athenienses iurabant ciues: Pugnabo pro sacris, et solus, & alijs iuuantibus. quod fortasse sumptum est à patribus, qui de ceremonijs diuinitus traditis hoc iusiurandū intellexerunt. Posteritas deinde impia audacia finxit nouas ceremonias, & nouas opinio-

nes: ut fit, quando amittunt homines regulam cœlestem, quæ prohibet institui novos cultus humana auctoritate. Ad tales impias ceremonias non est accommodandum uetus dictum.

Hactenus recensui leges naturæ conuenientes cū prima tabula, quæ sunt obscuriores quàm sequentes, quæ de ciuili societate loquuntur. Intelligit ratio naturaliter discrimen esse inter hominū & pecudū uitam: intelligit iustitiam, castitatē, ueritatē, temperantiam, modestiā, beneficentiā, & alias uirtutes. Intelligit item, genus hominū ad societate legitimā conditum esse. Et intelligit uirtutes propter Deū colendas esse, etiamsi nō moueremur utilitate. Quanquā Deus euidentes utilitates etiam addidit in hac societate.

Primum igitur agnoscit ratio in hac societate, ordine & gubernatione opus esse, & primus fons gubernationis est parentum auctoritas. Ad hanc imaginem postea traditur potestas magistratibus, qui totam societatem regunt, & defendunt.

Ad quintum pertinet dictum, quod prohibet omnem iniustam uiolentiam, Neminem lædere. Et si autem utilitas manifesta est in hac re, non enim posset incolumitas uitæ retineri, si grassari impune liceret: tamen ratio non solum has iniurias propter utilitatem uitandas esse docet, sed etiam propter iustitiā, cuius intellectus inditus est homini. Et ut precipit iustitia tueri innocētes oēs, ita iubet per magistratus coherceri & tolli noxia mēbra. Nec difficile

est prudentibus colligere multas rationes naturales harum sententiarum: sed hæc est præcipua, quod intellectus iusticiæ diuinitus insitus est hominibus, ut noticia numerorum, & si assensio propter contumaciam cordis est imbecillium, quod odijs & cupiditate uindictæ, ira flagrans non audit monitricem rationem. Nec primum hæc lex de non facienda iniusta cæde in tabulis Moysi scripta est: sed statim initio Deus addidit iudicio naturæ illustre testimonium, cum maledicitur & punitur Cain propter interfectum fratrem. Promulgatur et postea lex Genes. 9. quæ prohibet homicidia, & punire precipit per magistratus. Hæc enim sunt uerba in textu, Quicumq; fuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius per hominem, id est per magistratum. Ad imaginem Dei quippe factus est homo, id est ut Deum intelligat, inuocet, celebret, sit iustus. Hunc suum cultorē & sacerdotem Deus non uult uiolari, sed potius defendi & adiuuari, ut Deum colat, & inuocet. Estq; Deus ipse uindex uiolatæ imaginis, uiolati cultoris, & sacerdotis. Ita subinde Deus illustria testimonia addidit legibus naturæ, ne in hac caligine humani cordis extinguerentur.

Ad sextum pertinet iudicium rationis, quod discernens hominum & pecudum uitam, iubet homines certis legibus matrimonia contrahere, et improbat uagos concubitus & adulteria. Hoc iudicium esse in ratione cōiugia testantur. Et si cōtra hunc ordinem

Ad imaginē
Dei creatus
homo, quo
modo intelli-
gendum.

dinem in hac corruptione naturæ multis modis peccatur, sed Deus sanxit legē de cōubijs statim in Paradiso. Et postea uagas libidines diluuiο puniuit, & alijs exemplis, ut de hac lege naturæ nos doceret.

Ad septimum pertinet dictum, Suum cuiq; tribue 7 re. Videt ratio distinctionem dominiorum conuenire huic naturæ hominum, & res per contractus cōmunicandas esse, ut mutuis officijs homines inter se deuinciantur, & exerceant iustitiam & beneficentiam. Hoc naturale iudicium uocant Philosophi legem naturæ, seu ius naturæ, quod longum a ceruum demonstrationum, & multos gradus complectitur. Ideo Iurisconsulti paulo aliter loquuntur, etsi ius ^{ius gentium,} gentium nihil aliud significat, nisi commune hominum iudicium, hoc est principia practica, & demonstrationes ex illis collectas. Nec Platonica illa confusio conuenit huic naturæ hominum, in qua necesse est distincta esse imperia, & distinctas ciuitates, ut coherceri mali possint: quare & res distingui necesse est. Discamus autem, in his officijs exercendis non tantum utilitatem intueri, sed potius ordinem à Deo institutum, & naturæ monstratum: ac propter Deum seruemus metas iustas contractuum, nec defraudemus alios, sed potius adiuuemus, ut tenere suum possint. De hac æqualitate extant eruditissimæ disputationes Philosophorum & Iurisconsultorū, quæ sunt testimonia Iuris naturæ, id est iudicij naturalis de hac materia.

De octauo: Manifestum est rationi humane inditum esse iudicium, quod statuit amandam & tuendam ueritatem esse, & uitanda mendacia. Hic rursus apparet communis utilitas huius legis & officij, quia non essent semper duraturi contractus, nulla essent fœdera & uincula pacis, sublata fide pactorũ, frustra exercerentur iudicia. Nisi ueritas inquireretur in artibus, ut in medicina & alijs, quanta pernicietas uitæ esset falsa pro ueris tradere, uenena pro remedijs commendare. Denique infinitas utilitates Deus semper admisit suis legibus. At nos nõ tantum utilitates intueamur, sed multo magis ordinem à Deo institutum, & hunc ordinẽ, uidelicet ueritatis cõseruationẽ, propter Deũ amemus, et cõstãter tueamur.

Recensui leges nature iuxta seriem Decalogi. Nam hæc series perspicua est, & uiam quam ratio monstrat rectè sequitur. Verum quoquo modo numerentur, res ipsæ congruent, nisi aliena misceantur. Deinde eo prodest sequi hunc ordinem, ut consensus legum nature cum Decalogo appareat, quem conspici multis de causis est utilissimum. Primum, ut intelligamus ipsas leges nature diuinas esse, & ueram earum explicationem, demonstrationes, & congruentes sententias seu apud Philosophos, seu apud Legumlatores magnificiamus, contrarias uerò detestemur. Ideo autem de cœlo sonuit lex diuina, ut Deus testaretur se esse autorem naturalis notitiæ, & postulare obedientiam iuxta eam noticiam, & accusare

genus

Decalogi cū
legibus nature
consensus

genus humanum propter cōtumaciam. Voluit enim Deus extare uocem iudicij sui aduersus peccatū. Po-
stremo sanctis etiam prodest, extare certum testimo-
niū Dei, quæ opera requirat & probet, ne in hac in-
firmitate hominū ratio aberret, sicut in multis legū-
latorib. aberrauit, quorū aliquæ sunt uitiosæ leges.

DE VSU LEGIS.

Non dubium est lege diuina flagitari interio-
rem & perfectam obedientiam, iuxta illud,
Diligas dominum Deum tuum ex toto corde. Cum
autem hæc corrupta natura hominū non possit præ-
stare integram obedientiam, sicut clarè testatur Pau-
lus Rom. 7. & 8. & maneat in hac uita peccatum,
scilicet dubitatio, dissidentia, non satis timere & di-
ligere Deum, & infiniti motus errantes contra legē
Dei: sequitur, homines non pronuciari iustos, id est
acceptos coram Deo propter legem. Ideo Paulus de
hac controuersia acerrime disputat, ac detrahit legi
iustificationem. Etsi autem humana ratio aliter iudi-
cat de peccato, & de iustitia, & ex hac dissimilitudi-
ne humani iudicij et Euangelij certamina oriuntur,
tamen nos audire uocem Euangelij oportet, quæ
clamat inde usq; ab initio, remitti peccata homini-
bus, & reconciliatos placere, seu iustos, id est ac-
ptos esse, propter mediatorem filium, sicut Rom. 5.
dicitur, Per hunc habemus accessum ad patrem fide.
Exoritur ergo quæstio:

Quis sit usus legis, si legis opera non merentur
remis-

Legis triplex
us.

remissionem peccatorum, aut si non sumus iusti lege. Hinc sciendum est tria esse legis officia, seu triplicem usum. Primus est pædagogicus, seu politicus. Vult enim Deus coherceri disciplina omnes homines, etiam non renatos, ne externa delicta committant. De hoc officio loquitur Paulus 1. Timoth. 1. Lex est iniustus posita, scilicet ut coherceantur. Et ut hæc disciplina seuerè defendatur, præficit Deus humano generi magistratus, uult legibus & doctrina regi homines, uult coherceri hominum furores, & puniri supplicijs à magistratibus, ut Deut. 19. dicitur: *Auferes malum, ut audientes reliqui timorem habeant, non miserearis eius.* Et supra hæc addit Deus carcerem multo tristiore, uidelicet calamitates uniuersas generis humani. Sicut Psalmus inquit de causis calamitatum humanarum: *Chamo & freno maxillas eorum constringe, qui non accedunt ad te.* Ac diligenter docendi sunt homines de disciplina, & hæc quatuor causæ proponendæ.

Disciplina legis quatuor de causis necessaria.

Prima, quod necesse sit eam præstare propter mādātum Dei, cui debetur obedientia.

Secunda, ut pœnæ uitentur, quibus uel magistratus, uel Deus punit atrocità delicta.

Tertia publicæ pacis causâ, quia Deus flagitat disciplinam, ne grassemur in aliorū corpora & fortunas. Vult munitam esse pacem & tranquillitatem ut regi & doceri homines possint. Et hic monendū sunt homines, uitam & mores nostros non tantū no
bis

bis, sed alijs etiam seruire debere: & multa scelera non tantum corporibus & fortunis aliorum nocēt, sed etiam polluant alienas mentes. Hæc damna non sarciantur, sed diuinitus pœnæ comitantur.

Quarta causa est, quia disciplina est pædagogia in Christum. Cæteras causas etiam uidebant ethnici modestiores, & magnus furor est nihil moueri metu calamitatum & pœnarum. Sed quarta causa grauior est, & magna laus est disciplinæ, quod pædagogia dicitur in Christum, uidelicet eo quod in illis qui non desinunt se polluere sceleribus contra conscientiam, non est efficax Christus, sicut clare dicit 1. Corinth. 6. Fornicatores, idololatræ, adulteri, &c. regnum Dei non possidebunt. Et in eandem sententiam inquit Ioānes: Omnis qui peccat, ex diabolo est. Necessè est igitur frenare cupiditates, ne repugnemus Spiritui sancto, mouenti corda. Accedit & hoc, quod disciplinæ pars est audire & discere Euangelium, per quod Spiritus sanctus est efficax. Has utilitates disciplinæ meminisse plurimum refert: sed tamen non affingendi sunt errores illorum, qui docuerunt hanc disciplinam mereri remissionem peccatorum, aut sine peccato esse, aut esse impletionem legis, aut iustitiam coram Deo.

Hactenus de usu politico, seu pædagogico legis dictum est. Nunc de secundo usu dicendū est, de quo præcipue concionatur Paulus, ut errores humani iudicij de peccato et de iustitia emēdet. Est igitur alius
usus

Lex quid.

usus legis diuinae, & præcipuus, ostendere peccatū, accusare, perterrefacere, & damnare omnes homines in hac corruptione naturæ. Est enim lex perpetuum Dei iudicium, damnantis peccatum in toto genere humano, patefactum hominibus. & quia notitia legis naturæ est indita mentibus, & quia subinde varijs modis reuelatum est uoce & exemplis, ut in Paradiso, arguit Deus inobedientiam, & addit poenam, scilicet mortē, & cæteras calamitates, ut essent testimonia iudicij aduersus peccata. Postea secutæ sunt multæ conciones & exempla, ut de Cain, de diluio, de exitio Sodomorum, & reliquis. Estq; immutabile iudiciū Dei, opprimens æterna ira omnes qui non liberantur per agnitionem filij Dei. Non igitur imaginemur, legem Dei rem leuem & mutabilem esse, ut fuit Laconica lex, tantū ut ferreo nummo in terra Laconica uterentur. Sed est iudicium Dei, in quo horrenda ira Dei aduersus peccatum ostenditur omnibus temporibus: quod quidem semper sonat & sentitur in ecclesia, magis quàm in reliquo mundo. Sicut statim ab initio in Paradiso, & postea in patrum cōcionibus sonuit uox legis, arguens peccatum, & prædicans poenitentiam. & Paulus inquit Rom. 1. Reuelatur ira Dei de cælo super omnem iniquitatem hominum ueritatem in iniustitia detinentium. Hic testatur, cœlestē uocem in ecclesia sonare; quæ iram Dei denunciat aduersus hominū peccata.

Sonat igitur, ut dixi, in ecclesia hæc uox legis:

Magis

Legis diuinae
autoritas.

Magis etiam sentiuntur hæc fulmina in ecclesia, Adam, Abraham, Iacob, Dauid, Ezechias, Paulus, senserunt terrores in agnitione sui peccati: Sicut leo, cõtriuuit omnia ossa mea. Et psalmi pleni sunt harum querelarum. Et ut sentiatur hoc iudiciũ, & agnoscatur peccatum, Ecclesia subiecta est cruci, cũ interim mundus cæcus & furens contemnat iudicium Dei. Nihil igitur dubium est hanc uocẽ legis arguentem peccata in ecclesia, oportere perpetuò proponi & tradi. Imò grauisimum scelus esset occulta re iudicium Dei, & uocem denunciãntem iram aduersus peccatũ. ut Ieremiæ 1. dicitur: Ecce dedi uerba mea in ore tuo: Ecce constitui te super gentes, ut euellas et destruas. Sed illa est in ecclesia disputatio. Hypocritæ putant legem proponi, ut mereatur reconciliationem, seu tollat peccatum. His erroribus reclamatione Paulus, & tradit sententiã alienam à iudicijs humanis. Imò, inquit, per legem cognitio peccati, quasi dicat, Ideo proponitur lex, ut accuset & damnet peccatum, non tollit. Item, lex iram efficit. Itẽ, per legem peccatum sit excellenter reum. Item, Aculeus mortis peccatũ est, uirtus autẽ peccati lex est. Hæc dicta uiris politicus admodũ uidentur absurda: sed concionantur nõ de politicis moribus, sed de iudicio Dei, quod sentimus in ueris terroribus, & uera pœnitentiã. Nã hunc usum lex nõ habet in hominibus securis. Sicut ait Paulus, Ego aliquãdo uiuebã sine lege: id est, erã securus nõ sentiens iud. cũ Dei. Postea perter-

Ecclesia est
subiecta cruci

Lex est pro
posita.

perterrefactus, agnoui imbecillitatem meã, & meã peccata, &c. Habuit hunc usum Lex in Dauide, cum obiurgatus à Propheta propter adulterium perterrefieret. Deniq; contritio, quam sic uocant, in poenitentia ita clare intelligi potest, si sciamus eam huiusmodi ueros terrores esse. Sed addenda est uox Euangelij, quæ monstrat agnũ Dei tollentem peccata, ac reuelat inenarrabilem misericordiam Dei: qui cum uere irascatur peccato, iudicat quidem peccatũ, sed tamen uult liberare credentes in filium, quem fecit uictimam. Ideo Paulus inquit, Terreri nos, nõ ut pereamus, sed ut confugiamus ad mediatorem. Cõclusit omnes sub peccato, ut omnium misereatur.

- 3 Tertiõ queritur de usu legis in renatis. Quatenus autem renati & iustificati fide, sint liberi à lege dicendũ est suo loco. Sunt enim liberati à lege, idest, à maledictione & damnatione, seu ab ira Dei, quæ in lege proponitur: scilicet, si fidem retinent, et fiducia filij Dei repugnant peccato, & uincunt terrores peccati. Interim tamen docenda est Lex, quæ reliquias peccati iudicat, ut crescat agnitio peccati, & poenitentia, & simul sonet Euangelium de Christo, ut crescat fides. Item, Lex renatis ideo proponenda est, ut doceat certa opera, in quibus Deus uult nos exercere obedientiam. Non enim uult nos Deus nostro consilio excogitare opera, aut cultus: sed uult nos uerbo suo regi. Sicut scriptum est, Frustra colũt me mandatis hominum. Item, Lucerna pedibus meis uerbunt

Lex cur proponenda renatis,

uerbum tuum, &c. Et ratio humana cum non regitur uerbo Dei, facile deerrat: rapitur enim prauis cupiditatibus, ut approbet uitiosa opera, ut apparet in ethnicis legibus. Ac manet immutabilis ordinatio diuina, ut Deo obtemperemus. Ideo & si liberati sumus à lege, uidelicet à damnatione, quia iusti sumus fide propter filium Dei: tamen quod ad obedientiam attinet, manet lex, uidelicet quia manet ordinatio diuina, ut iustificati obediant Deo. Et quidem habent inchoatam obedientiam, quæ quomodo placeat, suo loco dicemus. Hæc de triplici usu legis satis sit breuiter monuisse. Nam de secundo & tertio usu, infra rursus dicetur.

DE DISCRIMINE CONSI- liorum & præceptorum.

Inscitia iusticiæ fidei multos errores peperit. Hinc etiam manauit imaginatio eorum, qui finxerunt in Euangelio tria consilia tradi: de non uin dicando: de desertione facultatum, seu de paupertate, ut ipsi loquuntur: & de uirginitate. Longum autem esset omnes errores recensere, qui in hoc deliramento continentur. Attingã igitur præcipuos. Primum deploranda est cæcitas, quod sic extenuarunt legem Dei, ut mendicitatem, aut simile opus non mādatum, ornauerint maioribus titulis, quàm legem diuinam: cum nullum opus cogitari ab ulla creatura maius possit, quàm quod in primo præcepto flagitur, Diligas dominum Deum tuum ex toto corde.

m Deinde

Deinde de perfectione multa ab eis absurda dicta sunt. Præterea falso putant, legē Dei tantum de externa disciplina concionari: ut hac lege, Non occidas, prohiberi iniustam eadem: nō prohiberi priuatam cupiditatem uindictæ, maleuolentiã, iniusta odia, & similes affectus uitiosos. Christus igitur Mat. 5. hunc errorem reprehendit, ac docet, Lege Dei integram & perfectã obedientiã, et iustum ordinem requiri omnium uirium hominis, interiorum et exteriorum actionum. Ideoq; lege ostendi et damnari naturæ humanæ immunditiem. Quare & pœnas addit de interiore prauitate: Qui irascitur fratri suo frustra, reus erit iudicij. Itē: Omnis qui uidet mulierem ad concupiscendũ eam, iam mœchatus est. Hæc dicta nō sunt Stoicæ hyperbole, ut multi existimãt, quæ tantũ erant ociosæ cogitationes, quæ nec actionem in uita, nec iram Dei significabant. Sed hæc dicta Christi testatur, Deũ uerè irasci prauitati naturali hominis, eãq; uere peccatũ esse. Idq; eo dicitur, ut intelligamus nos non satisfacere legi, & quærendã esse misericordiã, et confugiendũ ad mediatorẽ.

Lege Dei perfectã obedientiam requiri.

Stoicæ hyperbole

Loci de uindicta, ubique præcepta.

Cæterum loci de uindicta, ubicunque leguntur, sunt præcepta. Sed alij cõcionantur magistratib. de officio: alij loquuntur de priuata uindicta, maleuolentiã & perniciosis certaminibus, quæ oriuntur præsertim in acribus & uehementibus ingenijs, ex cupiditate uindictæ, ut exarsit in Mario, in Sylla, in C. Cæsare, in Pompeio iracundia. Et in Ecclesia non minus

minus est exemplorum, quam in cæteris regnis. Multi maleuolentia & cupiditate uindictæ mouerunt ingentia certamina, ut de Ario nominatim scribitur. Discernēda est igitur uindicta, a'ia est publica, quæ fit mādato Dei, a Magistratu. De hac dicitur Rom. 13. Vindex ad iram malefacienti. Nec dubiū est, magistratū mandato diuino cogi, ut puniat delicta. Ac sciant utriq; se obedientiā debere Deo. Magistratus puniat non priuata cupiditate, sed propter uoluntatem Dei. Rursus subeat pœnas, ut mandato Dei obtemperet, qui iussit delicta puniri. Nec prohibet Euāgelium hanc publicā uindictā, seu officiū magistratus. nec consiliū dat, ut omittatur: imò approbat & confirmat officiū magistratus, nec uult eum ignauū ac negligentē esse officij sui, præsertim cum sit diuinum. Sed quia tanti muneris dignitatē & uoluntatē Dei non consideramus, ideo hypocritæ finxerūt illa deliramenta de nō uindicando. Et fons idē est contumaciæ hominū. Ideo grauatim obtēperant homines in pœnis, quia non intuētur mandatū Dei, quod pariter præcipit magistratui & fonti. Alia est uindicta priuata, id est quæ nō fit per magistratus ac leges. De hac priuata dicitur Mat. 5. et Ro. 12. Non uindicātes uosmetipsi. Sunt q; hæ sententiæ uerē præcepta. Quia Deus sanxit ordinē, ut sint leges & iudices, his subiecit genus humanū. Vult igitur hos esse uindices. Hunc ordinē non uult cōturbari, ideo prohibet uindictā priuatam, externā et interiorē. Vult

Vindictæ
diuino.
Publicæ

Priuatæ

te uero animo cedere uindictam Deo, & legibus ac iudicibus. De hoc ordine concionatur Christus Matth. 5. enarrans legem, & refutans hypocrisin, quæ putat se legi Dei satisfacere, cum tamen huius ordinis confusio manifesta sit in hominibus, sicut in Satyra dicitur, At uindicta bonum uita iucundius ipsa. Hanc confusionem uult Christus agnosci, & cohiberi priuatam cupiditatem uindictæ, præsertim cum nunc natura hominum rea sit, & subiecta morti & pœnis. Quare nostra peccata accusemus in aduersis rebus, non tantum uideamus aliena peccata. Sicut Dauid de Semeia inquit: Sinite ut mihi maledicat. quia dixit Deus, si fortè respiciet Deus afflictionem meam, & reddet mihi bonum pro his maledictis. Et insigne exemplum est animi cohibentis uindictæ cupiditatem, Dauid cedens & parcens Sauli, cum posset eum sine ullo tumultu interficere. sed noluit regnum occupare, nisi traditum à Deo. Hæc exempla diligenter consideranda sunt, ut legem Dei rectius intelligamus, ut nostram infirmitatem agnoscamus, & magis frenare discamus. Estq; hæc peculiaris doctrina Spiritus sancti. nam hystorie gentiũ non habent exemplum simile Dauidi.

Regula de uindicta.

Teneamus ergo regulam, præcipi magistratibus, ut iuxta leges exerceant uindictam, & displicere ne negligentiam in officio, ut dicitur Deut. 19. Aufres malum, ut cæteri timorem habeant, nec miser earis eius. Econtra uerò priuatis præcipi, ne exerceant uindi-

uindictā, nec turbent ordinē à Deo institutum, seu manu, seu animi motu. Hæc regula utilis est uitæ, ac munit imperia & pacem. Quāta uero sit absurditas deliramenti monachorū, hinc intelligi potest. Si consiliū est de nō uindicādo, cōcedent magistratibus, ne puniant sceleratos. Rursus etiā priuatis concedent, uindictæ causa mouere seditionē. Cum igitur hæc fanaticæ imaginationes falsæ et perniciosæ sint, prorsus eas ex ecclesia explodamus. Fuit & hæc causa, quare Christus toties prohibet uindictam: quia Apostolis uoluit eximere falsam persuasionem, qui putabant regnum Messie fore mundanum, & armis gentes domandis esse. Christus contrā inculcat, Apostolos non sumpturos esse arma, sed Euangelij præcones fore, et sine humanis præsijs, sine armis ecclesiam collecturos esse. Et hanc seuitiæ tyrannorum obnoxiam fore, & tamen habituram esse diuinis liberationes. Ita erigit doctores omnium temporum, ut suum officium recte docendo faciant, & pericula Deo commendent, nec nitantur humanis præsijs, nec extra septa uocationis suæ erumpant, nec constituent sibi regna prætextu Euangelij, sicut Anabaptistæ Monasterienses fecerunt.

Cur toties
prohibeat
uindictam
Christus.

Sæpe disputatur de hoc dicto uulgari, Vim ui repellere ius naturale concedit. Eius dicti quæ sit sententia, primum considerandum est. Nam si est naturalis noticia, aut *επιτηδεωτικη*, quærendum est, quomodo sit ordinata, ne deprauetur aliquo prætextu, aut ad-

Vim ui repellere quatenus natura liceat.

mixta iniusta cupiditate. Nā iura naturalia non sunt uagabūdi impetus, sed certe quædā in natura ordinationes. Recte igitur & iuris cōsulti circūscripserunt hoc dictū, certis metis. Intelligitur ergo de manifesta uiolētia, & de necessaria defensione aduersus subitam uim: ut si latro uiatorē tranquillū in uia adoriatur, aut si inferat aliquis bellum iniustū, aut si aliqui tumultuantes oppugnent ædes alterius. Hic, quia abest iudex, seu magistratus, ibi defensio conceditur. Et aliqd̄ interest inter defensionē et ultionē, seu pœnā sceleris. Recta ratio, ut iudicat nemini nocendū esse, ita iudicat corpus propriū cōtra iniustā uim tuendū esse, uel ordinarijs et legitimis imperijs, ut in bello iusto: uel propria defensione, cū opitulari magistratus nō potest. Inest enim naturæ iusta & p̄p̄a, appetitio cōseruationis sui aduersus iniustā uiolentiā.

Cum ergo sic intelligitur dictū de propulsanda manifesta uiolentiā, eo ordine & modo sicut recta ratio censet, & sicut ipsæ leges declarant, uera est sententia quod liceat uim uī depellere: Nec pugnat cū Euangelio, aut cum hac uoce, Diligite inimicos uestrōs. Nā Euangeliū nō abolet ius naturæ, et uincula politicæ societatis, hoc est, leges rectæ rationi consentaneas: Imò hanc ipsam ob causam tā uarijs officijs in hac societate Deus colligauit homines, ut sit occasio exercendæ & declarandæ fidei obedientiæ & dilectionis. Paterfamilias debet defensionē suæ cōiugi, & suis liberis: ergo in oppugnatione ædium facit

Naturæ ac politico iura Euangelio non aboleri.

faci officium dilectionis, & luceat in animo eius fides. Sic dux debet defensionem subditis, in causis iustis: quare cum iustum bellum gerit, facit officium dilectionis, & luceat inuocatio Dei in periculo. Hæc non pugnat cum Euangelio, quod uult unumquemque parere legitime uocationi, nec pugnant cum hoc dicto, Diligite inimicos: nam dilectio, defensio, ac puni-
tio, nequaquam inter se pugnant. Nam dilectioni finis hic constitutus est, ut propter Deum diligamus, & anteferamus dilectionem Dei. Cum non potest diligere rex Aza matrem propter Deum, quæ colebat idola, afficit eam poena. Sic Constantinus si tulisset Licinium scelerentem in ecclesiam, præstitisset officia non placencia Deo. ideo reprimat eum armis.

Dilectio, defensio, & puni-
tio, inter se non pugnant.

Hæc recitauit de hac sententia, Vim uim repellere licet: ut studiosi considerent, quatenus ualeat. Nam ex hoc fonte iura bellorum sumuntur. Est autem conferenda cum altero dicto: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Accipere gladium est, non datum à legibus stringere. Ergo qui uim iniustam infert, accipit gladium. Econtrà uerò, qui iusta defensione utitur, non accipit gladium, sed stringit datum à legibus. Ceterum Christus hoc loco præcipue discernit officia magistratum, & ministerium Euangelij. Magistratui Deus gladium tradidit ita, ut in officio legitimo eo utatur. Si abutitur, ut priuata iracundie aut furori morem gerat, ut Nero, peccat. Econtrà uerò, ministerium Euangelij Deus non uult esse regnum mundanum.

Gladium accipere quid

Discerni ministerium euangelij, et officia magistratum

Ideo uetat Apostolos preliari. Officia discernuntur in hoc dicto, estq; diligenter hoc discrimen considerandum, ut discant doctores Ecclesiæ non niti humanis præsijs, non capiant arma contra suos magistratus, sed sciant Ecclesiam Deo curæ esse, & expectent ab ipso auxilium: ut ecclesiam liberauit Deus à seuitia Pharaonis, Chaldaeorū, Maxentij, et aliorum tyrannorum. Itaq; non solum doctrina traditur in hoc dicto de diuersis officijs, sed etiam tectè significatur, Ecclesiam diuinitus defendi & liberari. Hæc sententia pijs magnam consolationē affert. Et hætenus de uindicta.

DE PAUPERTATE.

CVM Euangelij confessio multa pericula uitæ & fortunis hominum afferat, cum studia Euangelij sint in odio, nec sint quæstiosa: denique cum in hac uita communi inter cæteras communes calamitates, uulgare onus sit etiam paupertas, eaq; sæpe duriter exerceat, præcipue Ecclesiam, opus est nobis doctrina & consolatione, ne existimemus nos propter paupertatem à Deo negligi. Ideo tam multæ sunt conciones de paupertate, in Prophetis, & in Euangelio. Traduntur præcepta de constantia, ne pertæsi paupertatem abijciamus Euangelium, ne cupiditate opum & potentiæ sinamus nos pertrahi ad malarū rerum societate. Traduntur et cōsolationes, in quib. promittit Deus se opitulaturū esse egen-
tibus: ut qui reliquerit domū, agrum, recipiet centu-
plum,

Cur paupertatis tam crebra in scripturis mentio.

plum, &c. sed addit, cum tribulatione. De his magnis rebus concionantur dicta Euangelij, & doctrinam salutarem de magnis exercitijs fidei & aliarum uirtutum continent: nec sunt ad Monachorum hypocrisin, aut desertionem facultatum, & confusionem ordinis politici detorquenda. Euangelium enim nec precipit, nec consulit, discedere à facultatibus, si non eripiantur. Nec precipit, nec consulit res in comune conferre: imò cum certum sit, distinctionem dominiorum & proprietatem esse ordinationem Dei, scient pijs, placere Deo proprietatem, & totam hanc legitimam rerum distinctionem & commutationem.

Proprietatem rerum, & distinctionem dominiorum placere Deo.

Vult enim Deus in his civilibus officijs conspici fidem nostram, & exerceri dilectionem, & alias uirtutes. Denique illa ipsa discessio à facultatibus, aut mendicitatem affert, quæ in ualentibus et ociosis furti species est: aut appetit culinam meliorem in Monasterijs, quæ certe habent proprium. nullus enim cœtus uiuere sine proprio potest. Vocabula alia fingi possunt, sed res mutari non possunt. Quod autem Euangelium approbet distinctionem dominiorum, & proprietatem, & diuitias, plurima sunt testimonia. Primum lex dicit, Non furtum facies. Hic Deus ipse sua uoce sancit & approbat distinctionem dominiorum. Item certissimum est, Reges & principes hæres uita æternæ fieri posse, & aliquos esse iustos, & Deo placere in ipsis imperijs, quales fuerunt Ioseph, Daniel, Nabuchodonosor, Cyrus, Cornelius, Centu-

Mendicitas in ualentibus, & ociosis, furti species.

Principum iustorum exempla.

rio, & alij. At regna sine opibus teneri nō possūt. Item 1. Cor. 7. Cōceduntur emptiones & uēditiones.

Sed utraq; res magnam artem, magnam curam et uirtutem postulat: scilicet, recte tenere res, & paupertatem recte ferre. Ut recte teneas, sit bona conscientia, quæ sciat hanc ordinationem opus Dei esse, ut sit rerum distinctio. Et non conturbes eam alijs de fraudandis, ut sæpe diuites crescunt iniquis contractibus: sed serues æqualitatem propter Deum, qui iussit te ab alieno abstinere. Quare gratitudinem tuam in tuenda æqualitate declares, & agas Deo gratias, qui attribuit tibi, & conseruat facultates. Sicut scriptum est, Benedictio Domini diuites facit. Secundò, Scias & liberaliter iuandos esse egen-tes, ut sæpe præcipit Christus, Date, & dabitur uobis. Estq; addita promissio propter duas causas, uidelicet ut sciamus pijs liberalitatē mereri præmia, & ut sciamus flagitare Deum hæc officia, ut fides exerceatur expectatione præmiorum. Vtraq; causa lucet in exemplo Sareptanæ uiduæ. Hæc pauit Eliam, & expectauit à Deo uictum. Itaque Deus aluit mulierem, & ornauit alijs magnis præmijs: & ipsa egregie fidem exercuit, cum reliquias quas habebat, totas tradidit Eliæ. Cæterum modus communicationis describitur 2. Corinth. 8. Non ut alijs sit igna-
 uia, uobis afflictio.

Opes recte tenendi ratio,
 Modus communicandi opes alijs.

Et uenustissima sentētia de proprietate, & de modo liberalitatis ac præmijs extat in Salomone: Bibe
 aquam

quam è tuis fontibus, & tui fontis riuulos bibe: Fontes tui foras deriuentur, & riuus effluant in plateas: At tu Dominus esto horum solus, non alieni tecum. Benedicetur enim fontibus tuis. Præceptum est æconomicum, grauiſſimam doctrinam figura uerborũ dulciſſima proponens. Vetat rapere ex alieno: ideo inquit, E tuis fontibus bibe. Approbat & proprietatem, Tu Dominus eorum esto. Adiungit & præceptum de liberalitate, Fontes tui deriuentur foras: id est, de fructibus tui fundi largire alijs. Ostendit & modum liberalitatis: Nolo, inquit, diſipari hæreditates, excuti te ex fundis tuis. Hic fit modus: Tu fundum teneas, conserues hæreditatem propter liberos & rempub. Sed de fructibus benignè iuuato egen-tes. Hæc de proprietate & de officio liberalitatis dixit. Postremo addit & doctrinam de præmijs, et de fide. In his officijs exerceto fidem, si agnosces Dei donum esse facultates, & earum conseruationem, & neminem defraudabis, & eris liber alis, expecta à Deo benedictionem. Hæc est uera ecclesiæ Christi doctrina de hoc negotio. Suntq; fugienda deliramenta illorum, qui Platoniam communionem rerũ fingunt in Euangelio præcipi, uel laudari.

Liberalitatis
 præceptum.

Sed ut magna ars est recte tenere facultates, sic etiam magna ars & magnum decus est, recte ferre paupertatem. De qua primum agnoscenda est uolũtas Dei, quod Deus uelit nos subiectos esse his cõmunibus afflictionibus, ut morbis, morti, ita et inopiæ.

Paupertatis
 recte ferendæ
 ratio.

Et

Et hęc afflictiones non esse signa pijs, quod abijciantur à Deo: sed esse exercitia, quę nos admonent de peccato, propter quod natura subiecta est morti. Item de pœnitentia, & de inuocatione. Scias igitur obediendum esse Deo, qui te sic exerceri uoluit, sicut hęc obedientia generaliter in ærumnis requiritur. Iuxta illud, Humiliamini sub potēti manu Dei. Deinde constantia accedat, ne fugiende paupertatis causa faciamus quicquā contra Deum. Hanc constantiam prædicat Christus, cum ait, Beati pauperes spiritu: quia Deo obediunt in paupertate ferenda, & non faciunt contra Deum, fracti paupertate, & cæteris difficultatibus quę comitantur inopiam. non enim leuia onera sunt quę accedunt, premi & contemni à potentibus, esse obnoxium iniurię & contumelijs, uidere miseris liberorum. Inter hęc mala retinere animi constantiam, non quærere præsidia uel populi, uel potentum, malis consilijs, non inopia moueri ad turbandam rempublicam. Hęc animi magnitudo lucens inter illis ærumnis, ingens deus est. Sic erant pauperes, Ieremias, & multi Prophetę, Baptista, Christus, Apostoli, & multi martyres summo loco nati, excussi ex facultatibus, ut Attalus. Eodē modo affecti erant et pijs, qui tenebant facultates, Iob, Dauid, & similes. sciebant oportere aliquos esse diuites, parebant uocationi suę, nec tamen diuitijs anteponebant confessioni: & cum amississent, in ea uocatione etiam Deo uolentes obediabant.

bant. Hæc obedientia, item constantia in cōfessione, laudantur, & sunt cultus Dei.

Sed monachi manifestam iniuriam dicto Christi faciunt, quod prætexunt suæ hypocrisis, uidelicet Matth. 19. Qui reliquerit domum, aut patrem, aut matrem, &c. Duplex est enim desertio. Altera fit mandato Dei, in confessione, aut uocatione: ut cum tyranni iubent aut Euangelium abijcere, aut cedere ex possessionibus. Aut cum uocatus ad ecclesias regendas, dubitat utrum subeunda sint pericula & o-dia, an potius seruiendum rei familiari. In talibus ca-sibus desertio laudatur. nam Euangelij confessionem & uocationem ad docendum, anteferre omnibus re-bus humanis debemus, uitæ & fortunis.

Nec leuis causa est, cur toties hæc sententia repe-tita sit in Euangelio. Sæpe enim incidunt casus, ubi confessio non tantum relinquere facultates cogit, sed quod est multo durius, cogit etiam offendere ca-rissimos, uoluntates magnorum & laudatorū prin-cipum, & aliorum præstantium hominum, quorum iudicia negligere difficillimum est. Durum & hoc est, quod dicimur autores discordiæ in patria. Hæc quia non possunt non uehementer angere animos, toties Deus nobis præcipit, ut Euangelium antefe-ramus: & nos consolatur, promittit auxiliū & præ-mia. Sic Deut. 33. in benedictione Leuiticæ tribus, nominatim hoc ei munus tribuitur, ut doctrinā ue-ram tradat: & adduntur conciones de periculis, &

Monachorū
hypocrisis.

Desertio suo-
rum duplex.

1

Leuiticæ tri-
bus datum
præceptū cu-
iusmodi.

pro-

promissiones. uerba hæc sunt. Ad Leui quoq; : Hæc est tua lex, quæ data est uiro sancto tuo, quæ probasti in Massa. Hæc prima pars est, in qua Leuitica familie certum genus doctrinæ commendat, & uetat aliud suppositivum docere. Habes, inquit, legem traditam Moyfi, hanc pure doceas, nec affingas nouas opinionones, & nouos cultus. Deinde addit præceptum de constantia in periculis : Qui dicit patri suo, & matri suæ, Nescio uos: et fratribus suis, ignoro illos, & nesciunt filios suos: hi custodiunt eloquium tuum, & pactum tuum seruant, & iudicia tua ò Iacob, & legem tuam ò Israel. Ponent thymiana in furore tuo, & holocaustum super altare tuum. Hæc est secunda pars, quæ monet, doctoribus ingentia certamina, pericula, odia et supplicia subeunda esse, in propugnatione piæ doctrinæ. Dura sunt hæc profectò, dicere parentibus, patriæ, liberis, Nescio uos : uideri hostem patriæ, facem dissidiorum, &c. Sed Prophetas & Apostolos uidemus iisdem conuicijs oneratos esse. Ideo que ne frangamur animis, additur promissio : Benedic Domine fortitudini eius, & opera manuum eius suscipe, percute dorsa inimicorum eius, & qui oderunt eum non consurgant. id est, adiuuat Deus recte docentes: Sit ministerium efficax & salutare, & reprimere impios doctores & tyrannos. Ex hoc dicto Moyfi, uerba Christi sumpta sunt. Et uterq; de maximis rebus concionatur, ut prudens lector facile iudicare potest. Quare hæc grauissimæ sententiæ non sunt ad
 manifestissimas

uanissimas monachorum superstitiones detorquenda. Et recitari hæc dicta, ut pijs scholasticis sint in Pijs scholasticis
qualib. dictis
confirmandi. conspectu, quorum multi conflitantur uarijs ærumnis propter studium ueræ doctrinæ. Hi talibus se dictis confirmant, nec deserant recta studia. Sciantq; Deū opitulaturum esse, ut Christus inquit: Primum querite regnū Dei, & cætera adijcientur uobis. & Psal. 83. Elegi abiectus esse in domo Dei mei. Esaiæ 30. Dabit uobis Dominus in tribulatione panem, et in angustijs aquam, & non sinet auolare doctorem tuū. Hæc est uia, ambulate in ea, nec declinetis, & c. Talibus nos sententijs confirmemus, & Deo seruiamus in propagatione ueræ doctrinæ: & caueamus, ne eam nostris scandalis deformemus.

Altera est desertio facultatum, sine uocatione, et quidem superstitiosa, cum fingunt, uotum & mendicitatem esse cultum Dei. Talis desertio nequaquam laudatur, imò propter superstitiosam opinionem est ethnica impietas, iuxta illud, Frustra colunt me maledatis hominum, & c.

DE CASTITATE.

Mirabili consilio Deus instituit generationem in natura humana, & certa lege coniugiū sanxit, Gen. 2. Ac nūc post lapsum Adæ, uult Coniugiū di-
uinitus ob du-
as causas insti-
tutum. homines coniugio uti propter duas causas, propter generationē, & ad uitandas uagas libidines. Sicut Paulus inquit, Vitandæ scortationis causa unusquisque habeat uxorem suam. Hanc suam ordinationem

Deus

Deus tanti facit, ut seuerissime prohibuerit extra cōiugium omnes ardores & commixiones, easq; grauissime puniat, ut multa dicta & exempla testantur. Hebr. ultimo, Fornicatores & adulteros iudicabit Deus. 1. Cor. 6. Ne errate: Fornicatores, idololatræ, adulteri, nō possidebunt regnū Dei. Fugite scortationem. Eph. 5. Nemo uos decipiat uanis sermonibus: propter hæc enim uenit ira Dei super contumaces. 1. Theff. 4. Hæc est uoluntas Dei, sanctificatio uestri, ut abstineatis à scortatione, & sciat unusquisque uestrū possidere uas suū in sanctificatione, & honore, nō in affectu libidinis, sicut gentes. Heb. 12. Scētamini sanctificationē, sine qua nemo Deū uidebit.

Pœnarū libi
dus exēpla.

Exempla uero pœnarum in scripturis hæc sunt, Gen. 5. Inter causas diluuij recitantur uagæ libidines. Gen. 19. delentur quinq; urbes propter sceleratissimū genus libidinum. Ac profectō mirum est, tantum fuisse earū urbium furorem, cum haberent uicinum Sem, qui uiderat diluuiū. Et haud dubiè assiduus castigator & concionator illis fuerat. Audierant & alios summos uiros, Abraham & Loth. Fuit & insignis ingratitude erga Deum, quia non multo ante euerfionem, cum ciuitas à Chaldeis capta est, & ciues abducti, Abraham eos liberauerat. Postea securi laxarunt frenum omnibus cupiditatibus.

Numerorum 29. propter supra XII. principes suspensi sunt, & interfecta 24000. hominū. Leuitici 18. scriptum est, deleri Cananæos propter incestas

estas libidines. Iudicum 30. penè tota tribus Benjamin deleta est propter stupratam Leuitæ uxore.

2. Reg. 12. Dauidi grauisimæ pœnæ propter adulteriũ denunciantur: Salomon admittit exempla idololatriæ propter libidines. Et Ieremias sæpe inter causas excidij Hierosolymæ recenset adulteria. In his exemplis ideo scripta est causa, ut extarent testimonia expressa de iudicio Dei, & sciremus ubiq; puniri libidines, nec temere accidere calamitates pollutis, sed pœnas esse, quibus Deus iram suam aduersus hoc peccatum declarat. Ideo clades secute tetras libidines apud Ethnicos, referendæ sunt ad eandem causam, & ad hanc regulam, quæ extat in epistola ad Hebræos, Fornicatores & adulteros puniet Deus.

Porro adeo tetra exempla sunt ethnica, ut neq; cogitari, neque recitari possint sine magno dolore, quasdam tantum insignes mutationes regnorum annotabimus, quibus occasionem præbuerunt libidines. Troia propter raptam Helenam deleta est. Thebæ propter raptum Chryssippi, & incestum Oedipi punitæ sunt. Romæ reges eiectioni sunt propter stupratam Lucretiam. Mutata iterum respub. propter Appij decemviri scelus. Longus est catalogus talis apud Aristotelẽ Pol. 5. ubi causas recenset, quæ mutationes regnis afferunt. In his libidines numerat, & multa narrat exempla. Athenis filij Pisistrati eiectioni sunt, propter contumeliam factam puellæ. Dux

Regnorum
excidia pro-
pter libidines

Laconicus Pausanias, Bizantiꝝ raptam ui puellam
stuprauit, et postea interfecit: ac miro prodigio uox
statuæ poenam ei minuita est, hoc uersu,

Pœna luenda tibi est, affert iniuria clades.

Ac postea Bizantiũ reiecto Pausania, recepit Athe
nenses. Ipse uerò quanq̃ res maximas gesserat, &
Persicũ exercitũ deleuerat, tamẽ postea ab Ephoris
coactus est fame mori. Deniq; plenæ sunt historiæ
exemplorũ, quæ ostendunt irã Dei aduersus libidi
nem. Discamus igitur, seuerè præcipi de castitate.

Castitas quo
rum propria.

Castitas autem est, aut consuetudo coniugalis,
aut puritas uitæ cœlibis, in his, qui sunt idonei ad
cœlibatum: ut in ætate immatura, aut in ijs qui sin
gulari dono præditi sunt. Ac dixi nominatim, de æ
tate immatura. non enim temere hic ordo institutus
est, ut ea ætas purè uiuat, & quidem faciliè pos
sit mediocri diligentia retinere puritatem, eo spacio
quo corpora adhuc crescunt. Sed multi diaboli insi
dijs, multi prauis sodalitijs, multi propter ocium &
uoluptates citius implicantur uitijs. Bonæ mentes
autem erudiendæ sunt, quod ætas nondum matura
coniugio, medio cri diligentia possit purè uiuere: &
quod Deus seuerè requirat hoc officium, quodq; nõ
leues poenæ contaminatos sequantur. Si Ioseph pol
lisset se adulterio, amisisset ea dona quibus ornatus
erat, & desertus à Deo incidisset in plura peccata:
sicut & Dauid addidit adulterio optimi uiri cædẽ,
& multiplicia scandala, quare & multiplices poe
næ se

naesecuta sūt. Et Paulus nominatim inquit, Eph. 4. Libi diuī pœnas esse cœcitatē, deserti à Deo fiunt a mentes, nec uidēt, nec audiūt recta consilia, accersunt sibi pœnas et exitia. Sed ij quorū etas est integra, et qui agnoscūt se nō esse idoneos ad cœlibē uitam, ij sciāt se cogi mandato Dei, ut coniugio utantur, ut Paulus clarē dicit: Vitandæ scortationis causa, unusquisque habeat uxorem suam. Hoc mandatum omnibus, qui sentiunt se non esse idoneos ad cœlibem uitam, præcipit coniugium, laicis & sacerdotibus.

Nec lege humane, aut promissiones monasticæ, possunt abolere ordinationem et mandatū Dei. Odit Deus uagas libidines & corporum contaminationes. Ideo uult marem & foeminam certa coniugij lege copulari, quæ instituta est initio, Ge. 2. & repetita Matth. 19. & 1. Corinth. 7. Hæc societas uere est castitas & mundicies, iā est ordinata res à deo, & placens Deo, & continent exercitia fidei, dilectionis, patientiæ inuicem. Et non solum est fons generis humani, sed & cœlū pœcipuū uinculum societatis cōmunis. Uult autem Deus conseruari generationē humanam, donec compleatur Ecclesia: & ciuilem societatem existere, ut alij alios docere possint. Certissima est regimē, Deo placere legitimum coniugium, sed diabolus impios facit in uocit in libidines, opinione impunitatis, ita in ecclesia singulari fraude, scilicet prætextu castitatis auocit libidines.

Coniugium
quibus man-
datum.

Coniugij ca-
stitas uera.

Diaboli consilio ac fraude prohibutum coniugium in Ecclesia.

Coelibatus monachorum cuiusmodi.

Mala conscientia Deum inuocari non posse.

nes, impulit fanaticos spiritus, ut prohiberēt coniugium, seu omnibus, seu sacerdotibus. Hoc consiliū non aliō spectauit, nisi ut eo plures contaminarentur, et confirmaretur licentia multorum scelerum. Cogitent enim pij, quanta agmina animarum precipue lex de coelibatu traxerit in desperationem, in aeternam iram Dei, & in aeternas blasphemias. Ideo nulla esse debet autoritas legis de coelibatu, & opinioniones monachorum acriter refutandae et taxandae sunt, qui sinxerunt coelibatum esse eximium cultum Dei, mereri remissionem peccatorum, & uitam aeternam. Deniq; magnam caliginem Euangelio inuenerunt, & dum illaqueant imperitos uinculo uoto- rum, multi horribiliter contaminati sunt. Ita simul diabolus & Euangelium obscurauit, & auxit libidines. Haec diligenter consideranda sunt, & comminationes diuinae animis insigendae, & intuenda horribilia exempla poenarū: ut uere caueamus, ne contra Dei ordinationem polluamur, sed statuamus omnem commixtionem extra legitimum coniugium peccatum mortale esse, ut aliquoties dicitur, Fornicatores, adulteri, non possident regnum Dei.

Retineamus igitur bonam conscientiam, teneraetas uitet lapsus, deinde matura, si habet opus coniugio, obtemperet mandato Dei. Haec qui contem- nunt, sciant se poenas sibi, & totis gentibus accersere. Cogitemus & hoc, mala conscientia non posse inuocari Deum, ut 1. Ioannis 3. dicitur: Si cor non-
strum

strum nõ reprehenderit nos, fiducia habemus, etc. Quare ut possis inuocare Deum, retinenda est bona consciencia. Quid autẽ tristius dici potest, q̃ uiuere hominẽ sine inuocatione Dei, sine Deo, sine gubernatione & defensione diuina? sic uiuentes diabolus magis magisq; excæcat, & uarijs flagitijs implicat, ut quotidiana experientia ostendit.

Quod uerò monachi clamitant, Paulum anteferre uirginitatem, quia disertè dicit, Melius facit elocans, & c. Sciat pius lector, totam illam concionem legendam esse, ac obseruandum quàm diligenter præmoneat in utraq; partem Lectorem. Initio tradit præceptum Dei, ut uitandæ scortationis causa suam quisq; uxorem habeat. Deinde prædicans uirginitatem, mox addit, sed suum quisq; donũ habet, quare cum antefert uirginitatẽ, de personis idoneis loquitur. Deinde illud etiam necesse est considerare, hac collatione bona opera inter sese conferuntur, & conferuntur iuxta fines utiles, non queritur opus, quod mereatur remissionem peccatorũ, aut reconciliationem, nec fit collatio ut humano arbitrio cultus instituantur. Error est fingere quod cœlibatus mereatur remissionem peccatorum, seu quod ideo sit tuendus, quia per se sit singularis & eximius cultus Dei, seu quod coniugium sit uitæ genus immundum, propter quod homo aut non placeat, aut minus placeat Deo. Hi errores sunt doctrinæ demoniorũ, et necessario taxandi sunt. Cæ-

Paulus an uirginitatẽ præferat cõiugio.

Cœlibatus nullũ meritũ.

Virginitas
quomodo lau-
data Paulo.

terum laudat Paulus uirginitatem in personis idoneis, & laudat propter finem utilem, non quod magis sit cultus Dei, quam coniugium: sed quia genus uirginitatis coelibis expeditius est ad pleraque ministeria. quia familia, miseria domesticae multiplices, saepe sunt impedimenta, praesertim pusillanimis. Haec uera sunt, sed alius aliud donum habet. Haec admonitio semper in conspectu habenda est & multi coelibes, etiamsi sunt contaminata corpora, tamen habent animos occupatos illicitis flammis. Multi ite magis excruciantur sordidis curis querendorum praesidiarum, honorum, splendoris, quam plerique pij & mediocres mariti.

DE EVANGELIO.

Basar.
Euangelii
uox uetus.

NON dubium est Apostolos singulari consilio, appellationem tam dulcem & blandam suae doctrinae tribuisse, ut insignius esset discrimen legis & promissionis de reconciliatione. Sicut & Prophetae saepe in hoc argumento usi sunt peculiari uerbo Basar: quod significat res nouas & bonas nunciare. Est autem *ἡ ἀγγελία* uetus uocabulum. Apud Homerum significat praemium, quod datur rem gratam nuncianti. Et passim legitur apud multos scriptores *ἡ ἀγγελία δωρεῶν*, pro sacrificio, quod fiebat cum gratiae res nunciatae essent. Apud Plutarchum etiam significat ipsum sermonem, quo gratiae res nunciantur: sicut ea uoce & Apostoli usi sunt. Sic enim scriptum est in uita Pöpeij, *ἡ ἀγγελία δωρεῶν*

ἡ περὶ τὸν νόμον ἐν παντί νομιζομένη ἐναντίον. Admo-
 neat igitur pius appellationis suauitas, de nouo do-
 ctrinae genere, & de legis & promissionis discrimi-
 ne. Nec uerò fingimus nouas distinctiones, magis
 argutus quàm necessarius, ut hypocritæ multi cauil-
 lantur. Ioannes Apostolus initio Euangelij sui lucu-
 lentū discrimē proponit: Lex per Moysen data est,
 Gratia & ueritas per Iesum Christum facta est. &
 cetera. Necesse est enim discerni præcepta & re-
 missionem peccatorum, discerni præcepta & pro-
 missiones, item promissionem gratuitam à promis-
 sionibus quæ non sunt gratuita. Est autem lex, ut
 supra dictum est, doctrina requirens perfectam obe-
 dientiam erga Deum, non remittit gratis peccata,
 non pronunciat iustos, id est acceptos Deo, nisi le-
 gi satisfactum sit. Et quanquam habet promissio-
 nes, tamen hæc requirunt conditionem impletæ le-
 gis. Econtra Euangelium, etsi concionatur de pœ-
 nitentia & de bonis operibus, tamen continet pro-
 missionem beneficij Christi, quæ est propria & præ-
 cipua Euangelij doctrina, & seiūgenda à lege, gra-
 tis enim remittit peccata, & pronunciat nos iustos,
 etiamsi legi non satisfacimus. Quomodo autē hæc
 consentiant, quod Euangelium pariter de pœniten-
 tia concionetur & lege, & tamen promissio sit gra-
 tuita, statim exponemus. Prius enim monendus est
 lector ut discrimē promissionum obseruet. habet e-
 nim lex promissiones.

Legis & Eu-
angelij discrimen.

Lex quid.

Euangelium

Promissiones
in scripturis
duplices,

Sed sciendum est, duplices esse promissiones in scripturis diuinis. Quaedam sunt additæ legi, & habent conditionem legis, hoc est, exhibentur propter impletionem legis. Tales sunt promissiones legis. Lex docet Deum bonum & misericordem esse, sed his qui sunt sine peccato. Idem docet & humana ratio, habet enim ratio quandam noticiam legis. Hic se ipse quisq; consulat, deprehendet enim naturaliter se ita iudicare de Deo, quod sit misericors, sed tantum dignis, hoc est, his qui sunt sine peccato, nec potest statuere seipsum placere Deo, cum sit indignus & immundus. Ita lex & promissiones legis cum sint conditionales, relinquunt conscientias in dubitatione.

Euangelij
promissio
qualis.

Alia est promissio Euangelij propria, quæ non habet conditionem legis, tanquam causam, hoc est, non promittit propter impletam legem, sed gratis propter Christum. Hæc est promissio remissionis peccatorum, seu reconciliationis, seu iustificationis, de qua concionatur præcipue Euangelium. Ut enim hæc beneficia essent certa, non pendent ex conditione impletæ legis. Si enim sentiendū esset, tunc demum nos habere remissionem peccatorum, cum legi satisfecissemus, desperanda esset remissio peccatorum. Ideo gratis donantur remissio, & reconciliatio, seu iustificatio, hoc est, non propter nostram dignitatem. Et tamen oportuit esse aliquam uictimam pro nobis. Ideo Christus donatus est nobis, & factus

Etus est hostia, ut propter ipsum certò statuamus nos placere Patri.

Est itaq; hæc Evangelica promissio reconcilia-
tionis legaliū dissimilis, quia gratis pollicetur pro-
pter Christum. Ideoq; Paulus hanc particulā, *Gratis*, nobis diligenter & sæpe inculcat. Ut Rom. 4. Ideo gratis ex fide, ut sit firma promissio. Nam hæc particula, *gratis*, propter Christum, facit discrimen legis & Evangelij. Si enim non uideamus hanc particulam de gratuita promissione, manet in animis dubitatio, & Evangelium transformatur in legem, & nihilo certiores reddit conscientias de remissione peccatorum, seu iustificatione, quàm lex, aut naturale iudiciū rationis. Sicut aduersarij nostri, etsi uociferantur se docere Evangelium, tamen quia non docent de gratuita reconciliatione, relinquunt conscientias in dubitatione, & pro Evangelio docent legem, aut Hesiodum, hoc est iudicium naturale rationis. Ergo intendenda mens est atq; oculi in hanc particulam, *Gratis*. Ideo enim necesse de gratuita promissione docere, ut res sit certa, ut conscientijs eximatur dubitatio, ut habeant firmam consolationem in ueris terroribus. In his enim uerè iudicari potest, quàm sit opus hac gratuita promissione. Et ad hoc certamè hæc doctrina maxime referèda est.

Illud autem sciendum est, promissionem oportere fide accipi. Id Paulus docet Rom. 4. Ideo gratis ex fide, ut sit firma promissio. Et Ioan. ait; Qui nō

Gratis particulam, sæpe inculcati a Paulo.

Gratis promissio.

Promissio fide accipièda.

credit Deo, mendacem facit eum, etc. Proinde particula gratis, non excludit fidem, sed conditionē nostræ dignitatis excludit, & transfert causam beneficii à nobis in Christū. Itaq; neq; obedientiam nostram excludit, tantū causam beneficii à dignitate nostræ obedientiæ transfert in Christum, ut beneficium sit certum. Concionatur igitur Euangeliū de pœnitentia: sed ut certa sit reconciliatio, docet remitti peccata & nos placere Deo, non propter dignitatem pœnitentiæ, aut nostræ nouitatis. Hæc est necessaria consolatio pijs conscientijs. Atque hinc iudicari potest, quomodo hæc consentiant, quod diximus Euangelium concionari de pœnitentia, et tamen gratis promittere reconciliationē. Sed de hac collatione paulo post copiosius dicemus.

Euangelij de-
finitio.

Definit itaq; Christus Euangeliū Lucæ ultimo, planè ut artifex, cū iubet docere pœnitentiā & remissionem peccatorū in nomine suo. Est igitur Euangelium, prædicatio pœnitentiæ, & promissio, quā ratio non tenet naturaliter, sed reuelata diuinitus, in qua Deus pollicetur, se propter Christū filiū suum remittere peccata, & nos pronunciat iustos, id est acceptos: & donat Spiritū sanctum, & uitā æternā, modò ut credamus, hoc est confidamus hæc nobis propter Christum certo cōtingere. Atq; hæc gratis pollicetur, ut sint certa. Hæc sit Euangelij definitio, in qua tribus membris cōplexi sumus beneficia Euangelij propria, scilicet quod propter Christum

stima

sum gratis remittantur peccata, quod gratis pronunciamur iusti, hoc est reconciliati seu accepti, & heredes uitæ æternæ. Hæc tria mēbra paulo post explicabimus. Tantū hic memineris, hæc propria Euangelij beneficia esse, quæ alioqui uno uerbo iustificationis comprehenduntur.

Euangelii beneficia propria quæ.

Iustificatio.

QUARE OPVS EST EVANGELIJ PROMISSIO.

Postquam natura humana oppressa est peccato & morte, propter Adæ lapsum, etiā si manet aliqua noticia legis, tamen quia hæret in natura peccatū, cōscientiæ nō possunt statuere de Deo, quod uelit ignoscere, si nihil nisi legem audiāt. Lex enim non docet gratis remitti peccata. Scimus autem nos non sine peccato esse: idq; maximè cernimus, cum iudicio Dei uere perterresunt mētes. Est igitur opus gratuita remissione. Ideo Deus per misericordiam reuelauit, se uelle nobis ignoscere, ac restituere uitam æternam. Et addidit uictimā pro nobis, scilicet filium suum, ut sciremus hæc nobis propter filium donari, non propter dignitatem nostrā, aut merita nostrā. Idq; Euangelium statim promissum ac reuelatū est post lapsum Adæ, ne deesset consolatio primæ illi Ecclesiæ. Estq; unum & idem Euangeliū, quo omnes sancti ab initio mundi saluati sunt omnibus tēporibus, Adam, Noe, Abrahamā, Iacob, Prophetæ, Apostoli. Non est igitur imaginandum Patres lege naturæ saluatos esse, Iudeos lege Moysi,

Euangelium statim post lapsum Adæ reuelatum.

Lex omnium
ætati ac gen-
tium moralis
mna.

Moisi, nos saluari nostra quadam lege. Imò una lex est moralis omnium ætatum, omniū gentium, ut supra diximus, sed nec patres, nec Iudæi, nec gentes, nec nos ideo saluamur, quia legi satisfacimus. nemo enim legi satisfacit. Et lex relinquit dubitantes conscientias. Atq; hoc interest inter patres & Xenophontem, Ciceronem, ac similes uiros optimos. Legem norant utriq; sed Euangelium non norant utriq;: Xenophon, Cicero, & similes dubitabant, an Deo curæ essent, an haberent Deum propiciū, an exaudirentur à Deo. Etsi enim legē norāt, tamē uidebant se non esse innocentes. Lex autem docet, Deum propiciū esse his, qui sunt sine peccato. non norant Euangelium de gratuita remissione peccatorum. Abraham uerò, Iacob & similes, quia norant Euangelium, statuebant sibi remitti peccata, se habere Deum propiciū, se Deo curæ esse, se exaudiri à Deo, etiamsi essent indigni. Ideo scriptum est: Abraham credidit Deo, & reputatum est ei ad iustitiam. Vna est lex & natura, nota omnibus gentibus atq; ætatibus. Est & unum Euangelium, sed non natura notum, uerum reuelatum diuinitus. Ideo Paulus uocat mysteriū absconditū. & Ioannes ait: Filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis. Sed hæc omnia erunt illustriora, cum dicemus paulo post de gratia, & de iustificatione.

Euangelium
unum idemq;
apostolorū &
patrum.

Quia autem diximus, idem Euangelium fuisse, Patrum, uidendū est quomodo statim in initio Eu-
ange-

angelium reuelatum sit. Ac citabo paucos quosdā locos, ad quos in lectione Prophetarum referri similes debent. Nam Euangeliū paulatim clarius reuelatū est: et apparebit prophetas prædicasse hanc gratuitam reconciliationem.

Promissio de Christo, & beneficijs Christi, pri- Euangelium quomodo sit tim a mundi initio reuelatum.
 mum reuelata est Adæ statim post lapsum, ut cum incidisset in iram Dei, & mortem, haberet consolationem, qua sciret & Deum rursus propitium esse, & fore ut mors aliquando aboleretur. Nam hæc duo beneficia clare proponit illa prima promissio, quæ etsi subobscura uidetur, tamen Adæ in re præsentī nō fuit obscura: Inimicitias ponā inter te & mulierem, & inter semen tuum & illius semen: Ipsum conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius. Mirabilis narratio est, & quæ impijs ridicula & fabulosa uideri possit. Sed pij uident res maximas breuibus uerbis significatas esse. Describitur enim initio poena peccati, scilicet, quod propter peccatū diabolus crudeli tyrannide uexaturus sit genus humanū, uidelicet peccatis et morte. Sicut ipsa mundi historia testatur, quæ tota in hac horribili concione Adæ picta ostenditur.

Deinde additur breuis descriptio regni Christi: futurum tamen esse, ut semen mulieris conterat caput, hoc est regnum serpentis. hoc est, aboleat peccatum & mortem. Hac consolatione erigitur Adā, agnoscit se habere Deum placatum, etsi uidet se indignum

Regni Christi descriptio Adæ facta.

dignū et immundū esse. Videt qđ amiserit: sed expe-
ctat semē illud, quo amissa iustitia et uita aeterna re-
stituatur. hac fiducia misericordie placet Deo. Et
qđ additur, diabolū insidiaturū esse calcaneo semi-
nis: intelligit, fore ut et Christus et sancti affligatur
in hac uita, et tamē Christus uincat regnū diaboli.

Promissio
facta Abrahę

Postea renouatur hęc promissio ad Abraham,
In semine tuo benedicētur omnes gentes. Significat
enim, omnes gētes iam maledictas esse, hoc est, Deū
irasci omnibus gentibus, easq; oppressas esse pecca-
to & morte, sed futurū, ut per Abrahę semen rur-
sum ab his malis liberentur. Atq; ita interpretatur
hanc promissionē ipsi Apostoli, ut constat ex Pau-
lo, & ex Actis. Præterea in eadē historia Abrahę,
additur imago iustificationis. Deus consolatur A-
bram, dicens: Noli timere, Ego sum protector
tuus. Addit item promissionē de semine. Huic uoci
credit Abraham: hoc est, quanquam uidet & agno-
scit se immundū & indignū esse, tamen statuit se ha-
bere Deum propiciū, propter ipsius misericordiā,
& promissum semen. ita pronuntiatur iustus. Id
exemplum docet, nos promissione & fide reconci-
liationem consequi. Fides autē nititur non nostra
dignitate, sed tantum misericordia Dei.

Remissionis
peccatorum
exempla.

Sequuntur paulatim multę conciones, & exem-
pla de remissione peccatorum. Sed clarissimę sunt
sententię in Psalmis et Prophetis. In his clare pas-
sim proponitur Euangelii. In Psalmis petit remis-
sionem

tionem peccatorū propter misericordiā, non propter suam dignitatē seu merita. ut, Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia nō iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuēs. Hæc certē non est legis conuicio, quæ misericordiā petit, & confiterur peccatū, & quidem omnes condemnat, ut sciamus omnes, gratis nobis remitti peccata. Itē: Si iniquitates obseruaueris Domine, quis sustinebit? Item: Dixi, confitebor aduersum me iniustitiā meam, & tu remittis impietatē cordis mei. Item, describit sacerdotē Christiū: Tu es sacerdos in æternū. Testatur igitur, hunc sacerdotem placaturū esse Deum, & redditurum esse æternam iustitiā & æternam uitam, quia uocat æternum sacerdotem.

Christus sacerdos æternus.

Et ad hanc sententiā de gratuita remissione, accommodandi sunt similes loci in Psalmis. Ita enim dulcescēt nobis suauissima carmina, & firmā consolationē adferēt. Nam si iudicabimus illas promissiones pendere ex nostra dignitate, cū Psalmi iubēt nos lætari, confidere misericordia, semper reclamabunt conscientia, nos indignos esse, nihil pertinere has promissiones ad indignos. Quare aduersus hanc ipsam dubitationem erigendus est animus, & sciendum, quod illæ ipsæ uoces, quæ nos lætari iubent, ideo præpositæ sint, ut medeantur illi ipsi dubitationi, conceptæ ex nostra indignitate. Quod si sentiemus nobis promitti gratis reconciliationem, tum uerò fides erit certa, & uere gratulabimur no

Reconciliatione gratis promissa.

bis

bis misericordiam, & Deo agemus gratias. Sed tanta est infirmitas et angustia humani animi, ut hanc magnitudinem misericordiae non possit capere. Ita oppressi sumus opinione & iudicio legis, ut non possimus persuaderi de Euangelio, & omnibus & gratis offerri misericordiam. Quare fides perpetuo cum hac nostra infirmitate luctari debet, ut nos erigamus, & discamus Deo confidere, & eum uere inuocare & colere.

Loci Esaiæ
de Christo, re
missionem pec
catorum, & ui
ta æterna.

Apud Esaiam multe sunt conciones de Christo, de remissione peccatorum, de æterna uita. Cap. 53. clare testatur, promitti remissionem peccatorum, & quidem propter Christum, non propter nostram dignitatem: Posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrum. Et ne Iudei putarent se mereri remissionem peccatorum hostijs Leuiticis, testatur aliam hostiam restare, quæ uere sit abolitura peccatum: Ponet animam suam hostiam pro peccatis. Itæ condemnat omnes: Omnes, inquit, errauimus. ut sciamus nos propter misericordiam, non propter dignitatem nostram consequi beneficia Christi. Postremo addit clarissimum testimonium. Noticia eius iustificabit multos: quod certò statuendum sit, nos ita iustos pronuciari, si agnoscamus Christum, hoc est, si agnoscamus Deum nobis propicium esse propter Christum. Ergo non erit dubitandum propter nostram indignitatem, non erit sentiendum nos esse iustos propter legem. Sed desino recitare plura testimonio-

stimoniam. Hæc enim exempli causa recensui, ut animaduertant lectores in scripturis, quæ loca proprie de lege, quæ proprie de Euangelio concionentur, & discrimen obseruent inter legem & promissionem Euangelij. Nam hi duo sunt præcipui loci, & capita præcipua scripturæ, ad quæ omnes partes prudenter referendæ sunt.

Hactenus definiuimus Euangelium, & discrimē monstrauimus legis & Euangelij. Sed hæc omnia erunt illustriora, cum de iustificatione, de fide et operibus dicemus. Nunc tantum una quædam particula addenda est, uidelicet: sicut necesse est scire Euangelium esse gratuitam promissionem, ita necesse est scire Euangelium promissionem uniuersalem esse: hoc est, offerri & promitti omnibus hominibus reconciliationē. Hanc uniuersalem tenere necesse est, aduersus periculosas imaginationes de prædestinatione, ne disputemus hanc promissionem ad paucos quosdam alios pertinere, non pertinere ad nos. Non enim dubium est, quin omnium animos hæc cogitatio exerceat. Et hinc ortæ sunt multæ disputationes scriptorum de prædestinatione minime utiles. Nos uero statuamus, Euangelij promissionem uniuersalē esse. Sicut enim prædicatio pœnitentiæ uniuersalis est, ita et prædicatio remissionis peccatorū uniuersalis est. Huc colligantur sententiæ uniuersales de Euangelio, quæ passim in scripturis extant. ut Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum

Euangelium est
gratuita promissio, ita etiam uniuersalis.

Euāgelij pro
missa cur non
omnes conse
quantur.

daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat. Item apud Paulum: Conclufit omnes sub peccatum, ut omnium misereatur. Hæc nunc monuisse satis est. Nam de hac uniuersali iterum dicendum erit infra de prædestinatione. Quod autem non omnes consequuntur Euangelij promissa, eo fit, quia non omnes credunt, nam Euangelium & si gratis promittit, tamen requirit fidem: oportet enim promissionem fide accipi. Ac particula, gratis, non excludit fidem, sed excludit conditionem nostræ dignitatis, ut supra dictum est: & postulat, ut promissionem accipiamus. id non potest fieri aliter, nisi fide.

DE GRATIA ET DE
Iustificatione.

Cur magna
opinionum
hoc in loco
dissentio.

HIC locus continet summam Euangelij. Monstrat enim proprium Christi beneficium, proponit firmam consolationem pijs mentibus, docet qui sint ueri cultus Dei, quæ sit uera inuocatio: præcipue discernit Ecclesiam Dei à cæteris gentibus, Iudæis Mahometistis, & Pelagianis, hoc est, omnibus qui imaginantur hominem iustum esse Lege seu disciplina, & iubent dubitare de remissione peccatorum. Ideo autem magna est opinionum in hoc loco dissentio, quia plerique sequuntur humana iudicia, neglecta simplici doctrina Prophetarum, Christi & Apostolorum: imò hanc transformant in philosophiam, extenuant peccatum in natura, cogitant lege Dei tantum

tantum requiri disciplinam. deinde imaginantur, nihil interesse inter Philosophicam & Christianam iusticiam.

Omnibus ætatibus hæ prophanæ & humanæ imaginationes obscurauerunt ueram ecclesiæ doctrinam. Sic Pharisei sentiebant se lege iustos esse. deinde quia necesse erat quærere de Messia, cur is uenturus esset: fingeant ideo uenturum esse, ut mundi imperium constitueret, non intelligebant oportere uictimam fieri pro genere humano ad placandam iram Dei aduersus peccatum, & aliam iusticiam donaturum esse. Sic & ante Phariseos senserunt hypocritæ superiorum ætatum, in Ecclesia patrum.

Sed prophete hos errores taxabant, clamitabant, non tolli peccatum iusticia legis, manere peccatum in hac mortali natura, sed iustos esse credentes, & exaudiri & donari uita æterna à Deo propter promissum saluatorem. sicut Dauid claris uerbis inquit: Non iustificabitur in cõspectu tuo omnis uiuēs. et alio loco de filio: Beati omnes qui confidunt in eo. Item Esaias, Noticia eius iustificabit multos. Ita cum Christus et Apostoli renouassent doctrinam, statim postea sparsæ sunt opinioniones humanæ de disciplina: quia magnum quiddam est regere externos mores. Deinde exorti sunt & phanatici spiritus, qui prorsus transformarunt Euangeliũ in legem, seu pharisæismum, sinxerunt homines iustos esse lege, et ne Christus nihil uideretur noui attulisse, dixerunt

Euangelij cõuersio in pharisæismum.

sum aliquas nouas leges tradi disse, de coelibatu, de non uindicando. Hæc deliria statim post post Apostolos nata sunt. Ideo non est mirum, postea quoque caliginem secutam esse.

Etsi autem aliqui pij retinuerunt ueram sententiam, tamen scriptorū magna dissimilitudo est. alius alio cōmodius loquitur. sed de scriptoribus alibi dicendum erit. Nunc hæc tantum præfari uolui, ut cogitet pius lector, necessariam esse explicationem huius loci de de iustificatione, & gratia mente amplectendum esse beneficium Dei, qui Euangelij lucem rursus accendit. Neq; enim negari potest, in doctrina Monachorū esse errores, quos etsi nunc aliquantulum corrigunt, tamen adhuc neruos ipsos retinent. De remissione peccatorum uociferantur non recte doceri, quod fide gratis propter Christum accipiatur remissio peccatorum: nec admittunt, fide significari fiduciā misericordiæ Dei: Imò iubent semper dubitare, an simus in gratia. Deinde addunt, quod mereamur remissionem propter contritionem et dilectionem. Atqui contritio, seu dolor, seu pauor sine fiducia misericordiæ, quo uehementior est, eo magis impellit ad desperationem. ut Paulus inquit, Lex iram efficit. Deinde dicunt amplius, renatos legi Dei satisfacere, iustos esse propter implementationem Legis: Et hanc ipsam esse meritum & precium uitæ aternæ. nec reliquā in renatis inobediētiā esse quiddā pugnans cū lege Dei. Addūt item, re-

natos

Monachorū
errores in cau-
sa iustificatio-
nis.

natos tamen debere dubitare, an sint in gratia, & in hac dubitatione manendum esse. Hæc dubitatio palam est ethnica. nec leues sunt hi errores, sed Evangelio tenebras inducunt: obscurant beneficium Christi, tollunt ueram consolationem conscientiarum, & ueram inuocationem. Quare necesse est, ecclesiam de his tantis rebus admonere. Exponam igitur clarè & planè summam huius negotij.

Primum de disciplina clamitamus et nos, Omnes homines disciplina coercendos esse: id est, iustitia illa, quam etiam non renati præstare debent, et possunt. Sicut ait Paulus, Lex est posita iniustus. Et Deus presentibus & æternis pœnis uiolationem discipline punit. Ac ingens præconiū est discipline, quod Paulus inquit, esse pædagogiam in Christum. Quia scilicet, Euangelium non est efficax in his, qui non desinunt ruere contra conscientiam.

Disciplina
coercendū
homines.

Quantū autem nulla res humana pulchrior est, quam disciplina: sicut uerè dicit Aristoteles, iusticiam formosorem esse hespero, & lucifero: tamē non est assuenda opinio, quod sit impletio Legis, quod mereatur remissionem peccatorum, quod propterea homo sit iustus, id est recōciliatus Deo. Paulus inquit, Iudæos intueri Moysi faciē uelatā: id est, nō recte intelligere legem Dei, quæ est uox arguens peccatum in natura hominis, & ostendens iram Dei, aduersus peccatum, & ueros pauores incutiens.

Disciplina te
gem non im-
pleri.

Sed cum hoc de intellectu legis, & de agnitio-

ne peccati concionatur Euangelium, putant multitudines persuasione sapientiæ, has esse hyperbolas Stoicas, quibus nihil opus sit. Sed cum disciplina per sese satis difficilis res sit, contendunt nihil amplius requiri, & hanc qualemcumq; diligentiam mereri remissionem peccatorum, & esse iusticiam coram Deo. & ad has humanas imaginationes, Origenes & Monachi male detorserunt Paulum. Quare natiua Pauli sententia, ex ipso Paulo, & reliquo consensu Prophetice & Apostolicæ scripturæ discenda est, non ex humanis opinionibus.

Secundò, postquam hæc de disciplina præmonuimus, nunc ad causam accedimus. Similis est ecclesiæ concio à principio post receptum Adam usq; ad finem, statim in Paradiso institutum est ministerium prædicandæ poenitentiae, & data promissio de uenturo liberatore, ex qua intelligebant primi parentes se recipi. Sed hæc promissio paulatim clarius patefacta est, usque ad Christi prædicationem, qui & ipse hoc ministerio fungebatur, & Apostolis mandauit idem ministerium inquitens: *Ite prædicantes poenitentiam et remissionem peccatorum in nomine meo. Quare semper in ecclesia sonare oportet prædicationem poenitentiae, quæ sit uoce Legis, per quam Deus arguit peccata nostra cum externa tum interiora. qualia sunt, non timere, non diligere Deum, non confidere Deo. sit & uoce Euangelij, accusantis mundum, quod non audiat filium Dei, non moueatur eius passio*

Poenitentia
prædicandæ
ministerium
in paradiso
statim institu-
tum.

Poenitentia
semper prædi-
canda in eccle-
sia.

ne & resurrectione, &c. Ideo inquit Christus: Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, quod non credunt. & Romanis 1. Reuelatur ira Dei de cælo super omnem impietatem & iniustitiam hominum, &c.

Vt igitur expauit Adam, seu Dauid, audiens uocem Dei accusantis: ita mens non dura, non obstinata, expauescit, & agnoscit Deum uere irasci peccato, & punire peccatum. Hi terrores sæpe descripti sunt in Psalmis. Psal. 36. Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ, non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum. Et quidem ut lex hanc iram generi humano denunciat, ita omnes calamitates humane sunt quasi uox legis, nos de ira Dei admonēs, & omnes ad pœnitentiam uocans.

Tertiò, cum mens hominis hac uoce arguente peccata, perterrefacta est, audiat promissionem in Euangelio propositam, & statuatur remitti sibi peccata gratis propter Christum, per misericordiam, nõ propter contritionem aut dilectionem, aut alia opera. Hoc modo cum fide se mens erigit, donantur remissio peccatorum & reconciliatio. Si enim iudicandum esset, tum demum nos habituros esse remissionẽ peccatorum, cū contritio aut dilectio sufficiens esset, adigeretur animus ad desperationem. quare, ut habeat certã & firmã consolationem, pendet beneficiũ Dei non ex conditione dignitatis nostræ, sed ex sola misericordia propter Christum promissa. Cumq;

Deus remittit peccata, simul donat nobis spiritum sanctum, qui nouas uirtutes in pijs inchoat. Gal. 3. dicitur, Vt promissionem spiritus accipiamus per fidem. Hæc nihil habent perplexitatis, & à pijs mentibus in ecclesia, quæ norūt exercitia spiritualia, pauores, consolationes, & inuocationem, clarè intelliguntur. Nunc igitur testimonia addenda erant, sed uocabula prius diligentius declaranda sunt.

De peccato, de lege supra dictū est: nunc de cæteris dicā, de uocabulis iustificationis, fidei, & gratiæ.

Iustificatio, significat remissionem peccatorum, & reconciliationem, seu acceptationem personæ ad uitam æternam. Nam Ebræis iustificare est forense uerbum: ut si dicam, Populus Romanus iustificauit Scipionem accusatum à tribunis, id est absoluit, seu iustum pronunciauit. Sumpsit igitur Paulus uerbū iustificandi ex consuetudine Ebraici sermonis, pro remissione peccatorum, & reconciliatione, seu acceptatione. Hanc esse uim phrasæ Ebraicæ, eruditi omnes norunt, & exempla passim obuia sunt. Quāquam autem, ut antea dixi, cum Deus remittit peccata, simul donat spiritum sanctum inchoantem nouas uirtutes: tamen mens perterrefacta, primum quærit remissionem peccatorum, & reconciliationem, de hac angitur, de hac dimicat in ueris pauoribus, non disputat quæ uirtutes infusæ sint. quæ etsi comitantur reconciliationem, tamen nequaquam iudicandū est, nostram dignitatem aut mundiciem causam esse
remissi-

Iustificatio
quid.
iustificare.

remissionis peccatorum. Ideo toties inculcatur particula *Gratis*.

DE VOCABVLO FIDEI.

Phrasis diligenter consideranda est, & uidentum quid agat Paulus, cum ait: *Iustificamur non operibus nostris, sed fide in Christum*, Romanis auribus hæc oratio noua est. Quare initio quaerenda est natiua sermonis interpretatio. *Iustificari operibus*, significat consequi remissionem, & iustum seu acceptum Deo esse, propter proprias uirtutes & facta. E contra uero *iustificari fide in Christum*, significat consequi remissionem, & iustum, hoc est acceptum reputari non propter proprias uirtutes, sed propter mediatorem filium Dei. Sic intellecto sermone conspici potest, quomodo hanc propositionem & uocem Euangelij, *Iustificamur fide*, Paulus opponat alteri, quæ est uox humani iudicij seu Legis, *iustificamur operibus*. Ut Baptista clamat: *Hic est agnus Dei, qui tollit peccata mundi*. Ita Paulus uult nobis hanc uictimam proponere, & docet propter hunc filium Dei dari remissionem & reconciliationem, non propter nostras uirtutes.

Iustificari operibus, aut fide quid.

Quare cum dicit, *Iustificamur fide*, uult te intueri filium Dei sedentem ad dextram patris, mediatorem, interpellantem pro nobis: & statuere, quod tibi remittantur peccata, quod iustus, id est acceptus reputeris, seu pronuncieris propter illum ipsum filium, qui fuit uictima. Ut igitur uocabulū *Fides*, mon

Fides quid.

Fide sumus iusti.

Fide habemus remissionem.

stret illum mediatorem, & nobis applicet, significat fides non tantum historiæ noticiam, sed fiduciam misericordiæ promissæ propter filium Dei. Estq; semper hæc propositio correlatiue intelligenda, Fide sumus iusti: id est, fiducia misericordiæ propter Christum sumus accepti, non propter nostras uirtutes. Nam hæc misericordia, fide seu fiducia apprehenditur. Hoc agit Paulus, ut illum mediatorem & agnū nobis proponat, & gloriam iustitiæ nobis detrahat, & testetur propter hunc propiciatorem nos recipi. Hanc esse mentem Pauli nihil dubium est, & sententiam ipsam esse ueram & certam in ecclesia manifestissimū est. Fatentur enim omnes sancti, se etiam cū habent nouas uirtutes, tamen non propter has accipere remissionem peccatorum, et reconciliationem, sed propter filium Dei propiciatorem. Ideo necesse est sic intelligi hoc dictum, Fide habemus remissionem: id est, hac fiducia, quod propter filium Dei recipiamur.

Qui uerò reclamant huic enarrationi, his hæc oratio prorsus inanis sonitus est, & nihil significans, Iustificati fide pacem habemus. Deinde nec intelligunt ipsi, quale sit certamen conscientie luctantis cum pauoribus & dubitatione, cum angitur de remissione peccatorum, nec norunt pauores qui in uera pœnitentia existunt. Hos si considerarent, scirent mentes perterrefactas quærere consolationem extra sese: & hanc consolationem esse fiduciam, qua uolū-

tas acquiescit in promissione misericordiae, propter
mediatorem donat.e. Complectitur autem fiducia
misericordiae & notitiam historiae: quia fides intue-
tur Christū, quem agnoscere necesse est esse filium æ-
terni Dei, pro nobis crucifixum, resuscitatum, &c.
Estq; referenda historia ad promissionem seu esse-
ctum, qui in hoc articulo proponitur, uidelicet, cre-
do remissionem peccatorum. Ac rursus hic ipse ar-
ticulus monet, ut fides intelligatur fiducia. Nam illi,
qui nō confidit sibi remitti peccata, hæc uerba, Cre-
do remissionem peccatorum, frustra dicuntur.

Fiducia mise-
ricordiae com-
plecti etiā hi-
storię notitiā.

Dixi de intellectu propositionis, Fide iustifica-
mur: nunc testimonia addam, quod fides in hac do-
ctrina Evangelij significet fiduciā misericordiae pro
missæ propter Christum. Quidam de uocabulo π/ι-
στις litigant, nec aliud uolunt intelligi nisi doctrinā,
seu symboli professionem: ut uulgo dicitur, Fides Ni-
cena, pro doctrina, seu dogmatum collectione. Sed
græcis plura significare uerbum πιστις, cōstat. Nec
dubium est Ebraica phrasi promiscue usurpari uer-
ba, quæ significant credere & confidere. ut Psal-
mo secundo: Beati omnes qui confidunt in eo. hic E-
braei legunt Hose. Et quod Paulus citat ex Esaiæ
capite 28. Qui credit, non confundetur: in Ebrai-
ca lectione est, Hamaemin. Eodem uerbo quod signi-
ficat credere, sæpiissime pro confidere utitur lingua
Ebræa. ut Danielis 6. Quia credidit Deo suo. &
Psal. 78. duo synonyma coniunguntur: Quia nō cre-
dide-

Fides pro fida-
cia misericor-
diæ.

Credere &
confidere pro
eodem.

diderunt Deo, & non confisi sunt in saluatore suo. Ac sunt manifesta exempla in sermone Christi, O mulier magna est fides tua. Item, Fides tua saluam te fecit. In his & similibus dictis, constat fide significari fiduciam. Sequi autem Paulum phrasin Ebraicam, non dubium est. Deinde infinita occurrēt apud græcos exempla, ubi πιστός simpliciter significat confido. ut in uulgari uersiculo Phocylidis, λαὸν μὲν πιστῶν, πολύτροπός ἐστιν ὁ μιλῶ. Et in Philippica quarta Demosthenis, ἀλλὰ εἰ συμμαχῶν ἐννοίᾳ πιστεύει, καὶ τοῖς ἑλλοῖς ἰσχύει, & contra Androtionem, σὰν τῶ πιστεύεις, Confidis teipso. Et apud Plutarchum interrogatus, Solon, qua re confisus auderet se opponere Pisistrato: respondit, senectū. In hoc loco est, τίνι πιστεύω. Nec difficile esset acruum testimoniorum colligere. Teneamus ergo uim uerbi πιστός, & sciamus significare utrunq; assentior & confido. Græcis magis πιστός uagatur uocabulum πιστός. Sed nos sciamus in Ecclesia significare assensionem firmam, & fiduciā, quæ etiam πισθισμός dicitur. Et uera est hæc definitio fidei, Fides est assentiri uniuerso uerbo Dei nobis proposito, adeoq; & promissioni gratiæ reconciliationis donatæ propter Christum mediatorem, estq; fiducia misericordiæ Dei promissæ propter Christum mediatorem. nam fiducia est motus in uoluntate necessario respondens assensionem, seu quo uoluntas in Christo acquiescit: quod cum fit, accenditur spiritu sancto & noua luce, ut postea dicam. Vsiatissimum est

πισθισμός.
Fidei definitio.

est autem, πίστις pro firma assensione dicere, in qua significatione opponitur incertæ opinioni. Sic Plato inquit, Homines non habere ἰσχυρὰ πίστιν de idea boni, id est stabilem ad assensionem. Et si enim homines intelligunt recta, tamen propter contumaciam cordis, propter prauas cupiditates assensio excutitur.

Et uicina est significatio, fiducia. sicut in uersu Fiducia.

Theognidis, πίστις χρῆματ' ἔνασσα, ἀπιστίαν δ' ἰσάσσα.

Et apud Hesiodum, Fiduciæ diffidentiae fuerunt exitiales. Cæterum aliæ sunt significationes, quarum Fidelitas.

præcipua est πίστις pro fidelitate, id est, pro uirtute pacta seruante. Hæc ubi locum habeat in sacris libris diligenter considerandum est. Nam profectò in iudicandis controuersijs ecclesiasticis, in quolibet loco uera uerborum significatio, sententiæ congruens querenda est. Huc studia linguarum referenda sunt.

Sæpe autem, ut dixi, πίστις fidelitatem significat, ut in uersu Sophoclis, δνόνει ἢ πίστις, βλαστάνει δ' ἀπιστία. id est, Fidelitas perijt. Et sæpe aliàs, ut apud Polybium lib. secundo, ἔχοντο ἢ πλεον εἰς τὴν πίστιν, καὶ τὴν ὄλην λαοουαγαλίαν, Antecellebant fidelitate seruante pacta: uel, quod idem ualet, fide, id est, autoritate quæ eis tribuebatur, quod uidelicet essent fideles, seruantes pactorum, iusti, benefici. Deinde multe significationes ex hac nascuntur, quæ nihil ad Pauli disputationem pertinent. Polybius, δέναι ἑαυτοὺς εἰς πίστιν ῥωμαίων, dedere se in fidem Romanorum, id est, in fidem Romanorum pacta seruantium, iustitiam

iustitiam clementia moderantium. Item *ἀσφαλισμός* promittere fidelitatem. Et apud Rhetores ac Aristotelem *πίστις*, probationes, argumenta, testimonia significant. Hæ metonymiæ non sunt ad Pauli disputationem transferendæ. O rem miseram. Ecclesia uere, ut in uersu græco dicitur, inter barbaros natiuum sermonem dedidit. monachi ueras significationes obruerunt, nouo genere doctrinæ excogitato. Quare pij redeant ad Prophetas & Apostolos, ac propriam Ecclesiæ linguam iterum discant, & instaurent.

Ecclesiæ barbaries.

Fidei uoce quid Paulus intelligat.

Quod autem Paulus fiduciam misericordiæ intelligi uelit uocabulo fidei, ex sequētibus testimonijs perspicuum est. Rom. 4. Confertur promissio ad fidem correlatiuè: Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio. Hic diserte postulat, ut assentiatur promissioni. ac ut possimus assentiri, ait gratuita esse, quæ si cōditio impletæ legis addita esset, sequeretur desperatio: placeres Deo, si legi satisfaceres. At Paulus dicit, Ideo gratuitam esse promissionem, ut sit firma credenti. Vult ergo nos assentiri promissioni. Id assentiri, reuera est hæc fiducia amplectens promissionem. Hæc explicatio labefactari non potest.

Assentiendū promissioni.

Præterea considera uim promissionis Euangelicæ. Si nihil opus est assentiri, promissio prorsus est inanis sonitus: quæ tamen ideo tradita est, ut assentiatur: & ut assentiri possimus, gratuita est. Item, cur Ioannes dicit, Qui non credit Deo, mendacem eum facit?

facit? Et Paulus inquit, Non dubitauit diffidentia, sed firmus fide dans gloriam Deo, & certus, &c. Hæc clare ostendunt, requiri ut assentiamur promissioni. Denique cur sonat in ecclesia hæc uox, Propter filium Dei remittuntur tibi peccata, si dicas, nõ esse assentiendum? Hoc quid aliud est, quam, ut Ioannes inquit, Deum mendacij arguere?

Secũdo, Rom. 5. Iustificati fide pacem habemus. at notitia historiæ non affert pacem, imò auget pauores & desperationem, sicut in diabolis. Quod enim terribilius est signum iræ Dei, quam placari Deum non alia uictima potuisse, nisi filij mortem? uident diaboli se reiectos esse, sciunt filium Dei iudicem constitutum esse, se futuros in æternis pœnis. Vident & homines in ueris pauoribus, cum alia multa signa iræ Dei aduersus peccata, mortem, & alias infinitas calamitates: tum uero hoc ipsum signum, quod ira Dei nõ potuit placari nisi per filium. huius historiæ notitia auget pauores, si fides non est fiducia applicans nobis hoc beneficium: si non est statuendum, Ideo passus est filius Dei, ut tibi ignoscatur, quam male merito, &c. Hæc fiducia consolatur mentem perterrefactam, & pacem affert.

III. Similis est explicatio & aliorũ multorũ testimoniorũ, Iustus ex fide uiuet. Certe historiæ noticia nemo uiuet, quæ potius auget cruciatus, nec legis noticia quisquã uiuit, Si habueris uirtutes sufficientes, placebis. Neesse est igitur fidẽ intelligi, quæ statuit nobis

2
Historiæ notitia pacem ne magis afferat, an pauores.

nobis Deum propiciū esse, & acquiescit in promissa misericordia.

Eodem modo & hoc dictum intelligi necesse est: Omnis qui credit in eum, non confundetur. Item in Psalmo: Osculamini filium, beati omnes qui confidunt in eo. ubi uerbum Hebraicum propriissime significat confidere.

Fidei natura
quomodo ex
pressa Paulo.

III. Eph. 4. Per quem audemus accedere confidentes per fidem eius. Hic Paulus tribus insignibus uocabulis naturam fidei describit, audet, accedit, cōfidenter. Magna res est accedere ad Deum iudicem, uere & horribiliter iratum peccato. Hic iterum noticia historiæ deterret nos, nisi statuamus filium nobis ducem & propiciatorem esse, & per hunc nos duci ad patrem. Hoc statuere, est fiducia de qua loquimur. Sic & Rom. 5. ait, Per quem habemus accessum fide. & Heb. 4. Habentes talem pontificem, accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ. Ex hoc dicto utrunque discimus, & præcipi hanc fiduciam in inuocatione, & fidem in similibus locis intelligendam esse fiduciam.

Dubitationis
peccatū quasi
tum.

Sed ideo reclamant multi, quia hunc ipsum cultum Dei, scilicet fidem in inuocatione, non intelligunt, & imaginantur dubitationem perpetuam, an à Deo recipiamur & exaudiamur, non esse peccatum. Porro hoc peccatum quale sit, et quam nocens, in uera lucta conspicitur: & quia abiicit promissionem Dei, arguit eum mendacij.

Act. 15. Fide purificans corda. Si fides tantum significat noticiam, qualis & in dæmonibus est, hoc dictum proprus erit inane. Constat autem in eo ipso loco disputari de iustificatione: & quidem constitui quod non purificentur corda per iusticiam legis, sed aliter, uidelicet, Si credant se per gratiam Domini nostri Iesu Christi saluari.

Addi potest et aceruus testimoniorum, in quibus uocabulum fidei ponitur pro fiducia. ut, *O mulier, magna est fides tua.* Item *Lucæ 7. Fides tua saluam te fecit.* & *1. Par. 20. Credite, & securi eritis.* In talibus dictis palam apparet, fidem uocari fiduciam, expectantem à Deo consolationem & auxilium. et quamuis obiecta externa dissimilia sunt, tamen semper primum & principale fidei obiectum est, Deus reconciliatus iuxta promissionem, seu promissio reconciliationis. Tunc David petit & expectat auxilium in bello, cum statuit se habere Deum propitium. Et tanta uarietas externorum obiectorum & periculorum nobis proposita est, ut sit occasio exercendæ fidei, & apprehendendi simul spiritualia beneficia: ut illa ipsa communis precatio docet. Postquam dictum est, *Panem quotidianum da nobis hodie:* mox additur, *Et dimitte nobis debita nostra.* Fugeret Deum mens in petendis corporalibus, nisi simul agnosceret nobis ignosci, nos recipi in gratiam, ac propterea nos exaudiri, & iuari.

Ac ad intelligendas multas sententiâs, utile est hoc

p. confide

Fides pro fiducia.

Fidem semper placere in petitione.

considerari, quod fides de reconciliatione semper sic præluceat in petitione & expectatione corpora lium. Sic & Abraham petebat heredem à Deo, & promissioni credebatur, quæ posteritatem pollicebatur: sed simul agnoscebat Abraham, et confidebat sibi à Deo ignosci, se quanquam indignum recipi à Deo per misericordiam, propter liberatorem promissum patrib. Hæc esse vim uerbi, Credidit, Gen. 15. testatur præcedens promissio: & consolatio, Noli timere Abraham, ego protector tuus & merces tua magna ualde. In hac dulcissima consolatione Deus testatur se propiciuum esse Abraham, se defensorem, adiutorem eius, & saluatorem esse. Hanc promissionem intuens, confidit Abraham se recipi in gratiâ Dei. De hac igitur fide dicitur, Imputatû est ei ad iustitiam.

Abrahæ fides

Postremò definitio fidei in epistola ad Hebræos testatur, fide significari fiduciam, cum inquit: Fides est ὑποστασις rerum sperandarum. Constat enim ijs quibus phrasis nota est, ὑποστασις significare expectationem, hoc est, fiduciam expectantem.

Recensui testimonia ex Prophetis et Apostolis: quæ cû sint perspicua, spero satisfactura dextrè iudicantibus. Fateor autem postea plerosq; scriptores, ut Origenem & alios, tradidisse aliud genus doctrine, & insincerum. sed aliqui eruditiores nobiscum re uera sentiunt, & sibi quoque aliàs commodius, aliàs incommodius loquuntur.

In Augustino passim sunt obuia testimonia, De
spiritu

spiritu & litera, inquit: Ex lege timemus Deum, Augustini te-
fide confugimus ad misericordiam. Item: Fides di-
cit, sana animam meam, quia peccavi tibi. Hæc si de-
xtrè intelligantur, non possunt nisi de fiducia miserè
cordiæ intelligi. *simonia.*

Clarior est Augustini locus Psal. 31. Qui sunt
beati non illi in quibus non inueniet peccatum, nam
in omnibus inuenit: omnes enim peccauerunt, & e-
gent gloria Dei. Si ergo in omnibus peccata inueni-
untur, remanent, ut nò sint beati, nisi quorum remis-
sa sunt peccata. Hoc ergo Apostolus sic commenda-
uit, Credidit Abraham Deo, et imputatum est ei ad
iusticiam. Hic certè Augustinus fidem intelligit fidu-
ciam, quæ accipit remissionem peccatorum, & di-
ctum in Genesi ac Paulo prorsus intelligit sicut nos
enarramus.

Addam & Bernhardi testimonium, quod extat *Bernardi testi-*
in concione de annunciatione. Necesse est primò o- *monium.*
mnium credere, quod remissionem peccatorum habe-
re non possis, nisi per indulgentiam Dei: sed adde, ut
credas & hoc, quod per ipsum peccata tibi donan-
tur. Hoc est testimonium quod perhibet spiritus san-
ctus in corde tuo, dicens, Dimissa sunt tibi peccata
tua. Sic enim arbitratur Apostolus, gratis iustifica-
ri hominem per fidem. In hoc dicto perspicue &
proprie recitatur sententia ecclesiarum nostrarum,
& extant similia testimonia apud hunc autorem.

Basiliius etiam propriissime recitat nostram sen-
tentiam,

Basilij senten
tia.

tentiã, in concione de humilitate, his uerbis: Qui gloriatur, in Domino gloriatur, dicens, quod Christus nobis factus sit sapientia à Deo, iusticia & sanctificatio & redemptio. sicut scriptum est, Qui gloriatur, in domino gloriatur. Hæc est enim perfecta et integra gloriatio in Deo, quando neq; propter iusticiam suam quisquã effertur, sed agnoscit sese indigere uera iusticia, fide autẽ sola in Christũ iustificari.

Consolatio
ex fide.

Deniq; res ipsa consideretur. Melius enim intelligi uox Euangelij potest in præsentia lucta, quàm cũ ociosi & securi tanquam ex longinquo has disputationes audimus. Quam tibi ipsi propones consolationẽ, cum mens uere obruitur pauore, et metu iræ Dei? Nonne in ea consternatione confugiendum erit ad mediatorem Christum? & cogitandum, Crede propter hanc uictimam tibi ignosci. Sicut ubiq; iubet Euangelium credere, quod propter peccata nostra filius Dei mortuus sit, ut Rom. 4 dicitur. Cogitandum & hoc, per filium est accessus ad Deũ. Rom. 5. Porrò hæc fides qua te sic consolaris, haud dubie est fiducia acquiescens in filio Dei. Certe non sic cogitandum erit, iam diligo Deum, iam habeo uirtutes et merita, ideo Deus me recipiet. Ergo luctã hanc et consolationẽ intuentes, intelligemus existere pauores, & erigi animos fiducia intuente filium Dei, et quibuscũque uerbis eloqui hæc uoluerimus. Sed Prophetæ & Apostoli utuntur in hac re nomine fidei. Eodem modo pij omnes quotidianam inuocationem
suam

suam consideret. Quoties incipis inuocare Deum, obstrepit tibi multiplex indignitas tua, metuis tuas preces non admitti. Hic queritur consolatio aliqua. quenam? Certe non cogitas, Iam habeo uirtutes, quarum dignitas meretur recipi meas preces: sed quæris mediatorem nobis donatum. cogitas illam uocem, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Item, Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Item Heb. 7. Semper uiuens ut interpellet pro eis. Credis igitur placere Deo inuocationem, & recipi propter hunc pontificem unam interpellantem. Hoc credere, certe est fiducia erigens & consolans animum. De hac re, de hac consolatione dimicamus: quibuscunque uerbis uti alij uolunt, rem retinere cupimus. Nam qui dissentiunt, rem ipsam obruunt, iubent semper dubitare, & quidem sepeliunt Christum: quia prorsus non docent petendam ab eo consolationem, non iubent uti eius beneficio. Quia si fides non est fiducia intuens Christum, & acquiescens propter Christum, certe non applicamus nobis eius beneficium, neque utimur eius beneficio. Necesse est igitur fide intelligi fiduciam, applicantem nobis beneficium Christi.

Quare cum dicitur, Fide iustificamur: non aliud dicitur, quam quod propter filium Dei accipiamus remissionem peccatorum, & reputemur iusti. Et quia oportet apprehendi hoc beneficium, dicitur fide, id est fiducia misericordie promissæ propter Christum.

Fide iustificamur, quid,

Intelligatur ergo propositio correlatiue, Fide sumus iusti: id est, per misericordiam propter filiū Dei sumus iusti, seu accepti. Nota enim est natura relatiuum nominum. Et ut amor, timor, & alia quaedam affectuum nomina sunt relatiua secundum dici, ita et fiducia. Nec insulsas reprehensiones indoctorum hic pertimesco.

Et quod obijciunt quidā, huic fiduciæ adiunctā esse dilectionem, non repugno. Sed cum dicimus, Fide iustificamur, monstramus filium Dei sedentem ad dexteram patris, interpellantem pro nobis. Propter hunc dicimus nobis donari reconciliationē, detrahimus meritum reconciliationis nostris uirtutib. quæcunq; adsunt. Et tamē postea suo loco dicitur, Dilectionē et alias uirtutes in renatis existere oportere.

Ac in summa, cum accusamur in hoc dogmate, quod dicimus, Fide iustificari hominem: tantum ideo accusamur, quod dicimus, nos propter filiū Dei accipere reconciliationē, non propter nostram dignitatem, & quod hoc credendum sit, seu quod hac fide uel fiducia apprehendendum sit beneficium, & opponendum meritum Christi peccato nostro, et dānationi nostræ, et quod in hac fide seu fiducia intuen-
te filium Dei Deus inuocandus sit. Has autem sentēti-
as esse ipsam Euangelij uocem, & perpetuum ueræ ecclesiæ consensum, certissimum est. Nec dubito bonos et pios agnoscere hanc explicationē uere esse Pauli doctrinam, eamq; grata mente amplecti. Ac

de tota re prouoco ad consensum ecclesie, id est per
 ritorum & piorum. Eius Ecclesie testimonium gra
 uissimum esse iudico. Ecclesie con
 sensus.

Quod autem alij multi rabiose reclamant, &
 contendunt, uocabulo fidei nihil nisi notitiam histo
 riæ significari, & quærunt infinitas cauillationes;
 meminerint pij uocem Pauli, qui inquit, Israel secta Paulilocus,
 do legem iustitiæ, ad legem iustitiæ non peruenit.
 Ratio humana intelligit iustitiam operum, hanc mi
 ratur unam: & illa quæ de iustitia fidei dicuntur,
 quia sunt aliena à politicis opinionibus, acerbè odit.
 Sed nos sciamus, suum locum esse iustitiæ operū, lon
 gè uero alia consolatione opus esse in quærenda re
 conciliatione.

Hæc de uocabulo fidei breuiter recensui, quæ ni
 hil habent perplexitatis, aut sophisticæ, & ad phra
 sin Ebraicam uere congruunt. Sit igitur hæc defini
 tio: Fides est assentiri uniuerso uerbo Dei nobis pro Fidei defini
 tio uera.
 posito, & quidem promissioni gratuite reconcilia
 tionis, donatæ propter Christum mediatorem: estq;
 fiducia misericordie Dei, promissæ propter Christū
 mediatorem. Nam fiducia est motus in uoluntate, ne
 cessariò respondens assensionem. Estq; fides uirtus ap
 prehendens & applicans promissiones, & quietans
 corda. Sicut satis perspicue docet hæc uerba, Iusti fi
 cati fide pacem habemus erga Deum per Christum,
 per quem & accessum habemus fide in gratiam
 hanc. Cum autem dicimus de assensu promissionis, Assensus pro
 missionis.

complectimur omnium articulorum noticiam. & in symbolo cæteri articuli referuntur ad hunc, Credo remissionem peccatorum, Credo uitam æternam. Hæc est enim summa promissionum & finis, ad quæ cæteri articuli referuntur: Quia filius Dei missus est, ut Ioannes inquit, Vt destruat opera diaboli, id est, tollat peccatum, & instauret iusticiam & uitam æternam.

DE VOCABVLO GRATIÆ.

Etiam Philosophi uiderunt, excellentem uirtutem non existere sine motu diuino: ut fortitudo in Alexandro diuinus impetus erat. Hanc secuti imaginationem Monachi, gratiam tantum intellexerunt nouas uirtutes à Spiritu sancto excitatas. Et cum dicitur, accipi remissionem per gratiam: sic sunt interpretati, accipi eam propter illas uirtutes. Hæc interpretatio prorsus pugnat cum Paulo. Item de se de seu fiducia in Christum, aut fiducia gratuita imputationis nihil dixerunt. Quare imaginatio eorum magna ex parte philosophica est, et obscurat beneficium Christi, & doctrinam de gratuita imputatione. Plurimum igitur refert, uocabulum gratiæ proprie uere, & dextrè intelligi.

Rom. 5. duæ sunt appellationes, Gratia, & donum per gratiam. Est autem gratia, remissio peccatorum gratuita, seu misericordia, seu acceptatio gratuita. Deinde donum per gratiam, significat donationem spiritus sancti et uitæ æternæ: id est, nouam et æternam

Gratia quid.

Donum per gratiam.

nate

nam iusticiam, & uitam, quæ hic inchoatur, & postea perficitur. Ita & Ioan. 1. dicitur: Lex per Mo-
sen data est, gratia & ueritas per Iesum Christum
facta est. Hic quoq; gratia uocatur gratuita remis-
sio peccatorum, seu acceptatio propter mediatorē.

Deinde, ueritas est uera lux: id est, uera agnitio Dei, Veritas.
uera & æterna iustitia, & uita, quæ hic inchoatur,
sed postea perficitur. Loquitur enim de toto benefi-
cio Christi, quasi dicat, Legem quidem audiistis,
sed hæc non tollit peccatum, non tollit cæcitatem in
mentibus, id est dubitationes de Deo, & fremitum
aduersus Deum iudicantem. Item, non affert ueram
& æternam iustitiam, sed tantum disciplinam exter-
nam nobiscum morientem, quæ non est æterna seu
durabilis & perpetua iustitia.

Sed per Messiam dantur hæc ingentia munera. Messiæ mune-
ra.
Primum gratia, id est, remissio peccatorum gratui-
ta, & imputatio iustitiæ. Deinde etiam ueritas, id
est, uera lux, agnitio Dei, & uera ac æterna iustitia
ac uita. Etsi igitur gratiæ uocabulum significat re-
missionem peccatorum gratuitam, seu misericordiã,
tamen etiam fatemur accedere donationem Spiritus
sancti. & clara uoce damnamus Pelagij errorem,
qui prorsus sustulit discrimen Philosophiæ & Eu-
angelij, & finxit, ut in Philosophia, homines etiam
sine spiritu sancto legi Dei satisfacere posse, & eam
disciplinam esse iustitiam Euangelij, nec opus esse
donatione spiritus sancti. Pelagij error.

. P . S . quia

quia certe nouam et aeternam uitam inchoari hic oportet, quod non fit sine spiritu sancto, ut passim clamat uox cœlestis in Euangelio & Prophetis. Sit igitur hæc definitio gratiæ.

Gratia. Gratia est remissio peccatorum, seu misericordia propter Christum promissa, seu acceptatio gratuita, quam necessario comitatur donatio spiritus sancti. Nec difficile est iudicare de uocabulo ijs, quibus phrasis Ebraica nota est. Significat enim Ebraica uox sæpe fauorem, interdum etiam donum. Nunc testimonia adijciã, quæ testantur gratiam in hac questione præcipuè significare gratuitam misericordiam, seu gratuitam reconciliationem.

Testimonia. Rom. 4. Operanti merces nõ imputatur secundũ gratiam. Hic perspicue gratiam intelligit, gratuita beneuolentiam, seu imputationem. Est enim antithesis, Laboribus debetur merces: At credenti etiã si nõ affert merita, tamen fit imputatio iustitiæ gratuita.

Eodem modo postea loquitur: Ideo ex fide secundum gratiam, ut sit firma promissio, id est, ut sit certa reconciliatio, non pendet ex conditione nostræ dignitatis, sed est gratuita. Nam si iudices ita te habere remissionem, si dignus ac mundus sis, sequetur infinita dubitatio & desperatio.

Rom. 6. Non estis sub lege, sed sub gratia. Hic Paulus hoc ipsum agit, nos placere Deo, propter filium, non propter nostram dignitatem, cum quidem adhuc hæreat in renatis ingens imbecillitas & peccatum

catum. Significat igitur gratia, gratuitam misericordiam promissam propter filium.

Rom. 5. Vbi abundauit peccatum, superabundauit gratia: id est, etsi peccatum damnatum est horribili ira Dei, quam non satis intelligere ulla creatura potest, tamen gratia exuberat, id est, misericordia propter Christum promissa, maior est, qua contingit nobis remissio & reconciliatio. Ac gratia, id est promissa misericordia, uult nos confidere. Quare non est intelligenda nostra uirtus, seu obedientia, qua certe non est confidendum.

Sic & Heb. 4. dicitur: Accedamus ad thronum gratiae, ut misericordiam & gratiam & auxilium opportunum inueniamus. Thronum gratiae ipsum mediatorem intelligit: quasi dicat, thronum placantem iram patris.

Cum autem phrasis Ebraea eruditis nota sit, non est opus longiore disputatione, sed hoc diligentissime considerandum est, quod exclusiua particula gratis saepe repetita à Paulo, inest in definitione gratiae. Significat autem hæc exclusiua, dari reconciliationem propter filium Dei mediatorem, non propter nostram dignitatem, non propter nostra merita, non propter nostras uirtutes aut facta. Nec tamen excludit hæc particula uirtutes ipsas, sed conditionem dignitatis seu meriti excludit, & transfert causam reconciliationis in solū filiū Dei. In Petri conuersione necesse est existere pœnitentiã & fidem, qua statuat
sibi

Gratis particula in definitione gratiae.

sibi ignosci, & necesse est sequi alias uirtutes: & tamen propositio uera est. & necessario retinenda, gratis remitti peccatum. quia non propter uirtutes Petri, sed propter filium Dei remittitur.

Gratis partium
culam quatuor
or ob causas
retineri ac de
fendi necesse.

Et quia plurimum refert hanc exclusiuam recte intelligi, exponam quatuor causas, propter quas eā retineri & defendi necesse est. Prima est, ut debitus honos Christo tribuatur. Secunda, ut cōscientia certam & firmam consolationem retineat, & explodatur pestilens error eorum qui iubent dubitare. Tertia, ut uera inuocatio præstari possit. Quarta, ut cōspiciatur discrimen legis & Euangelij. Has causas breuiter recensui, ut semper in conspectu sint, diligenter autem singule considerandæ sunt.

1 Prima hæc est, ut debitus honos Christo tribuatur. Nam qui transferunt causam remissionis in opera hominum, dupliciter peccant: iram Dei & peccatum extenuant, deinde detrahunt filio Dei debitum honorem. Nam humana cæcitas & securitas nō intelligit iræ Dei magnitudinem aduersus peccatum. ideo fingit eam placari humana disciplina, & Christum amplectitur ut doctorem illius disciplinæ, seu legislatorem, non ut uictimam pro peccato, cum Iohannes clamitet, Hic est agnus Dei, qui tollit peccata mundi. & Esaias: Quia ponit animam suā pro peccato, uidebit semen longæuum.

2 Secunda causa est, ut conscientia certam & firmam consolationem habeat. Hanc & Paulus inculcat

cat Rom. 4. Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio. Hæc sententia magis perspicua erit, intuenti ueram luctam perterrefactæ mentis. Scimus ex lege & ratione naturali, Deum bonum & misericordem esse, sed erga eos qui non sunt rei. Non igitur quærit mens in uero pauore, an Deus sit misericors: sed hæc est luctæ epitasis, An tibi contaminato peccatis & reo uelit ignoscere, & propter quod precium. Hic necesse est hanc uocem Euangelij audire, de exclusiua & de Mediatore, quod Deus uere te recipere uelit gratis, id est, nõ propter tuam dignitatem aut merita, sed propter filium Dei, idq; credendum esse. Si hæc exclusiua ignoretur, confirmatur dubitatio: uidelicet, si existimes non remitti peccata, nisi cum satis dignam contritionem aut dilectionem habebis, hærebit dubitatio, quæ aliàs contemptum Dei, aliàs odium & desperationem parit. Hæc facile iudicari possunt à pijs. Etsi enim in humanis mentibus inest dubitatio, tamen sciendum est propter hanc ipsam causam, ne dubitemus de reconciliatione, filium Dei ex sinu æterni patris promissionem claram & certam reconciliationis attulisse, opponendam iudiciorationis, sicut in Ioanne dicitur: Filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit nobis. Repugnādum est igitur dubitationi, et erigenda fides, quod uere ueli Deus te propter filium recipere & exaudire. Estq; explorendus impius error aduersariorū, qui ignari Euangelij, & tantū rationis humane iudiciū sequentes, iubent

Dubitacioni
mentis repu-
gnandum.

iubent dubitare, & affingunt dubitationem non esse peccatum. Hunc perniciosum errorem taxari necesse est, quia certum peccatum est non accipere promissionem: item, Deo promittenti non tribuere laudem ueritatis. ut 1. Ioan. 5. dicitur: Qui non credit Deo, mendacem facit eum. Et summa blasphemia est contemnere uocē quæ de cœlo sonuit, Hunc audite.

Inuocationis
ethnicæ &
Christianæ di-
scrimen.

3 Tertia causa de inuocatione ex prioribus oritur. Et discrimen tenendum est inter ethnicam inuocationem, & Christianam. Inuocant ethnici, sed dubitantes, an Deus respiciat ac recipiat eos & eorum preces, ut in poematibus crebræ sunt hæc querelæ, nō respici, non exaudiri calamitosos à Deo. Et in uero dolore, cum fugit mens Deum iratum, ut Saul, certe nō inuocat. Econtra Euangelium docet inuocationem talem, in qua fides præluceat. Et si enim obstrepit tibi indignitas tua, quoniam inchoas inuocationem, tamen fides intueatur filium Dei mediatorem, & statuatur te & preces tuas recipi propter illum pontificem, sicut scriptum est: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Item, Per hūc habemus accessum ad Deum. Talis inuocatio propria est ueræ ecclesiæ, prorsus ignota ijs, qui nesciunt doctrinā de gratuita remissione, seu de hac exclusiua: de qua concionatur Paulus, cum repetit particulam gratis. Sic & Daniel inuocat cap. 9. Non in iustitia nostra precamur, sed in misericordia tua magna, propter Dominum. Nec aliud nos uolumus, aut docemus de
exclu-

exclusiua, quam quod hic inquit Daniel. Et sunt exempla multa in Psalmis, quæ ita dulcescent pijs, si intelligatur gratuita reconciliatio. Quia apud Dominum misericordia: si addas, erga dignos, satis meritos: erit uox legis terrorem incutiens. Sed si intelligas iuxta Euangelium, ut docet Paulus, & sentit Psalmus, Misericordia certò recipiens nos propter mediatorem gratis: hæc uox affert consolationem, & fugientem animum reuocat ad Deum, & exuscitat ad ueram inuocationem.

Quarta causa est, ut conscribiatur discrimen legis & Euangelij. Nam etsi lex habet promissiones, tamen non promittit gratis remissionem peccatorum, seu reconciliationem, seu imputationem iustitiæ, sed tantum eum pronunciat iustum, qui præstat integram obedientiam, & est sine peccato, ut hæc dicta ostendunt: Maledictus qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in lege. item: Qui fecerit hæc, uiuet in eis. Sed Euangelium monstrat nobis filium Dei mediatorem, & clamat nobis propter hunc gratis donari reconciliationem. Insigne igitur discrimen facit legis & Euangelij particula Gratis, qua amissa non potest non sequi magna Euangelij caligo. Statim enim obrepit opinio, dari remissionem propter nostra opera, quo errore admissio, obruitur doctrina de fide, de uero honore Christi, & de firma consolatione conscientiarum.

Exposui quantum referat exclusiuam retineri,
sed

4
Legis & Euangelij discrimen.

sed uidendum est etiam, ut recte intelligatur. Cum enim dicit Paulus, Gratis fide propter Christum consequimur remissionem: non hoc uult, non existere contritionem in his qui conuertuntur, aut non sequi ceteras uirtutes. Imò uult hæc adesse, sed excludit conditionem meriti seu dignitatis nostræ, negat contritionem & nostras uirtutes causas esse reconciliationis, & testatur causam esse meritum Christi mediatoris. Estq; sententia, Fide propter filium Dei gratis accipi reconciliationem, non propter nostram dignitatem. Hæc sunt perspicua, uera, sine ulla sophistica, & nihil perplexi, nihil intricati continent.

Sola fide nos
iustificari.

Nec aliud uolunt nostri, cum dicunt, Sola fide iustificamur, quam quod iam dixi, gratis fide propter Christum consequimur remissionem peccatorum, non propter nostram dignitatem. Nec excludit particula Sola, contritionem aut ceteras uirtutes, ne adsint: sed negat eas esse causas reconciliationis, & transfert causam in solum Christum. Suntq; correlatiue intelligendæ hæc sententiæ, Fide, id est fiducia Christi sumus iusti, hoc est, propter Christum sumus iusti gratis, id est non propter dignitatem nostram. Idq; credendum est, ut beneficium Christi amplectamur, & in misericordia propter Christum promissa acquiescamus.

Testimonia
ex Paulo.

Nunc addam testimonia ex Paulo, quæ ostendunt uere hanc esse Euangelij doctrinam, quam recensui de iustificatione: quod uidelicet statuendum sit nos propter

propter filium Dei gratis fide consequi remissionem peccatorum, et reputari iustos, id est acceptos Deo ad uitam æternam. Prodest autem hæc testimonia in conspectu habere, non solum ad refutandos aduersarios, sed multo magis ad nos ipsos confirmandos, & ad fidem excitandam in omni inuocatione. Nam hunc cultum, hoc opus, præcipue requirit Deus.

Hic cultus uerum honorem filio Dei tribuit, cum uidelicet propter hanc uictimam & hunc placatorem inuocamus Deum, & credimus, per hunc pontificem perferri nostras preces ad æternum patrem.

Rom. 3. Principalis propositio huius disputationis pluribus uerbis traditur, Omnes peccauerunt, & carere gloria Dei. Iustificamur autem gratis ipsius gratia per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quæ proposuit Deus propiciatorem per fidem in sanguine eius. Initio, ut ostendat homines non esse iustos propria mundicie, inquit, Omnes esse reos, et carere gloria Dei, id est sapientia & iustitia, quæ Deus approbat, seu ducit esse gloriam. Deinde addit quomodo reconcilientur, cum ait, Iustificamur, id est consequimur remissionem peccatorum, & reputamur iusti, seu accepti gratis, ipsius gratia, id est misericordia gratuita propter Christum, quæ proposuit Deus propiciatorem. Addit autem, Iustificamur in sanguine eius: id est, placatur ira Dei per mortem filij, sed hoc beneficium fide applicari oportet. Statuendum est, quod propter hunc propiciato-

rem, & propter eius mortē tibi uere propicius sit Deus, nō propter tuam dignitatē. Hęc fides est fiducia, quę pacē & uitam cordibus affert, ut supra de fide dictum est, & quę in Christo acquiescit.

Deinde Paulus in 4. capite, instituit confirmationem huius propositionis, & testimonia ac argumenta recenset. Primum testimonium sumptū est ex Genesi. ut enim ostendat hanc perpetuam esse ecclesię doctrinam, allegat primam concionem de modo iustificationis quę extat in Mose. Allegat et illum uirum qui proponitur, ut ab ipso ceteri discant promissiones & uerum cultū Dei: Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad iustitiam.

Refutantur
quorundam
calumnice.

Sed hic, priusquā cetera Pauli argumenta addo, refutanda sunt quędā calumnię eorū, qui conantur eludere Pauli dicta. Sunt enim multi prophani homines, qui cōtumeliose exagitant Paulū, & clamitant eum aliena dicta ad suam causam, uel per inscitiam, uel sophisticē detorquere: eamq; ob causam nec scripta, nec autoritatē Pauli magnificiunt. Sed hęc impia iudicia ex ipsorū inscitia oriuntur. Cum non intelligant exercitia fidei in ueris pauoribus, nihil mirū est non uidere eos, quomodo congruant dicta quę hic citantur. Et solent homines uel odisse, uel superbe contemnere, quę non intelligunt. Sed pij sciant apostoli uocē, tanquam uocē Dei de cœlo sonantē, audiendam esse. Sciant Paulū nec ludere præstigijs, nec errore falsa dicere.

re, sed intelligere suā causam, & recte explicare. Sciant item, congruere Pauli doctrinam cum scriptis prophetarum. Discipuli simus apostolorum, non simus eorum calumniatores.

Porro aduersarij ut eludant dicta de fide, affingunt interpretationē, ac dicunt synecdochen esse: Fide, scilicet formata, ut ipsi loquuntur: id est, adiunctis cæteris uirtutibus, quæ professioni congruunt. Atq; ita intelligunt fidē esse noticiā historię, & re ipsa sentiunt, hominē non esse instū fide, sed uirtutibus cæteris. Quod autē hęc synecdoche pugnet cū ipso Paulo, perspicuē ostendi potest. Ideo enim Paulus toties repetit particulam Gratis, ut ostendat nos non consequi reconciliationem propter nostras uirtutes, sed propter mediatorem. Et ideo dicit, Fide, ut iubeat intueri illum mediatore, ac statuere, quod propter ipsum, non propter nostras uirtutes simus filij Dei. Hęc manifeste pugnant cum synecdoche aduersariorum.

Fide nos seruari, an per synecdochen capiendum.

Deinde synecdoche illorū cōcedit perpetuā dubitationē: places, si satis habes meritōrū. Pugnāt autē & hęc dubitatio manifeste cū doctrina Pauli, iuxta illud, Iustificati fide pacē habemus. Dubitatio autem affert desperationem, & odium Dei.

Hęc præfati sumus cæteris testimonijs, quod in eis expresse contineatur particula exclusiua refutans synecdochen, item mentio fidei pugnantis cū dubitatione. Nec nos interpretationem aliquam

Paulo affingimus, sed retinemus proprietatem sermonis, seu τὸ πρῶτον, non calumniose aut superstitiose, sed collata perpetua disputatione, collatis omnibus epistolis Pauli, collatis etiam dictis prophetis: denique uerae ecclesiae iudicio collato, quae intelligit doctrinam de remissione peccatorum, & de exercitijs fidei.

Fatentur aduersarij, se à uerbis discedere, quia dicunt Fide, scilicet formata, hoc est, non fide, sed ceteris uirtutibus: et iactant se tueri *ἀλάστορα*. Sed cum eorum interpretatio haud dubie pugnet cum ipso Paulo, necessario taxanda et repudianda est. Cum

Sophistica a doctrina de Deo maxime remouenda.

ab omni uita, tum maxime à doctrina de Deo, remouenda est omnis sophistica. Ideo bona fide retineamus ea quae tradidit Deus per prophetas & apostolos, eaq; dextre & proprie explicemus.

Quid aut planius ac simplicius dici potest hac uoce? Etiam si existere in nobis poenitentiam oportet, tamen statuendum esse, quod non propter nostras uirtutes, sed propter filium Dei mediatorē recipiamur & placeamus Deo? Quid haec uox habet absurdi? Postulat ut adsint uirtutes, & tamen causam reconciliationis transfert in Christum: tribuit Christo debitum honorē, & monstrat pijs firmam consolationem. Econtra aduersariorum in-

A aduersariorum interpretatio inis duo absurda.

terpretatio multos continet manifestos errores. Duo absurda complectitur. Iubet homines perpetuo dubitare de remissione, & interim ait mereri homines

homines remissionem propria dignitate. Ita detrahitur Christo debitus honos, & conscientiae relinquuntur in dubitatione, quæ planè est ethnica.

Non enim interest inter Paulum & Atticum, si uterque pariter dubitat se à Deo respici & exaudiri. et qui de toties dicunt aduersarij, dubitationem illam non esse peccatum. Præterea renatos dicunt iustos esse propria dignitate, nec peccatum esse caliginem illam interiorem, dubitationes de providentia, & de reconciliatione, & contumaciâ cordis, quod leuiter timet, non ardentè amat Deum ut debebat, & habet alios multos errantes motus, ac uitiosos affectus. Hæc extenuant: & quidem dicere audent, hæc mala non pugnare cû lege Dei.

Cû igitur synecdoche illa manifestos errores cõtineat, ommissa aduersariorû interpretatione, redeamus ad Paulû, ac τὸ πρῶτον dextrè teneamus. . discamus ab ipso Paulo doctrinam de remissione peccatorû, & de fide, non inuehamus humanas opiniones de nostro. Deprehendemus autem in ipsis Pauli argumentis refutationem illius synecdoches.

Rom. 4. Recitat Paulus argumentum, quod in hac causa præcipuum est, & ex ipsis fontibus sumitur. Si promissio reconciliationis penderet ex conditione legis, tanquam ex causa, fieret incertâ: Sed oportet hanc promissionem conscientijs nostris certam esse: igitur necesse est gratis promittere remissionem peccatorum & reconciliationem, ac

fide accipi, non propter dignitatem nostram.

Maiorem probat Paulus, quia lex iram efficit: id est, cum nemo legi satisfaciat, lex accusat omnes. quare necesse esset conscientias semper dubitare, ac in desperationem ruere, si sentiendū esset, ita demū nos recipi, postquam legi satisfecerimus. Quanquam autem securæ & ociosæ mentes non mouentur hoc argumento, tamen in ueris terroribus agnoscimus nos reos esse: necesse est igitur teneri hanc sententiam de gratuita reconciliatione, sicut Paulus inquit, Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio. Vrget particulam gratis, ut illā ipsam synecdochen refutet. Habes remissionē gratis, non propter impletionem legis, ut dicit synecdoche. Imò dilectio Dei exoriri non potest, nisi prius fide status, iram Dei placatam esse, ut Rom. 5. dicitur, Fide per Christum habemus accessum ad Deum. Res ostendit, in hoc argumento synecdochen illam refutari.

Observabis autē & hoc, quod idē locus docet, si de significari nō tantū historię noticiā, qualis est in diabolis, sed assensum, quo promissioni credimus: seu fiduciā misericordiæ, quæ in promissione offertur. Iubet enim fide accipi promissionē: iubet ut status, Deū uere uelle tibi ignoscere, te recipere, ac postulare ut hoc credas, & hac fide ipsum inuoces. Talis fides non est tantū historię noticiā, aut preceptorū, quæ potius ingentes terrores incutit

Fide non historie tantū noticiam significari.

cutit animis, ut recte dicit Iacobus de ea noticia: Demones credunt, & contremiscunt, norunt filiū Dei, sed non amplectuntur promissionē. Ideo horribili metu iudicij impendentis cruciantur.

Ephes. 2. Gratis saluati estis per fidē, idq; non ex uobis: Dei donū est, non ex operibus, ne quis gloriatur. Diserte excludit nostrā dignitatē, & affirmat fide recōciliatos esse. Non igitur concedendū est, ut sententia deprauetur per illā synecdochen: sed sentire apostolum, quod dicit, statuamus, fide propter Christum nos in gratiam receptos esse.

Dignitatē nostrā excludi.

Gal. 2. Scientes, quod non iustificetur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi. & nos in Christum Iesum credidimus, ut iustificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis.

Porrō alij alijs cauillationibus eludunt hęc dicta. Quidam aiunt, tantū excludi ceremonias Moisaicas, alij fatentur, detrahi iustificationem operibus non renatorum. Sed hęc cauillationes à sanis, pijs, & amantibus ueritatem facile refutari possunt. Fateri enim sanos necesse est, nec ceremonias, nec moralia opera præcedentia, uel sequentia regenerationem, mereri remissionem peccatorum.

Cauillationes quorundam.

Postremò cum congeruntur dicta de fide piirma, iustificati fide pacem habemus: item, Corde creditur ad iustitiā, &c. hęc & similia aduersarij omnia contendūt improprie et incircūspecte dici, & assingunt ex humano iudicio interpretationē.

Nos uero collatis omnibus mēbris Paulinæ disputationis, et testimonijs prophetarū, iudicamus Paulum sensisse quod dicit, Fide homines iustos reputari: hoc est, propter Christū mediatorē accipere remissionem peccatorū, & reconciliationem fiducia misericordiae propter ipsum promissae, nō propter nostram dignitatem. Deinde ut haec sint planiora, docemus etiam, cum hoc modo corda sustentantur uoce Euangelij, & fide eriguntur, concipere ea spiritum sanctum, sicut Paulus inquit Gal. 3. Ut promissionē spiritus accipiamus per fidē. Non igitur de aliqua ociosa noticia loquimur: & errāt imperiti, qui existimant remissionem peccatorum cōtingere ociosis, sine aliquo animi motu, sine certamine, sine fiducia consolante animum.

Cum autem spiritus sanctus in illa consolatione novos motus & nouam uitam afferat, dicitur haec conuersio, regeneratio. Ioan. 3. Et sequi nouam obedientiam necesse est, ut postea dicam.

Regeneratio quid.

Et cum conscientia quærit remissionem peccatorū, seponantur quæstiones de prædestinatione. Nā ut prædicatio poenitentiae ad omnes pertinet: ita promissio gratiae est utilis, & omnibus offert reconciliationem. Ac prodest hoc loco habere in cōspectu aliquas uniuersales sentētias, ut nos uere in illas includamus, sciamus uere nobis quoq; Deū uelle ignoscere, nos exaudire & recipere.

Matth. 22. Venite ad me omnes qui laboratis.

Ioan.

Ioan. 3. Vt omnis qui credit in eū, non pereat. Sententiæ ali

Act. 10. Huic omnes prophete testimoniū perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum. quot uniuersales tenēdæ.

Act. 13. In hoc omnis qui credit, iustificatur.

Ro. 3. Iustitia autē Dei per fidē Iesu Christi in omnes, et super omnes. Hic repetita est particula uniuersalis, ut sciamus eam scribētī nō excidisse casu. Omnis, particula.

Rom. 10. Omnis qui credit in illum, non confundetur. Non est enim discrimen Iudæi & Græci, nam idem Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant eum. Omnis enim qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit.

Conclusit Deus omnes sub inobedientia, ut omnium misereatur. Sic intelligatur & dictum, Deus uult omnes homines saluos fieri. Nec uero de uoluntate Dei secus iudicandū est, quam docet Euangelium: quod ideo ex sinu æterni patris prolatum est, ut certo nobis uoluntas Dei patefieret. Euangelium cur e limi patris prolatū.

Deinde diligentissime consideremus, hoc uniuersale mandatū Dei esse, ut omnes audiant filiū, iuxta illud, H V N C A V D I T E. et credāt promissionibus Dei. Hæc si quis expendet, intelliget salutare doctrinam et consolationē pijs proponi.

De libero arbitrio aliàs dictū est. Cum in conuersione exordindū sit à uerbo Dei, certe id audiendum est: & cum uerbo Dei efficax est spiritus sanctus, erigens & adiuuans corda, cū fide nos susten-

tamus. Nec ociosi indulgeamus diffidētiæ, aut alijs
uitijs contra conscientiam: nec conturbemus spiri-
tum sanctū, sed assentiamur uerbo Dei, et obsequa-
mur spiritui sancto. In hac lucta sentiemus uolun-
tatē repugnantē diffidētiæ et alijs uitijs, non esse
ociosam. Hoc ipsum monet Paulus inquit 2. Cor.
6. Adhortamur, ne frustra gratiam Dei accipiatis.
Vult audiri Euangeliū, uult nos assentiri & obse-
qui, non indulgere contra conscientiam impietati.
Præterea Luc. 11. dicitur, Dabit spiritū sanctum
petentibus, non inquit aspernantibus, conturban-
tibus, et repugnantibus. Vult igitur, luctari nos cū
infirmate nostra, uult nos agnoscere peccata, &
querere liberationem, non retinere ea contra con-
scientiam, non igitur est ociosa uoluntas.

Exposui doctrinā Euangelij de remissione pec-
catorū, et de reconciliatione, seu iustificatione, ue-
re, & quanta potui proprietate. Nec dubito hanc
ipsam esse sententiā eruditorū patrū, etiamsi qui
interdū in cōmode loquūtur. Nihil intricati, nihil
perplexi, nullæ insidiæ, nulla sophistica est in hac
sentētia, quā recensui, aut in explicatione nostra.
Quid enim simplicius dici potest, quā consequi
hominē remissionem & reconciliationē propter
Christū mediatorē fide, id est fiducia promissæ mi-
sericordiæ, propter ipsum, & non propter uirtu-
tes humanas? Hæc sententia facile intelligi & iudi-
cari potest ab omnibus pijs mentibus, in ueris exer-
citijs

Patrum erudi-
tiorum sen-
tentia.

citijꝝ pœnitentiæ, & in quotidiana inuocatione. quæ profectò fieri non potest, nisi fides intueatur mediatorẽ, propter quẽ exaudimur. Ideoq; ad ecclesiæ iudiciũ prouoco, hoc est ad pios, eruditos, et intelligẽtes exercitia pœnitentiæ et inuocationis.

DE BONIS OPERIBVS.

Postquam exposita est doctrina de reconciliatione & de fide, necesse est addi doctrinã de bonis operibus, seu de noua obedientia. Planẽ igitur & clarẽ dico, Obedientia nostra, hoc est iustitia bonæ conscientiæ, seu operũ, quæ Deus nobis præcepit, necessariò sequi recõciliationem debet. Christus enim clare præcipit de pœnitentiã: & Paulus inquit, Debitor es sumus ne secundum carnem uiuamus. 1. Cor. 6. Ne errate, fornicatores, adulteri, idololatræ, fures, &c. non possidebũt regnum Dei. 1. Ioan. 3. Nemo seducat uos, Qui facit iustitiam, iustus est: qui facit peccatum, ex diabolo est. Ad hoc apparuit filius Dei, ut destruat opera diaboli. Regeneramur igitur in reconciliatione, ut noua obedientia in nobis inchoetur.

Operũ iustitiam necessariò reconciliationem sequã.

Sicut & ad Ephesios scriptum est. Ipsius opus sumus, conditi per Christũ Iesum ad opera bona, quæ præparauit Deus, ut in eis ambulemus. Continet enim hæc sententia et doctrinam necessariam, & consolationem. Primũ enim de necessitate conuersionatur, cum ait, Nos iterum conditos esse ad bona opera: deinde cõsolatio est, quod inquit, Deum præparare

præparare in ecclesia bona opera, ut in Samuele, Dauidе, Esaia, Ieremia, & similibus admirabilia opera præparauit, per quæ & uocat, & regit, & conseruat ecclesiam. & ut alibi dicitur, Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis: ita hic Paulus ait, Præparari à Deo bona opera, id est, non solū mandari, ordinari, & inchoari, sed etiā adiuuari, & stabiliri. Etsi luctatur ecclesia cū magnis difficultatibus, ut ostendunt Ieremiæ, Pauli, & similiū afflictiones: tamen res magnas gerit, & salutes alijs, etiamsi mundus magna ex parte eas non intel-
ligit. Sed nos intelligere uocationē nostram debemus, ut opera præparata à Deo faciamus. Sunt autē

Questiones
de bonis
operibus.

de bonis operib. hæc quinque præcipue quæstiones:

1. Quæ opera sint facienda.
2. Quomodo fieri possint.
3. Quomodo placeant.
4. Cur facienda sint.
5. Quod sit discriminē peccatorū, cum necesse sit fateri, quod in hac uita maneāt peccata in sanctis.

DE PRIMA QVAESTIONE.

Quæ opera sunt facienda?

Opera facien-
da quæ.
Interiora
opera.

Ea quæ nobis præcepta sunt in uerbo Dei, & summa comprehensa est in Decalogo. De quo sciendum est, non tantum externa opera Decalogi faciendâ esse, quæ etiam ab impijs utcunque simulari possunt, sed inchoandam esse interiorem obedientiam. Sunt autem opera interiora, quæ ad pri-

num præceptum pertinent, Credere uerbo Dei, timere Deum, confidere Deo. Timor conspicitur in contritione, fides magis conspicitur cum erigit perterrefactos. Sed hæ uirtutes in tota uita durare & exerceri debent. Et fides, quæ statuit iam nos à Deo receptos esse, quia agnoscit bonitatem Dei erga nos, parit dilectionē Dei, qua subiicimus nos uoluntati Dei. Deinde sequuntur cætera bona opera, iuxta omnia præcepta.

Aduersarij uideri uolunt doctrinam operum præclare tradere, cum plerunque tantum de externa hypocrisis dicant, aut de humanis ceremonijs: opera uero primæ tabulæ, & fontem bonorum operum ignorant, et obruunt. Nihil dicunt de fide, quæ est fiducia misericordiæ & gratuitæ reconciliationis, necessaria in omni inuocatione. Sublata autē hac fide, uincit dubitatio, quæ aut contemnit Deum, aut fugit iratum, & non uere inuocat. Porro hanc dubitationem hypocritæ & approbant, & confirmant: negant fidem intelligendam esse fiduciam misericordiæ Dei, sed tantum significare noticiam, qualis est in diabolis.

Aduersariorū
traditio de
operibus.

Profecto dolendū est, ita deprauari doctrinam prophetarum & apostolorum: ac potius acerbissimi cruciatus perferendi sunt, quàm concedendū in his dictis, fidem non significare fiduciam misericordiæ. Credidit Abraham Deo, &c. item, Iustificati fide pacem habemus. item, Per Christum habemus

bemus accessum fide. item, Nūc autem uiuo in fide filij Dei. Non sinamus eludi & deprauari hęc dicta, sed certo sciamus ea concionari nobis de fiducia misericordiae: & in omni inuocatione discamus, ad Deum accedendum esse fiducia filij ipsius, nec recipi nos propter nostram dignitatem.

Fides præcipuum opus bonum.

Est igitur præcipuum opus bonum, hęc ipsa fides, seu fiducia misericordiae, exercenda in omnibus uitæ periculis, & in omni inuocatione. David dimicaturus, credit se Deo placere propter promissionem: & quia scit se uocatum esse ad hanc obedientiam, in sua functione obtemperat, petit & expectat à Deo gubernationem periculorum. Hic interior cultus discernit ueram ecclesiam Dei à reliqua multitudine. Viuit honeste Cicero, bene meretur de toto genere humano in gubernatione reipublicæ, imò intelligit etiam Deū esse unam quantam aeternam mentē, causam boni, ut definiuit Plato: & simulacra illa quæ uulgus colebat, nihil habere numinis. sed tamen postea de providentia obruitur mens Ciceronis dubitatione, quia ignorat promissiones Dei, dubitat se & alios exaudiri, ac iuari ab eo, præsertim in calamitatibus, in quibus etiam irascitur Deo deserenti. Talis est & Saul.

Fidelis confessor summus.

Interest igitur inter Ciceronē & Ieremiam. Ieremias seruit suæ reipublicæ, sed huic operi præluccet fides. Statuit Ieremias se Deo placere & exaudiri, ac seruari à Deo, etiamsi uidet se ingenti mole calamitatis.

le calamitatū obrui, deleri patriā, ciues dissipari, multos manifesto beneficio diuino seruatos deficere à Deo, grassari inter se mutuis cædibus, postremo et sese mactari. Talia spectacula Ciceroni obiecta, prorsus merferunt eū in tenebras, et infinitā dubitationē. Nec potest humana mens sine fide aliud cogitare, quàm quod apud Lucanum dicitur:

An ne nihil positū est, sed fors incerta uagatur,

Fertq; referiq; uices, et habent mortalia casum?

Sed tales dubitationes uicit Ieremias, & ingentē constantia sensit se Deo placere, & hac fide petijt & expectauit bonos euentus suæ gubernationis, qui post annos 70. secuti sunt.

De hoc interiore cultu præcipit Christus, inquit Cultus interior, uerus.

Veri adoratores adorabunt patrē in spiritu et ueritate: id est, spiritualibus & ueris motibus, timore, pœnitentia, fide & inuocatione, & similib.

Et hunc cultū uocat Paulus rationale, Rationalis.

λογικόν, uidelicet in quo mens intelligit Deum, agnoscit irā

Dei, & rursus fide se sustentat. & quidem fides

intuetur filiū Dei, & agnoscit nos propter Christum

mediatorem recipi à Deo. De hoc cultu interiore et

Esaias concionatur, taxans hypocritas, qui putabant

cultum esse externam disciplinam et ceremonias tēpli.

Sic igitur inquit: Hæc dicit Dominus, Ad quem respiciam?

ad afflictum & contritum spiritum, & timentem sermones meos. Ita &

Psalms 49. taxat superstitionem externorum cultuum.

cultuū, & flagitat interiores cultus, & ueram inuocationem: Inuoca me in die tribulationis, &c.

Hæc satis sit breuiter monuisse de prima quæstione, et de interiore cultu. Iam cū tāta sit infirmitas humanæ mētis, tāta dubitatio, cū hæc infirma natura hominū onerata sit ingēti mole calamitatum, queri mox solet, quomodo possimus præstare ueros cultus.

DE II. QVAESTIONE.

Quomodo possint fieri bona opera.

Non indulgendū est ignauia humanæ, sed sepe dixi externos mores humana diligentia & humanis uiribus utcumq; regi posse, & Deum postulare hanc diligentia, ut scriptū est, Lex est iniustis posita. Itē, Ne contristetis spiritū sanctū. Sed interior

Obedientia interior quomodo inchoanda. Obediētia, nō potest inchoari sine agnitione Euangelij, & sine spiritu sancto. Primum enim dilectio Dei existere nō potest, nisi prius audita uoce Euangelij de remissione. Mens ignara reconciliationis aut contemnit Deū, aut fugit iratū. Ideo nō potest inchoari dilectio, nisi prius audita uoce Euangelij de recōciliatione. Hæc manifestissima sunt. Vt igitur dilectio oriatur, necesse est præcedere fident, hoc est, fiduciam misericordie, de qua diximus.

Iam & hoc sciendū est, cum fide eriguntur perterresactæ mentes, simul datur spiritus sanctus, qui excitat novos motus in corde, congruentes legi Dei. & sic dari spiritū sanctū, clare docet Paulus Gal.

Gal. 3. Ut promissionē spiritus accipiamus per fidem. & hanc ipsam donationē, & præcipuos effectus spiritus sancti, dulcissimis uerbis describit Zacharias cap. 2. cum ait, Effundam super domū Dauid spiritū gratiæ, et præcū. Vocat spiritū gratiæ, eo quod testificatur in cordibus nostris, quod Deus sit nobis propicius, cū uidelicet mouet corda, ut promissioni assentiamur, & statuamus nos à Deo recipi. Deinde cū agnouimus misericordiam Dei, inuocamus, diligimus, & subiicimus nos ei. Nominat igitur postea spiritum præcium. Complexus est igitur præcipuos cultus, qui sunt fontes uniuersæ obedientiæ, fidem & inuocationem.

Spiritus gratiæ & præcū

Cultus præcipui, fides & inuocatio.

Sumamus autem ex hoc dicto & doctrinam, & adhortationē. Meminerimus in hoc ipso dicto nobis præcipi, ut hos cultus præstemus, ut credamus Deo, & inuocemus eum. Excutitur ergo et contristatur spiritus sanctus, extincta fide, & conturbata inuocatione per lapsus malæ conscientiæ.

Post lapsum humani generis secuta est ingens infirmitas, & accedūt insidiæ diaboli, qui odio Dei grassatur in genus humanū, studet augere aduersus Deum contumaciā, contumelias, blasphemias, impellit ad uaria peccata imbecillem hominum naturam, incitat praua ingenia ad fingēdas opiniones contra uerbum Dei, dissipat ecclesiam & regnā, & miscet orbem terrarum iniustus bellis: pellit ecclesiam ex hospitij suis, ut eam dissipet ac deleat.

Diaboli insidiæ.

Ita primum incendit Cain liuore & odio fratris: eaq; cædes non solum ipsum Habel, sed etiam parentes luctu interfecisset, nisi diuinitus sustentati fuissent. Hæc exempla tristissimorum casuum in to-
 to genere humano quotidiana sunt. Quam miserabiles exitus fuerunt summorum uirorum, Saul, Ionathæ, Hectoris, Priami, Achillis, Aiæcis, Pompeij, Cæsaris, & innumerabilium aliorum. Deniq; notæ sunt querelæ de inconstantia fortunæ, de subitis ruinis florentis fortunæ. Nescis quid serus uesper uehat: Et subito casu, quæ ualuere, ruunt.

Miserabiles
 summorum uirorum
 exitus,

Diaboli aduersus ecclesi-
 tiæ grassatio.

Mahometicus & Turca-
 rum furor.

Quamquã igitur uniuersum genus humanum in perpetuis periculis uersatur, tamẽ ecclesia multo durius concutitur, quia diabolus uehementius eam oppugnat: sicut statim in Genesi dictũ est, Serpens mordebit calcaneũ eius. Sicut uenenato morsu non exiguũ uulnus inflixit Dauidi, ita singulis insidiatur tanquam leo rugiens, uagabundus, & querens quem deuoret. Quanta seuitia grassatus est in ecclesiam, postquam Mahometicus furor creuit annos iam nongentos, quæ ruinæ ecclesiarum secutæ sunt? quæ iam est regnorum species in tantis regũ dissensionibus? quid aliud cogitari potest, quam breui Turcas reliqua Europa potituros esse?

Quum igitur res ostendat grassari diabolũ, & insidiari nobis, & manifesta sit infirmitas humanæ naturæ, opponamus auxilium nobis ostensum in Euangelio: Quod nam?

I. Polli-

I. Pollicetur filius Dei seipsum nobis affuturum esse, & depulsurū diaboli seuitiā. Ideo inquit Ioannes: Ad hoc apparuit filius Dei, ut destruat opera diaboli, peccatū, mortē, blasphemias, dissipationes, quas molitur diabolus. Sic seruati sunt Adā et Heua in luctu, intuentes in promissionē, fide se sustentarunt, & petiuerunt a Deo aliam sobolē, per quam propagaretur uera doctrina, &c. Et protegit eos filius Dei aduersus diabolu, & spiritu sancto erexit mœstas mentes. Sic Iacob inquit de filio Dei: Angelus qui me eripuit ex cūctis malis, benedicat pueris istis. Nā hæc propria sunt filij Dei officia, benedicere, et liberare a cunctis malis, ab ira Dei, a morte æterna, et poenis alijs iram Dei comitantib. Et apud Esaiā uocatur Christus Emanuel, id est nobiscū Deus, quod nobis adsit opitulator. Excubat igitur pro nobis, & depellit diabolum.

Diaboli insul
tib. quibus au
xilium occurr
rendum,

Filius Dei pro
pria officia
quæ.

Emanuel

Præterea effundit spiritū sanctū in corda inuocantium. Ideo dicitur Ioannis 14. Non relinquam uos orphanos, si quid petetis in nomine meo faciam. & ego rogabo patrē, & alium paracletū dabit nobis, spiritū ueritatis, etc. Hæc auxilia reuera experiemur, si aduersabimur prauis affectibus, & insidijs diaboli. & in his certaminibus inuocabimus Deum, fiducia filij mediatoris. sicut ipse nomen inquit: Si quid petetis in nomine meo.

Oportet enim discrimē esse inter inuocationem ueram, seu populi Dei: & inuocationem Iudaicam,

In omni inuocacione duo statuenda per fidem.

cam, seu Turcicã. Duo in omni inuocatione fides initio statuatur: quod hunc æternum Deum esse credas & inuoces, qui est pater Domini nostri Iesu Christi, pro nobis crucifixi & resuscitati: deinde quod propter hunc mediatorẽ uere audiantur et recipiantur tuæ preces. Hæc diligẽter obseruetur: nam hæc inuocatio præcipue facit discriminẽ inter ecclesiam & gentes, pugnantem cum Euangelio.

Hæc doctrina de secũda quæstione semper sit in cõspectu, sciamus uere nobis esse adiutorẽ & defensorem filiũ Dei: sicut et Paulus inquit, affuisse eum populo in deserto. Et sciamus uere dari spiritũ sanctũ inuocantibus: sicut scriptũ est, Ascendit, dedit dona hominibus. Sic regnat, uis dona sua, iustitiã, uitam, consiliũ, gubernationẽ, successus, & alia bona impertiat. Et ut sic de auxilio Dei sentiamus, confirmemus nos testimonijs Euangelij, & discutiamus tenebras humanæ mētis, quæ fingit Deum ociosum esse, nõ curare singulos: ut Homer. fingit, Iouem quæsitiũ in cœlo, abiisse ad conuiuũ in Aethiopiã. Hæc deliramẽta significant, quales sint humanæ cogitationes de Deo, quas ideo recensui, ut extirpentur, & accendatur uera agnitio Dei, uere agnoscamus iram Dei, & misericordiam.

Humanæ mētis de Deo cogitatio.

DE III. QVAESTIONE.

Quomodo placent Deo bona opera.

Constat pijs mentes angere, & optare ut placeat obedientia Deo. Sed in tanta infirmitate nostra uident

dent esse mutilā, impeditā, imperfectā, contaminatam. Sicut Paulus inquit, Nō quod uolo bonū hoc facio. Quærunť igitur quomodo placeant Deo.

Aliter autē iudicant hypocritæ, aliter anxie & pauidæ mentes. Hypocritæ putant se legi satisfactos, se iustos, id est acceptos Deo esse propter propriam dignitatē, seu legis impletionē: ut pharisæus Lucæ 18. Ac semper aliqui tales sunt, qui admirantur suas uirtutes, sibi sapientiā & iustitiā prolixè tribuunt, præsertim in rebus secundis & florentibus, quas consilio suo regere se existimant, & arbitrantur se uirtutū & diligentie suæ fructū capere diuinitus, cū sunt res tranquillæ. Ideo et propter sapientiā ac iustitiam se cæteris anteferunt, ut Nabugdonosor magnis rebus gestis, inquit: Hæc est illa Babylon, hoc est regnū mea uirtute constitutum. Sic & Saul cogitabat sua uirtute regnum Israël constitutū esse: cū agnoscere deberet, et hanc uirtutē & successus Dei beneficia fuisse, & se non potuisse res tantas gubernare aut gerere: ac Deo in timore seruiendū esse, ne ab eo desereretur. Sed factus confidentior propter successus, sumit sibi licentiā grassandi in cæteros, interficit sacerdotes, &c. Hæc imago hypocritarum proponitur. nec pauci sunt tales, securi, placentes sibi propter suas dotes, applaudentes propriæ sapientiæ, extenuantes doctrinam diuinam, & ex sublimi deridentes Euangelium, arte, fraude, ui prementes eam partē

Hypocritarū
phylautia.

cui sunt infesti: prætexentes etiam honestos titulos, quia iactitant dimicare se de gloria Dei, de ueritate, se esse constantes ecclesie ciues, se esse membra populi Dei, quia propugnent ordinariam potestatem, longi temporis consensum. Tales erant pontifices, qui aduersabantur apostolis: tales uidimus

Vuicelius. & ipsi multos his annis, Vuicelium, & similes.

Pauidarum Sed alij sunt pauidi, qui agnoscunt imbecillitatem, mentium cuiusmodi de se iudicium. & luctantur cum desperatione. ut Petrus consternatus inquit, Luca 5. Egredere à me Domine. Vtrūque igitur hoc loco agendum est, arrogantia taxanda, & pauidis uera consolatio monstranda est.

Primum uero hoc constituendum est, & si in renatis necesse est esse inchoatam obedientiam, & iustitiam bonæ conscientie, tamen adhuc manent in eis peccata, scilicet morbi nobiscum nascentes, dubitationes & ignorantie multe. item, quod non tantum timent Deum, quantum debemus: nec ita ardent dilectione Dei, ut lex præcipit. Multa item sunt actualia, multe flammæ illicitæ amoris, odij, cupiditatis, uindictæ, inuidentiæ, emulationū, auaritiæ, multi lapsus in uocatione, insignes negligentie, acres indignationes aduersus Deum in afflictionibus: sæpe humana præsidia, honesta specie queruntur, sed tamen ex diffidentia Dei. sæpe suscipiuntur res non necessariae extra uocationem, fiducia propriæ sapientiæ aut potentiæ: ut Iosias bellum non necessariū aduersus Aegyptios mouit.

Deniq;

Deniq; moles peccati hærens etiam in renatis, longe maior est quàm ut comprehendi cogitatione ullius hominis possit. Nec putemus leue dictum esse, Delicta quis intelligit. Longum autem esset enumerare species peccatorum, quæ manent in sanctis. Sed Paulus in summa complexus est, Rom. 7. cum de interiore contumacia aduersus omnia præcepta loquitur. Sed superbi hypocritæ hæc arcana peccata non intelligunt: imò monachi docent, dubitationes illas de prouidentia, de ira Dei, de misericordia, et affectus uitiosos, nisi accedat consensus, non esse peccata: nec tantum de uoce disputant, sed de re, negant hæc uitia esse res pugnantes cum lege Dei. Hæc extenuatio falsa est, et contumeliosa contra legem Dei, et tenebras inducit doctrine de gratia et de iustitia fidei: et confirmat persuasionem falsam, quod renati satisfaciant legi Dei.

Monachos temere sanctorum peccata excusare.

Vt igitur arrogantiæ taxetur, colligam testimonia, quæ ostendunt renatos in hac uita non satisfacere legi Dei, et manere in hac natura mortali peccatum.

Psal. 143. Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuus.

1. Ioan. 1. Si dicimus quod peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et ueritas non est in nobis.

Psal. 18. Delicta quis intelligit? ab occultis meis mundame, et ab alienis parce seruo tuo. Rom. 7. Video aliam legem in membris meis, quæ repugnat legi mentis meæ, et captiuum me facit

Contra arrogantiam testimonia, quod etiam renati non satisfaciant legi Dei.

legi peccati, quæ est in membris meis. Et si autem Sophistæ eludunt hunc locum, & dicunt metalepsin esse in uocabulo peccati, ac significari poenâ peccati, pronitatem ortam ex lapsu primorum parentum: tamē Paulus ipse refutat hanc elusionem, cum definit hoc ipsum peccatum, & dicit esse malum in membris nostris pugnans cum lege Dei.

Naturæ deprauatio an peccatum.

Porrò de hoc ipso articulo differimus, an uitium reliquum in natura sit res pugnans cum lege Dei. Humana iudicia extenuant hanc deprauationem, sed Paulus illustribus uerbis usus est, ad significandam atrocitatem rei. Militat, inquit, in membris illa deprauatio, & grassatur hostili more aduersus legem mentis, confirmat uel securitatem carnalē, uel iniustam dissidentiam. Inflat animum admiratione suarum uirtutum, & arrogantia. Incendit libidines, odia, cupiditatem uindictæ incitat ad querenda inconcessa præsidia, denique captiuum rapit, quia dissidentes animos concutit terroribus, et sollicitat ad desperationem, ad fugiendū Deum. Hæc non sunt leuia mala, ut humana philosophia existimat, sed durissime excruciant sanctos: ut Moses ad petram languesfactus & consternatus est, subita trepidatione & dubitatione. Lapsus est & Dauid, cum numerari populum iuberet: uel humana superbia elatus, ut ostenderet regnum creuisse: uel humano consilio sine mandato Dei, nouam in regno ordinationem factururus.

Matth.

Matth. 6. docet sanctos orare, Remitte nobis debita nostra. Ad sunt igitur peccata in hac tota uita, quorū petenda est cōdonatio. Idē docet cū ait: Cum feceritis omnia, dicite, serui inutiles sumus.

1. Corinth. 4. Nihil mihi conscius sum, sed in hoc nō iustificatus sum. Docet, opus esse iustitia bonæ conscientia. sed tamen inquit, Hec nondū est res propter quam certum sit me habere remissionem peccatorum, & me Deo reconciliatum esse, sed recipit me Deus propter filium mediatorem fide.

Psal. 130. Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Hac uoce agnoscit peccatum adesse, & non extenuat: sed agnoscit tantam esse magnitudinē iræ Dei, ut sustineri non posset, nisi Deus eam mitigaret sua immēsa misericordia propter filiū. Nam humana natura non potest sustinere iram Dei, & iustas pœnas. sicut & Ezechias fatetur, Sicut leo contriuit omnia ossa mea. Et Iob 9. Deus cuius iræ nemo resistere potest.

Quamquam igitur adsunt peccata, & pij aliquo modo agnoscūt iram, tamē credūt se placere Deo propter promissam misericordiā, et hac se cōsolatione sustētant. sicut idē Psalm. dicit, Sustinuit anima mea in uerbo eius, sperauit anima mea in Domino, Quoniam apud Dominū misericordia est.

Piorum cōsolatio.

Psal. 32. Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietate peccati mei: Pro hoc orabit ad te omnis sanctus. Clare

r s dicit,

dicit, sanctos petere remissionem peccatorum.

Exod. 34. Coram te innocens non est innocens: id est, etiamsi quis humano iudicio argui non potest, tamen tu potes eum accusare. Daniel 9. Tibi Domine iustitia, nobis autem confusio. id est, agnoscimus te iustum esse, ac nos iuste puniri: tua est autem, Domine Deus noster, misericordia. Precamur ergo non propter iustitiam nostram, sed propter miserationes tuas multas, exaudi nos propter Dominum, id est promissum mediatorem. Hic locus illustre testimonium est consensus prophetici & apostolici. Prorsus idem docet Daniel, quod Paulus tam copiose disputat: Statuendum esse, quod natura hominum sit vitiosa, & non satisfaciat legi, sed quod uere recipiamur à Deo per misericordiam, propter promissum Dominum. Nam & Daniel nominatim addit, propter Dominum. Talia testimonia conferamus ad Paulum, ut uideamus unam & perpetuam esse sententiam Catholice ecclesie Dei, patrum, prophetarum, Christi, apostolorum. & hunc consensum amplectamur, nec ab eo discedamus, etiamsi qua turba recentium monachorum diuersum tradidit, quæ male dilutam philosophiam miscuit doctrine Euangelij.

1. Cor. 1. Qui gloriatur, in Domino gloriatur: id est, non possumus gloriari, quod simus sine peccato, sed gloriemur in Domino, uidelicet promittente misericordiam. Sicut & aliàs dicitur: Conclustit omnes

Consensus
prophetici
& apostolici
testimonium.

omnes sub peccatum, ut omnium misereatur. Item Rom. 3. Diximus omnes sub peccato esse. Et additur aliquanto post asseneratio, Ut os obturetur, & reus fiat totus mūdus Deo. Toties repetit uniuersalē, ut nihil dubiū sit accusare eum omnes. Agnoscamus igitur imbecillitatē nostrā, et fateamur etiam in renatis esse peccata, scilicet deprauationem naturæ, & uitiosos affectus plurimos: & expauescamus agnitione iræ Dei aduersus hæc mala, & doleamus in nobis adhuc esse tantū uitiorū contra uoluntatē Dei, ac crescat in nobis uera pœnitētia, & agnitio imbecillitatis excutiat arrogantiam, subiiciat nos Deo, hortetur ad timorē Dei, ad implorandam misericordiam, & petendum auxilium.

Postquam uero taxata est arrogantia, rursus etiam piæ mentes docendæ sunt de fide, ne ruant in desperationem. Hæ docendæ sunt, quomodo placeat inchoata obedientia. In hoc loco semper hæc tria coniungamus.

Desperationi
quomodo me
dendū in p̄o-
rū mensibus.

Primum statuat renatus, se reconciliatū esse Deo fide propter filium Dei: seu, ut sæpe dicitur, recipi personam propter filium Dei, fide, gratis.

Secundò, agnoscat in hac uita manere infirmitatem, & peccata in renatis, ac uere doleat, se adhuc habere caliginem, prauitatem, & uitiosos affectus contra legem Dei.

Tertiò, & tamen statuat oportere inchoari obedientiam & iustitiam bonæ conscientie: & hanc,
quanquam

quanquam procul abest à perfectione legis, tamen in reconciliatis placere Deo, propter filiū mediatorem, qui nostram inuocationem & nostros cultus perfert ad patrem, & condonat infirmitatem. Ita propter Christum primum reconciliatur persona, postea & opera recipiuntur, et fides in utroque luceat. Ideo Petrus inquit: Offerite hostias spirituales, acceptas Deo per Iesum Christum.

Hæc tria quotidie in nostris operibus cogitemus. Nec enim somnians est, Deo nō esse curæ
 Bona opera placere Deo, bona opera: imò & curat, & postulat obedientiā, & horribilibus pœnis, æternis & presentibus, puniunt contumaciam, quæ fit contra conscientiam. Necesse est igitur habere iustitiā bonæ conscientiæ, & scire quomodo Deo placeat. Nam labefactata seu dubitante conscientia, non potest Deus inuocari. Hæc diligenter inculcanda sunt animis. nam in his exercitijs lucet fides, & crescit agnitio ueræ Dei, & nouitas spiritualis.

Fidem dupliciter exerceri in operibus. Dupliciter autem fides exercetur in operibus: primū statuens, quod placeat obedientiā, ut ante dixi: deinde & auxiliū petens. ut David scit gubernationē esse rem impeditā & periculosam, sed credit Deo placere suam operā propter promissam misericordiam. deinde etiam auxiliū petit, & laborat in defensione populi, & regendis moribus ciuū quantum potest. Nec dubium est, pijs mentibus hanc admonitionē gratam esse: quæ cum studeant Deo obedire,

obedire, tamen agnoscunt naturæ caliginem, offensiones varias. & hæc ita deplorant, ut penè ruant in desperationē. Quid hic dulcius dici potest hac uoce Pauli? Nulla nunc condemnatio his qui in Christo Iesu ambulant. id est, & si renati non sunt sine peccato, tamē Deus eos recipit, et iustos pronunciauit propter filium, credentes: deinde recipit & obedientiam eorum, propter filium.

Consolationis
testimonia.

Sic et ad Colossenses dicit, In Christo consummati estis: id est, etiamsi renati nondum satisfaciunt legi, tamen sunt iusti, & placent Deo propter filiū. Hic agnoscamus & celebremus amplitudinem misericordiae Dei, quod uidelicet in reconciliatis hanc exiguam, imperfectam, sordidam, & multis affectibus uitiosis contaminatam obedientiam tamen recipit, non quidem propter dignitatem uirtutum nostrarum, sed propter filium Dei.

Rom. 6. Non estis sub lege, sed sub gratia. Ibi hoc ipsum quaeritur, An placeat obedientia, cū legi nō satisfaciatur? Respondet Paulus, placere, quia non sumus sub lege, id est non damnati lege: sed sub gratia, id est reconciliati, seu recepti in gratiam.

Rom. 8. Quis condemnabit? Christus pro nobis mortuus est, & resurrexit, qui est ad dextrā Dei, & pro nobis interpellat. id est, placent sancti propter interpellantē Christū. Rom. 3. Legem stabilimus per fidem. Breue dictum est, sed hoc ipsum docet, quod hic dicimus. Nec inchoari obedientia.

Placere sanctos Deo, sed propter Christum.

tia potest, nec placet, nisi fides accedat, quæ statuit placere personam et inchoatam obedientiam propter mediatorem. Ita inquit: Stabilimus legem, non tollimus obedientiam, sed postulamus, ac retinemus: ac ut retineatur, docemus quomodo præstari possit, & quomodo placeat.

Sanctorum opera placere Deo.

Postquam dictum est, quomodo placeat hæc obedientia, quæ experimur omnes procul abesse à perfectione legis: deinde addantur testimonia, quæ clare dicunt, Placere Deo sanctorum opera, siue inchoatam obedientiam. Et his dictis studium bene operandi accendamus, ac simul nos de immensa misericordia Dei admoneamus, qui non solum approbat, sed etiam ornat honore ac præmijs hanc sordidam obedientiam. Aspiciamus enim nos ipsi, & cogitemus quam rara sit excellens uirtus. simulacra sunt quedam uirtutum qualiacumque in hominibus tenuia & fugacia, quæ nequaquam satisfaciunt legi Dei, requirenti longe maiorem lucem & ordinem in natura hominis. & tamen hæc simulacra recipiuntur, ut dictum est, propter filium pro nobis assidue interpellantem. Ideo Rom. 10. dicitur: Corde credimus ad iustitiam, ore fit confessio ad salutem. Cum postulat confessionem, uult totam uitam esse confessionem. Quia uniuersa uita eò dirigenda est, ut celebret Deum, ostendat quid profiteamur, & ornet Euangelium, sicut dictum est, Luceat lux uestra. Ut princeps ostendat quid sentiat, inuocet Deum in periculis,

Vitam Christianorum totam esse confessionem debere.

culis: ostendat se ideo præstare obedientiã, ut Deo seruiat: aboleat impios cultus, ut extent signa confessionis. Sic sua cuiusq; uocatio habeat signa confessionis. Scholasticus ostendat suam sententiã, inuocet Deum in omni cursu uitæ plenæ periculis, refutet impias opiniones: & in regendis moribus ostendat se ideo præstare obedientiã, ut Deo seruiat, ut ornet Euangelium. Et quidem uita hominum ita consociata est, ut in conuersatione & communicatione officiorum luceat confessio.

Sed cur dicit, Confessio fit ad salutem? Breuis est responsio: Etiam si fide propter Christũ sumus iusti, id est accepti ad uitam æternã, tamen sequi necesse est hanc nouitatẽ. hanc uult adesse cũ ait, Fit confessio ad salutẽ. Ita inquit 2. Cor. 5. Superinduti desiderantes, si tamẽ induti, & non nudi reperiemur. id est, oportet in hac uita fieri conuersionẽ, quæ simul est inchoatio nouitatis. Hæc etiã in latrone conuersio inchoata est. agit enim pœnitentiam, agnoscit se iuste à Deo puniri. Deinde & fide agnoscit saluatorẽ, & petit ab eo salutẽ. Ideoq; audit claram absolutionem, & concionem de uita æterna, & promissionem. Præterea ut extet signũ confessionis, refutat maledicentem Christo.

Hoc memorabile exemplum, de multis magnis rebus nos admonet. significat Deo ecclesiã ita curare esse, ut excitet aliquos doctrinæ testes, tũc quoque cum à præcipuis gubernatoribus deseritur.

Aposolus

Confessionis
signa

Cur confessio
ad salutem
fieri dicat

Latronis in
cruce conuersi
exemplum

Apostoli consternati tacebant, & uix inter tantas
 procellas dubitationum aliquam fidei scintillā re-
 tinebant. Hic noua edit testimonia Deus, cōmone-
 facit homines inusitata eclipsi, terræ motu, et resur-
 rectione mortuorum, ne putent hoc supplicium
 uulgare esse, aut negligi à Deo: excitatur et latro,
 qui factus apostolus iam de cruce concionatur, &
 affirmat hūc esse Messiam, instauratorem uitæ æ-
 ternæ. Deinde priuatim docet nos hæc historia,
 uere esse hanc Euangelij sententiā, quod recipia-
 mur fide propter filium Dei, etiamsi uon adsera-
 mus merita. Docet item de natura fidei, quod uide-
 licet non tantū sit noticia historię, sed fiducia pe-
 tens uitam æternam à filio. Et hæc flamma cum ex-
 citata est, longe aliter iudicat quàm humana ratio.
 Non deterret latronem spectaculum corporum la-
 ceratorum et morientium, quo minus statuatur resta-
 re uitam, & confugientes ad hunc Dominum ha-
 bituros æternam salutem. Alios uero qui hunc Do-
 minum contemnunt, futuros in æternis pœnis: &
 quia fide iam sentit sibi Deum propiciū esse, sub-
 iicit se ei, & diligit eum. Agnoscit se non casu pu-
 niri: agit gratias Deo quòd uocatus sit ad agnitio-
 nem Dei & huius Domini. Vult obedire Deo in
 hac pœna toleranda, nec irascitur iudicio Dei: a-
 gnoscit humanū genus, non ut philosophi putant,
 propter materiā, aut casu obrui morte & alijs ca-
 lamitatibus, sed propter peccatū à Deo tanta mo-
 le aru-

le erumnarū puniri, ut agnoscamus iram Dei, & queramus salutē. Ideoq; præcipit de patientia, ut Deo obedire uelimus in perferendis afflictionibus. Eruditur ergo latro in cōuersione, de peccato, de ira Dei, de pœnis, de remissione & iustitia, ut intelligat longe aliā esse sapientiam sanctorū, quā humanæ sit rationis, aut pharisaica sapientia. Nā pij multa in afflictionibus discūt, ut dicitur in Psalmo: Bonum est quod humiliasti me, ut discerem iustificationes tuas. Postremo accedit confessio, in qua prædicat hunc esse Mesīā, nec deterretur spectaculo supplicij: obiurgat etiam alterum latronē, qui uenenatis ironijs exprobrat supplicium Christi, & propter crucem eum contemnit. Sicut mundus Christum ac ecclesiam propter infirmitatem superbe aspernatur. Estq; diligenter contemplanda imago huius subsannatoris. Vt enim hic in media morte ridet, & insuper cōtumelia afficit Christum: ita impij tanquam furentes, non norunt sua mala, & insuper contumeliosi sunt aduersus Christum, cum offert liberationem.

Aerumnarū
uitæ huius
causā.

Latronis alte
rius imago
cuiusmodi.

Recitauī exemplū: quia cū de alijs rebus multis nos admonet, tum hoc quoq; ostendit, in uera cōuersione inchoari nouam obedientiā, quæ etiam se ostendit multis honestis actionibus, quæ (ut dixi) placent Deo. sicut & Rom. 14. Paulus inquit: Regnum Dei non est cibus & potus, sed iustitia, pax, & gaudiū in spiritu sancto. qui in his seruit Deo, placet

placet Deo, & probatus est hominibus. Ad Hebr.
ult. Beneficentiæ & liberalitatis nolite obliuisci.
nam hæc hostiæ placet Deo. Sic & de Noë dicitur,
Odoratus est Deus odorẽ suauitatis: id est, delecta-
tus sacrificio Noë, id est inuocatione, gratiarum
actione, laude & doctrina. Mira est aut̃ metapho-
ra in uerbo odorandi, sumpta à ritu ueteri: quia sa-
cificia dicebatur Deus odorari, cum diuinitus in-
cenderentur. Id erat singulare testimonium, quod
placerent, & acciperentur. Ceterũ generaliter sa-
cificia conferuntur odoribus, & addebantur odo-
res: quia omnia opera debent esse odor, id est late
sparsa & bene fragrans fama de Deo. id est, debet
referri ad celebrandum Deum, ut alij bona doctri-
na & bonis exemplis inuitentur.

DE IIII. QVAESTIONE.

Propter quas causas facienda sunt
bona opera.

Causæ, pro-
pter quas bo-
na opera fa-
cienda.

Mandati &
debiti ne-
cessitas.

Multæ sunt causæ: Necessitas, dignitas,
præmia. Et primum multiplex est necessi-
tas, mandati, debiti, retinendæ fidei, & uitandæ pœ-
nas. Etsi enim aliud est loqui de coactione, tamen
manet ordinatio æterna Dei, et immutabilis, ut uo-
luntati Dei creatura obtæperet. Hæc ordinatio im-
mutabilis est mādati & debiti necessitas, sicut Paul-
lus inquit: Debitores sumus Dei, non carnis. &
Christus inquit: Hoc est mandatũ meum, ut diliga-
tis uos inuicẽ. & 1. Thess. 4. Hæc est uoluntas Dei,
sanctificari

sanctificatio uestra, abstinere à scortatione, possi-
dere unumquemq; uas suum, id est corpus, in san-
ctificatione & honore, non in affectibus libidinis,
sicut gentes ignaræ Dei: & non iniuria afficere et
defraudare fratrem in negotijs, quia uindex est De-
us de his omnibus. Non enim uocauit nos Deus ad
immundiciã, sed ad sanctificationem. Ideo qui hæc
contemnit, non hominem contemnit, sed Deum,
qui dat spiritum sanctum suum uobis.

Neceſſitas retinendæ fidei est, quia spiritus san-
ctus expellitur & perturbatur, cū admittatur pec-
cata contra conscientiam. Sicut clare dicitur 1. Jo-
an. 3. Nemo decipiat uos: qui facit peccatū, ex dia-
bolo est. & Rom. 8. Si actiones carnis spiritu mor-
tificabitis, uiuetis: si secundū carnem uiuetis, mori-
erimini. Et excuti fidem per mala opera, testatur
hoc dictū Pauli 1. Tim. 5. Si quis suorū, & maxi-
me domesticorū curam non habet, fidē abnegauit,
& est infideli deterior. Item fides esse non potest
in his qui indulgēt prauis cupiditatibus, nec agūt
pœnitentiam: quia scriptū est, Vbi habitabit Do-
minus: in spiritu contrito, & tremente sermones
meos. Item cum fides afferat pacē conscientie, non
potest simul esse cum proposito retinente delictū,
quod condemnat conscientiam. Ideo Paulus inquit:
Omne quod non est ex fide, peccatum est.

Fidei retinen-
dæ necessitas

Fidem excuti
per mala
opera.

Excusit igitur Dauid fidem & spiritū sanctū,
cum raperet alterius coniugem. Et quidem mul-
tipliciter

tipliciter spiritū sanctū perturbauit. primū in corde suo, unde pulsus est in adulterio: deinde in multis sanctis, quorū alijs scandalū attulit dolorē, alijs fuit occasio exitij. Item in miserrimis mulieribus, ui stupratis ab Absalone, & eius manipularibus.

Pœnas uitandi necessitas.

Necessitas uitandi pœnas debebat quidē animos mouere, cū totam mundi historiam plenā tristissimorum euentuum uideamus, qui certe sunt pœnæ peccatorū. Sed tanta cæcitas est hominum, ut casus plerosq; accidere existiment. Hæc amentia tollenda est. Sciamus omnes tristes euentus humanos uere esse pœnas, cum primi lapsus, tum aliorū peccatorum. Sicut Psal. 38. inquit: Propter iniquitates corripis hominem. Imò cum præsentia omnia sint momentanea, præsentis pœnæ non respondēt iræ Dei æternæ, sed sunt testimonia iudicij uenturi. Deus nos commonefacit, restare iudicium aliud, in quo non de momentaneis & pereuntibus rebus agetur, sed de æternis. Hoc iudiciū semper in conspectu esse debet, de hoc iudicio nos ipsi admonemur, quoties præsentis pœnas uidemus.

Ac repudietur illa frigida cauillatio, qua reprehenduntur benefacta metu pœnæ. Facilis est responsio pijs, qui sciunt eiusdem facti multas esse causas, & ordinatas. Sciunt potius propter Deum recte faciendum esse, quàm propter pœnas. Sed sciunt hoc quoq; Deum uelle agnosci uoluntatem suam, et iram in pœnis, uelle metui pœnas præsentis &

tes & futuras. Et omnes pœnæ latè patēt. Sæpe pi-
niuntur peccata peccatis, et implicantur multi ho-
mines peccatis et calamitatibus. Horum malorum
omnium sæpe unus aliquis est reus, ut lapsus Dau-
dis quantum peperit scelerum, desperationū, blas-
phemiarum, & tristiſſimarum rerum?

Cultus idoli à Salomone admissus, fuit causa di-
lacerationis regni Israël. Hæc distractio et religio-
nis discordiam, & perpetua bella attulit. Talia ex
empla Deus uult cōsiderari, ut uere metuamus ip-
sius iram, & nostræ ac alienæ salutis rationem ha-
beamus. Sed cæca mens hominis nec peccati, nec
iræ Dei magnitudinē cernit: imò ne presentibus
quidē pœnis satis afficitur. Sicut impius latro ad-
huc ludit in sua calamitate, & Christum deridet.

Discant autem pij, ut dictū est, agnoscere iram
Dei in tanta magnitudine calamitatū humanarū:
discāt & insidias diaboli cauere, qui paulatim per
gradus impellit, & longam telam textit multarum
miseriarum, ut tandem impellat ad desperationē,
sicut dictum est: Circumit tanquam leo rugiens,
quærens quem deuoret.

Sequitur dignitas. Hic rursus admoneo, non esse
dignitatem uirtutibus tribuendam, quod propter
eas personas habeat remissionem peccatorū, quod
satisfaciant legi Dei, sint preciiū uitæ æternæ: sed
fides præluceat, quæ statuatur nos propter filiū Dei
placere, sicut suprâ dictum est. Postea uerò etiam

Dignitas, pro-
pter quam bo-
na opera fa-
cienda.

propter hunc ipsum mediatorē hos cultus placere Deo, qui non uult totum genus humanum perire. Ideo uult aliquam esse ecclesiam, in qua agnoscat, inuocetur, colatur. huius obediētiam propter filium recipit, & uocat sacrificia, id est opera quibus Deus iudicat se honore affici. Ideo Petrus inquit, Offerite hostias spirituales. Hęc est dignitas uocationis, nō personę. sicut magistratus aut apostolus sua opera magnifacere, et cogitare debet esse maximas, per quas Deus uitam regit, dat uitā æternam: ideoq; gubernari & inuari à Deo. & hanc ob causam studiosius omnia faciat.

Vocationis
dignitas, non
personę.

Sic quodlibet membrū ecclesię sentiat hanc summam omniū uocationū esse, ut sit membrū populi Dei, inuocet Deum pro se & alijs, offerat sacrificia, id est, omnis generis bona opera præcepta à Deo. Hęc dignitas uocationis intelligenda et consideranda est. Scias hoc tuū studiū literarū, & modestiā uitę, uere rem magnā esse, & ad uocationis gloriam & aliorū necessitatē pertinere. Ideo eam Deus postulat, approbat, ut dictum est, gubernat, adiuuat. Quare studiosius officia tui loci facias.

De præmijs,
propter quę
bona opera
facienda.

Vt remissio peccatorum & reconciliatio sit certa, donatur propter filium Dei gratis, & fide accipienda est. Fieret autem incerta, si penderet ex conditione nostrorum meritorum. Sed in reconciliatis postea bona opera cum placeant fide propter mediatorē, ut dictum est, merentur præmia
spiritualia

spiritualia & corporalia, in hac uita & post hanc uitam. Sicut clare ostendit parabola de negotiantibus, Habenti dabitur, &c. Et 1. Tim. 4. dicitur, Pietas habet promissiones presentis & future uitæ. Marci 10. Recipient centuplū in hac uita, sed cum tribulatione: & post hanc uitam, uitam æternam. Matth. 11. Qui dederit potum uni ex minimis propter doctrinā, non perdet mercedem suam. Luca 6. Date, & dabitur uobis.

Exod. 20. Honora patrem & matrem, ut sis longæuus super terram. Esaiæ 33. Panis ei dabitur, aquæ eius erunt certæ. Regem in decore uidebunt: id est, pro obedientia & bonis operibus, Deus dat tranquillam politiam, honestam & pacatam gubernationem, &c. Esaiæ 58. Frange esurienti panem tuum, & eris sicut hortus irriguus, &c.

Deniq; plena est scriptura taliū promissionū de spiritualibus et corporalib. præmijs. Nā et in hac uita utrisq; opus est. nec singuli retinere fidē possunt sine exercitio, nec in gubernatione illustrari doctrina, & conseruari ecclesiæ & politie possunt, sine donis spiritualibus. Deinde, cū Deus uelit in hac uita propagari doctrinā, dat aliquod hospitium docētibus & discipulis. Id mirabiliter seruat, sicut seruabat nauim in qua Paulus uehebatur Romā. Promittit igitur etiā presentis uitæ comoda. Et quanquam ecclesia mirabiliter subiecta

est cruci, tamē aliqua multitudo pia seruatur, etiā si ut in acie uictrice aliqui milites interficiuntur.

Utroq; bono Discamus igitur, utroq; genere bonorum opus
tum genere esse, & ea non frustra promitti à Deo, sed ut fides
opus. nostra exerceatur & crescat, & nos inuitati præ-
 mijs diligentius laboremus.

Fidē triplici- Exerceatur autē fides tripliciter. Primò: Semper
ter exerceri. fides petitura res alias, initio cogitet de remissione peccatorū: ut Dauid nō potest petere uictoriam, nisi cogitet sibi Deum placatū esse. Secundò, fides statuatur non casu obijci bona, ut impij in nauī Pauli fingeant casu seruata esse. At fides uere statuatur à Deo nos ali, defendi, iuuari: & horū beneficiorum promissiones ideo propositæ sunt, ut Epicurea imaginatio ex animis hominum eijciatur, quæ fingit casu accidere bona & mala. Sed discamus, uere à Deo dari bona, & ea petamus ab ipso.

Tertiò fides exerceatur, petens auxilium & compensationem: ut qui dat eleemosynā, decerpit aliquid de suo, & uidet suis defuturum esse nisi Deus eos respexerit, petit & expectat auxilium & compensationem. Hæc ut intelligantur, antithesis confideretur, & introspeciamus nostra pectora. Ideo minus es diligens in operibus, quia cogitas te frustra laborare, quia Deo displiccas. Hæc imaginatio pugnat cum primo exercitio fidei. Secundò, ideo minus es liberalis, quia cogitas has res humane diligentie commissas esse, & nō curari à Deo.

Hic

Hic error pugnat cū secundo exercitio fidei. Deus enim diligentiam humanam ita postulat, ut uelit eam regi suo uerbo, sicut cæteras uirtutes. Sis diligens, scilicet iuxta præceptū Dei labores, non facias inutiles profusiones, sed aliquid conferas ad necessarios usus ecclesiæ & pauperum. Tertio, ideo minus liberalis es, quia cogitas Deum nō esse compensaturū, tuos futuros esse in egestate. Hæc diffidentia pugnat cum tertio exercitio fidei.

Vt igitur excitetur & crescat fides, Deus multiplicia opera proposuit, & addidit promissiones auxiliij & præmiorum, ut sit occasio inuocationis. Quomodo expectabis à Deo æternam salutē, si non expectas fragmen panis? Repugnemus igitur diffidentia nostræ, & mandata opera faciamus, cum sint difficilia: excitemus in eis fidem & inuocationem, intueamur etiam præmia, simus solliciti de uniuersa ecclesia, de republica, de nostra salute, propter hos fines simus diligentiores in uocatione, in regendis moribus, &c.

Hæc omnia pinguntur in exemplo uiduæ Sareptanæ & Eliæ. Scit Elias se uocatū esse diuinitus ad docendū, & donec ministerio fungi eum Deus uolet non defuturum esse uictum. Hac fide ipse & petit & expectat uictū. Venit igitur ad uiduam, et confectus labore iubet sibi dari cibū. uidua paupertatem suam narrat. hic propheta addit promissionem. Credit igitur mulier uoci prophetæ, quod

Sareptanæ uiduæ & Eliæ exemplum.

Deus Israël uere sit Deus creator & saluator, quod det bona, quod sit suppeditaturus uictum in posterum. Quanquam igitur sibi & filio, quod in presentia aderat, detrabi uidet, tamen prophetanz prius pascit. Hanc fidē & hoc opus sequuntur præmia. longo tempore alitur hæc familia, et haud dubie beneficio diuino: sit eius domus hospitium ecclesie, ubi propheta docet totam uiciniam. Hanc magnam gloriam sequitur afflictio, filius moritur: sed rursus accedunt noua præmia, filius mortuus resuscitatur. Hoc exemplo magis confirmatur mulier, & latius spargitur fama doctrine Eliæ.

Iam cogita, quam multa ingentia bona opera primum officium, quod præstitit mulier in alendo propheta, pepererit: considera etiam cumulū præmiorum. Non solum alitur familia, sed etiam eruditur à propheta de uero cultu Dei, & de uita æterna, & custoditur multipliciter aduersus diabolum: filius resuscitatus fit huius prophete discipulus, qui proculdubio postea utiliter seruiuit ecclesie. Etiam exigua opera præmijs multo maioribus ornantur, quam pro debito. ac necesse est omnes sanctos fateri idem, quod Iacob inquit Gen. 32. Minor sum omnibus miserationibus tuis.

Ceterū & si oportet esse inchoatam nouitatē, sicut Paulus inquit, Superinduantur, si tamē non nudi reperiemur: tamē semper agnoscat cor, quod dicit Psal. Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens.

uiuens. Itē, Delicta quis intelligit? et sciat; nostras virtutes nō esse precium uitae aeternae, sed hanc certō dari propter mediatorem. sicut Paulus inquit, Donū Dei uita aeterna. & Christus inquit Ioan. 6. Hae est uolūtas patris, ut omnis qui uidet filiū, & credit in eū, habeat uitā aeternā. Hanc uocē sibi pia mens in uera poenitentia proponat, & propter mediatorē certō expectet uitam aeternā. Nec potest fides niti duabus reb. mediatore, & nostris meritis, ut perita cōscientia facile iudicare potest.

DE V. QVAESTIONE.

De discrimine peccatorum.

CUm dictū sit in renatis manere peccata, necesse est tradi discrimē. Nam hos qui ruunt in delicta contra conscientiam, certū est non manere in gratia, nec retinere fidem, iustitiam, spiritum sanctū: nec potest stare cū malo proposito contra conscientiam fides, id est fiducia acceptationis diuinae. Sunt enim prorsus contrarij motus, nec potest existere inuocatio cū mala conscientia quae fugit Deum: sicut dicitur 1. Ioan. 3. Si cor nostrum nos non condemnat, fiduciam habemus ad Deum.

Ideo tenenda est regula, quod necesse sit in reconciliatis esse iustitiam bonae conscientiae, ut 1. Timoth. 1. dicitur: Summa mandati est dilectio ex corde puro, conscientia bona, & fide non ficta.

In reconciliatis, esse iustitiam bonae conscientiae.

Et in eodem capite, Milita honestam militiam, habens fidem & bonam conscientiam. 2. Cor. 1.

Gloriatio

Gloriatio nostra hæc est, testimoniū conscientię nostrę. 1. Pet. 3. Conscientiam habentes bonam.

Quod autem excidant ex gratia, & effundant fidem & spiritum sanctum, et fiant rei irę Dei & æternarum pœnarum, qui admittunt delicta contra conscientiam, id multę sententię clare testantur. Gal. 5. Manifesta sunt opera carnis, adulterium, scortatio, impudicitia, idololatria. Talia facientes, regnum Dei non possidebunt. Vocat manifesta opera, quia contra conscientiam fiunt.

1. Cor. 6. Ne erretis, nec scortatores, nec idololatra, nec mœchi possidebunt regnū Dei. Vbi nominatim Paulus his cōcionatur, qui cū antea fuissent obnoxij talibus uitijs, iam uero emēdati erant. Hic præcipit, ut retineant bonā conscientiam, & testantur perituros esse, si perseverēt in prioribus uitijs.

Rom. 8. Si secundū carnem uiuetis, moriemini: si actiones carnis spiritu mortificabitis, uiuetis.

Pauli locus. Hic tradit Paulus discrimē. Manent in renatis multa interiora mala, uidelicet quædam caligo & prauitas nobiscū nascens. Etsi enim inchoata est lux, & inchoata obedientia, tamen adhuc fides ut scintilla exigua in densis tenebris lucet, quę assidue lutatur cū dubitationibus, & eis repugnat, nec tantus est timor Dei, non tanta fiducia & dilectio, quantam esse oportuit. Deinde multiplices uitiosi affectus sunt, admiratio & fiducia sui: deinde uarij motus, flammę libidinum, incendia iniusta irę

Et emulationum, ut fuerunt in Maria & Aarone aduersus Moysen. postremo plurima manent in sanctis omissionis peccata, ut uulgo uocantur: id est, neglectiones officij & errata œconomica, politica & ecclesiastica, quæ tamē non fiunt contra conscientiam in pijs, qui fidem & diligentiam præstant, quantam ferè præstare possunt. Quia uero sancti uitiosis affectibus repugnant, & credunt sibi propter filium Dei condonari infirmitatē, ideo manent in gratia, & retinent fidem & spiritū sanctum. Hoc sentit Paulus, cum inquit: Si actiones carnis spiritu mortificabitis, uiuetis.

Estq; singularis emphasis, cum ait, Spiritu mortificabitis. Vocat enim nos ad acre certamen, uult nos repugnare uitiosis cupiditatibus, & quidē spiritu, id est ueris motibus, timore & fide, incensis uerbo Dei à spiritu sancto. Intueatur mens mandatum Dei, & poenas cogitet, quanta res sit ira Dei. exempla intueatur lapsorū, ut Saulis, & aliorum qui non sunt restituti. Sciat ex uno lapsu sequi infinita peccata & scandala: rursus etiam credat Deo placere obedientiam, & petat auxiliū & gubernationem. sicut scriptum est, Sine me nihil potestis facere. item, Petite & dabitur uobis: Quanto magis pater uester cœlestis dabit spiritū sanctum petentibus? et sicut toties dicitur in Psalmis, Adiuua me & saluus ero. item: Fac cum seruo tuo secundū misericordiam tuam, et iustificationes tuas doce me.

Spiritu mortificare actiones carnis, quid.

Item.

Item, Cor mundum crea in me Deus: id est, recte sentiens de Deo, purificatū fide. Et spiritū rectū, id est, firmum, non dubitantem, innoua in uisceribus meis. Ne abijcias me à facie tua, & spiritū sanctum tuum, id est regentem omnes actiones, ne auferas à me. Redde mihi leticiam salutaris tui, & spiritu principali, id est spontaneo, non defugiente certamina & pericula, confirmes me.

Sic Ioseph repugnabat illecebris domitæ: sic Ionathas se confirmabat, ne amulatione incendere-tur aduersus Dauidē. Sic Dauid se reprimebat, ne Saulē interficeret. Sic se sustentabat, ne frangeretur desperatione, pulsus in exiliū. Ita docet Paulus Rom. 6. Non regnet peccatū in mortali corpore uestro. Et uidetur sumptū uerbū ex Genesi, Sub te erit appetitus eius, & tu domineris ei. Nam uerbo

Dominandi
uerbo non si-
gnificari
otium.

Dominandi non significatur otium & ignauia, sed impetus spiritus sancti, & diligentia uoluntatis. Ioseph intuens mandatū Dei, & prospiciens pœnas, scandala, & alias ruinas quæ secuturæ erant, repugnat illecebris. Petit etiam gubernationē diuinam, addit & suam diligentia, præcipit oculis ne temere uagentur, uitat solitudines, occasiones, ne in laqueis diaboli hæreat. Hanc diligentiam pij intelligere & præstare discant, & considerent non sine causa dictū esse, Tu domineris, non regnet peccatum. Cum peccatum dominatur, affert multiplicem perniciem, et iram Dei, ac æternam mortem.

Contra

Econtra uerò cū non dominatur, retinent pij donatam iustitiam & fidē. Ideo inquit Paulus, Si spiritu actiones carnis mortificabitis, uiuetis.

Dixi quæ peccata maneant in renatis, scilicet quædā interiora mala, quibus ipsi repugnant. Sed cum peccata contra conscientiam admittuntur, effunditur & perturbatur spiritus sanctus, & amittitur gratia, & excutitur fides, id est fiducia misericordie. Hoc uult Paulus, cū inquit: Si secundum carnem uixeritis, moriemini. id est, si obedietis uitijs cupiditatibus, eritis rei iræ Dei, & mortis æternæ. Eodem loco inquit: Qui aguntur spiritu sancto, hi sunt filij Dei. sed ruentes contra conscientiam, effundunt & perturbant spiritum sanctū: desinunt igitur esse filij Dei. Sicut & sententiæ supra citatæ testantur, 1. Cor. 6. Ne erretis, scortatores, &c. & Ioannes inquit: Qui peccatū facit, ex diabolo est: id est, est iam captiuus diaboli, reus iræ Dei et æternæ pœnæ, & impellitur à diabolo ad multiplicia peccata. Hæ tristissimæ cōminationes hortantur nos ad frenandos uitiosos impetus, ne excidamus à donata gratia. Nec opus est huc asferre disputationes de prædestinatione, sed iudicemus de uoluntate Dei ex perspicuo uerbo Dei.

DE ARGUMENTIS
aduersariorum.

PLanè et clare docemus, oportere in homine existere noticiam articulorū fidei: item contritionem,

Quomodo
excutitur fi-
des in renatis,

tritionem, bonum propositum, ac inchoari dilectionem. De his dimicant aduersarij, quæ tamen factemur ipsi in homine oportere existere. Sed addimus, oportere accedere fidem, id est fiduciam misericordie, quod propter filium Dei habeamus remissionem peccatorum, non propter has nostras uirtutes. Ipsi e contra dicunt dubitandum esse. & addunt: Tunc habebis remissionem peccatorum, cum dignus eris, hoc est propter uirtutes tuas. Item fingunt homines legi Dei satisfacere posse.

Sed cum omnia quæ ipsi flagitant, retineamus, & insuper addi uelimus fidem, tribuentem Christo suum honorem, & certa consolatione erigentem perterrefactas mentes, certe nihil absurdi docemus: et sine ista causa tam rabiose damnat sententiam, quæ de iustificatione in ecclesijs nostris proponitur, quæ haud dubie est ipsissima uox Euangelij, & consensus sanctorum patrum, prophetarum, apostolorum, et omnium piorum omnibus temporibus, qui aliquantulum lucis habuerunt. Omnes hoc sentiebant, oportere existere in nobis poenitentiam, & debere sequi bona opera: sed tamen remissionem donari propter mediatorem, non propter nostram dignitatem, & se placere Deo propter illum mediatorem, & hac fide, hoc est fiducia misericordie Deum inuocabant, non fugiebant, non fremebant aduersus Deum. Ideo toties inculcat Paulus particulam *Gratis*. Item Petrus inquit, Act. 10.

Huic

Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, accipere remissionem peccatorum per nomen eius, omnes qui credunt in eum. Hic consensus est uerum ecclesie testimoniū, & omnium piorum experientia suffragatur huic sententiæ. Non enim possunt sine hac consolatione acquiescere mentes in uera contritione, seu ueris terroribus. Hæc cum sint certissima, nemo sanus in ecclesia contradicere potest.

Sed quod aliter Monachi scripserunt, eo fit, quia non discernebant legem & Euangeliū: & de iustificatione loquuntur Philosophico more, prorsus ut Plato uel Aristoteles cogitat, Achillem esse fortem uirum, quia habet hanc uirtutem, & afflatū quendā diuinum. Ita hi dicunt, Paulum iustum esse propter suas uirtutes, & afflatū diuinū, nihil addunt de mediatore, de promissionibus, seu Euangelio, & de fide seu fiducia mediatoris. Imò iubent dubitare de reconciliatione, hoc est delere Euangelium & promissionem, & sepelire Christum.

Monachorum
error de iustifi-
catione un-
de.

Quoties igitur uenit in mentē huius controuersie, refer oculos ad hunc scopum, cum re ipsa & uere hoc dicatur, necessariam esse pœnitentiam, & tamen nos propter filium Dei habere remissionē, placere & exaudiri. Tribuam filio Dei suum honorē, & hac fide seu fiducia promissæ misericordie Deū inuocabo. sicut dictum est: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, id est fiducia filij. itē per hunc habemus accessum ad patrē. Ut autē studiosi sint in

t

stru

Aduersariorū
argumenta de
iustificatione,
confutata.

structiores ad refutanda aduersariorū argumenta,
ordine præcipua recensebo & explicabo.

Iustitia significat obedientiam iuxta omnia præ
cepta. Fides de qua dicimus, non est proprie o-
pus omnium præceptorum. Ergo non iustificamur fide.

Respondeo ad maiorem. Maior est uera, de
iustitia legis. nam iustitia legis proprie est obedien-
tia iuxta omnia præcepta. Sed hanc ipsam ob cau-
sam, quia hæc corrupta natura non satisfacit legi,
ideo alia reuelata & donata est, quæ est acceptatio
propter filium Dei: quam sequitur donatio Spiritus
sancti. Aliud igitur iustitia significat in maiore,
aliud in conclusione. Cum Paulus dicit, Fide iustifi-
camur: intelligit fide consequimur remissionem pec-
catorum, seu acceptationem propter mediatorem
gratis. ut Rom. 4. inquit, Fides imputatur ei ad ius-
titiam. Hæc explicatio perspicue ostendit hoc ar-
gumento non labefactari nostram sententiam. Fon-
tes autem diligenter consideremus. Pleraq; argu-
menta aduersarijs nascuntur ex iudicio rationis, seu
legis, de disciplina: in hanc omnium oculi sunt desi-
xi. Sicut inquit Paulus: Sectantes legem iustitiæ, ad
iustitiam non perueniunt, nec discernunt legem &
Euangelium, nec animaduertunt Euangelium in hac
questione non de uita politica loqui, sed de reconci-
liatione coram Deo. Hæc arcana discernenda sunt
à ciuili conuersatione. Ergo has caligines & nubes
depel-

depellant studiosi, uidelicet confusionē legis & Eu-
angelij, & confusionem politica uite & reconci-
liationis coram Deo: & attendant, de qua re in hac
quæstione agatur.

Impossibile est sola notitia iustum fieri. Fides
tantum est notitia: ergo, Impossibile est sola fide
iustum fieri.

Primum respondeo ad minorē, Fides non signi-
ficat tantum notitiam, qualis est in diabolo, de qua
dicit Iacobus, Dæmones credunt & contremiscūt.
Sed fides significat in intellectu notitiam, & assen-
sum promissionum de Christo, ac in uoluntate fidu-
ciam, qua uoluntas uult & accipit oblatam miseri-
cordiam, & in ea acquiescit, ut cum Cicero audiuit
sibi à Cæsare promitti securitatem, notitiam in in-
tellectu sequebatur, in uoluntate fiducia, qua uole-
bat & accipiebat oblatum beneficiū, et in hac pro-
missione acquiescebat. Est igitur fides non tantum
notitia, sed fiducia illa, ut diximus, qua apprehēdi-
tur promissio: sicut perspicuē testatur quartum ca-
put ad Romanos. Fidē hic intellige eā quæ accipit
promissionē, quare necesse est intelligi fiduciā mise-
ricordiæ donatæ. Sed oritur & hoc argumentū ex
imaginatione rationis, quæ semper quærit aliquam
nostram uirtutem, qua cogitemus nos iustos esse: cū
in hac quæstione non hoc dicatur, nos fide iustos
esse, quia sit talis uirtus in nobis, in hac uel in illa
parte, tametsi adesse uirtutes oportet, sed ideo dici

mus, Fide iustificari nos, quia apprehēdit promissionem, & statuit nos propter mediatorem habere reconciliationem.

Ita & hęc cauillatio refutatur, Fides significat fiduciam. In fiducia inest dilectio, ergo etiam dilectione sumus iusti. Concedo in fiducia inesse dilectionem, & hanc uirtutē & plerasq; alias adesse oportere. sed cum dicimus, Fiducia sumus iusti: non intelligatur, nos propter uirtutis istius dignitatem, sed per misericordiam recipi propter mediatorem, quam tamen oportet fide apprehendi. Ergo hoc dicimus correlatiuē, Per misericordiam propter filium Dei sumus reconciliati Deo: & id fide accipi seu statui oportet, ut uoluntas acquiescat in proposito propiciatore.

Cogitet autem pius Lector, quā absurdum & indignum sit, non discernere fidem diabolicam à fide qua ecclesia Deum inuocat, qua accedit ad Deū, & pacem cōsequitur, ut Rom. 4. dicitur. item Roman. 10. Qui credit in eū, non cōfundetur. & Gal. 2. In fide uiuo filij Dei. Nemo non uidet absurdissimam fore imaginationem, si quis in talibus locis cogitet, Fidem non aliud significare, nisi notitiam diabolicā. Nam notitia diabolica fugit Deum, non inuocat, non accedit ad Deum. Ideo Iacobi dicta de fide, demones credunt & contremiscunt, non

Non de eadē sunt miscenda Paulinæ. De alia fide Paulus, de alia Iacobus loquitur. Et facile potest intelligere homosa

Non de eadē
fide loqui Pau-
lum & Iaco-
bum.

mo sanus, non esse similem fidem ecclesiæ inuocantis Deum, & diaboli fugientis.

Qui non diligit, manet in morte: ergo, Impossibile est dici iustum sola fide.

Concedo, si intelligas fidem oportere non esse solam. sed hic non sequitur, dilectionem esse causam remissionis peccatorum. Sicut necesse est ad fidem accedere patientiam, sed non sequitur, nostram patientiã esse causam remissionis. Et exclusiua particula non excludit uirtutes, ne adsint, sed excludit eas à causa recõciliationis, ac significat, solius Christi meritum esse causam reconciliationis. Est et hoc sciendum, Remouendas esse humanas imaginationes de iustitia legis, quæ à dilectione Dei orditur, Si natura hominis esset sine peccato, posset Deum uere diligere: sed quia est obruta peccato, necesse est prius accipi remissionem, nec potest accendi dilectio, nisi agnita & apprehensa remissione peccatorum. Ac nimis ociose cogitant de remissione, qui putant, sine certamine fidei eam accipi.

Fide sumus iusti, Fides est opus, Ergo propter opera sumus iusti.

Respondeo ad maiorem. Maior intelligatur correlatiuè, Fide sumus iusti: id est per misericordiam, propter Christum sumus iusti. Non quia fides sit uirtus, quæ mereatur remissionẽ suã dignitate. Quod uerò additur, Fides est opus, concedendũ est. est enim opus, ut dilectio, patientia, castitas. Et

ut hæc sunt infirma & languida, ita fides est admodum imbecilla, & concutitur multis dubitationibus. Quare non ideo dicimur iusti fide, quia tanta sit huius uirtutis dignitas, ut mereatur remissionem, sed quia oportet aliquod esse instrumentum in nobis, quo apprehendimus mediatorem pro nobis interpellantem, propter quem æternus pater est propicius.

5 Gratia sumus iusti: Gratia est dilectio infusa cordi: ergo dilectione infusa sumus iusti.

Gratia proprie quid.

Ad minorem respondendum est. Gratia proprie significat misericordiam gratuitam, seu acceptationem gratuitam propter Christum. Nam cum dicitur, Per gratiam habemus remissionem: si sic intelligas, propter donatas uirtutes habemus remissionem, plane euerteres totam Pauli sententiam, & conscientiam adimes ueram consolationem. Non enim nostras qualitates intueri debemus, cum angimur de remissione, sed confugere ad mediatorem. In hac ipsa lucta, corda etiam Spiritu sancto iuuantur. Sicut Paulus inquit, Dedit spiritum in quo clamamus Abba pater, & docet in tali motu fidei dari Spiritum sanctum, Gal. 3. Ut promissionem spiritus accipiamus per fidem. Quare cum illa acceptatione coniuncta est donatio Spiritus sancti: neque tamen sequitur, nos propter illas nouas uirtutes habere reconciliationem.

6 Impossibile est nosse uoluntatem erga nos: Credere quod simus in gratia, est aliquid affirmare de uoluntate

uoluntate Dei erga nos: Ergo impossibile quiddā affirmare uidemur, cum dicimus, Credendum esse quod simus in gratia.

Respondeo: Maior est uera de uoluntate, non reuelata per uerbū Dei. Certū est autē in Euangelio, quod filius Dei protulit ex sinu eterni patris, precipi, ut affirmemus, nobis Deū propiciū esse propter mediatorē. Sed humana mens oppressa naturali caligine, aut legis opinione, putat delirare eū qui affirmat se habere Deum propiciū. Aduersus has imaginationes scias hanc ipsam uocē Euangelij traditam esse: ideo missum esse filiū Dei & datam promissionē, ut hoc ipsum credamus, & affirmemus.

Sed dicis, Additam esse conditionem legis. Respondeo: Etsi pœnitentia est necessaria, tamen non pendet remissio ex dignitate nostra, sed certa est propter Christum. Dauid post lapsum agens pœnitentiam, statuit se uere recipi in gratiam, audita hac uoce, Dominus abstulit peccatum tuum. Eandem uocem uere affert singulis agentibus pœnitentiam, administratio Euangelij, & mandatum immutabile est, ut filio Dei credamus, Hūc audite. Quamquam igitur humanæ menti hoc statuere uidetur absurdum, tamē imaginationi rationis opponamus promissionem & mandatum Dei, ut uere inuocare Deum discamus. Nam ubi non est hæc fides, quæ sentit nos recipi & exaudiri propter mediatorem, ibi nulla est inuocatio. Quare doctrina quæ iubet

dubitare, est ethnica, & tollit inuocationem.

- 7 Nemo placet, nisi habens novos habitus ortos à Spū sancto: Nemo potest affirmare se habere illos habitus, quia possunt esse uirtutes similes, ortæ à ratione: Ergo nemo potest affirmare se placere.

Neganda est minor. Etsi enim de reconciliatione non ex nostris habitibus statuendum est, sed ex certa promissione Dei: tamē cum cor erigitur fide in pauoribus seu pœnitentia, uere etiam fiunt noui motus spirituales, quibus in inuocatione clamamus Abba pater, et tamen fiducia intueatur mediatorē, non nostram nouitatem. Cæterum illud semper addo, ne perseueret uolūtas in delictis contra conscientiam. Ideo Ioannes inquit: Si cor nostrum non condemnat nos, fiduciam habemus ad Deum, quod si quid petimus, accipiemus ab eo.

- 8 Virtutes theologicæ sunt distinctæ, Fides, spes, dilectio: Si fides significat fiduciam, erit idem quod spes: Ergo non retinetur distinctio uirtutum.

Respondeo: Fatemur, semper oportere coniunctas esse, & cum dicimus, Homine fide iustificari, diximus suprâ, id intelligi correlatiuē: nec significari, quod propter huius uirtutis dignitatem iusti simus, sed propter mediatorē. Sic igitur differt fides à cæteris uirtutibus, quia est apprehensiuæ, & applicat nobis promissionem. Differt item, quia uult & accipit præsentem reconciliationē, Spes uerò expectat futuram liberationē. Si scopus teneatur, quod

Fides quomodo differat à cæteris uirtutibus.

quod dicimus nobis propter mediatorē dari remissionem, ut certē omnes pij fatētur, facilis postea est explicatio, & sit modus harum tenuium cauillationum. Si numerant fidem inter theologicas uirtutes, necesse est non tantum intelligi notitiam, qualis est in diabolis: sed fidem, qua ad Deum accedimus, & eum inuocamus. Non accedimus autem in ueris pauoribus, si iudicemus manendum esse in perpetua dubitatione. Nam dubitatio illa parit fugam, & odium Dei, ut Rom. 7. de peccatis quæ per legem sunt, dicitur.

Mala opera merentur æternas pœnas: Ergo 9
bona opera merentur uitam æternā: Consequen-
tia uidetur ualere à contrarijs.

Respondeo: Valeret, si contraria essent pariter integra. Mala integrè repugnāt legi Dei, Bona nō-
dum satisfaciūt legi Dei. Manet enim in sanctis in-
gēs imbecillitas, infirmitas, etiam cum in tota disci-
plina externa nullus est nœuus, & multe sunt excel-
lentes uirtutes, ut in Esaia et similibus: tamē manēt
interiora mala multa, dubitationes in inuocatione,
multi uitiosi affectus confidentiæ, diffidentiæ. item
spectra, quæ diabolus obijcit ut inuocationē impe-
diat: quæ uocat Paulus tela ignita, quibus ita sau-
ciantur interdū etiā qui uirtute excellunt, ut mori
mallerent q̄ sentire ea uulnera, sicut Paulus queritur
de colaphis, quos accipit à diabolo. Itē, Miser ego
homo, quis me liberabit à corpore mortis huius? In-

Tela ignita
Paulo quæ.

his miserijs agnoscunt pij imbecillitatē suam, uidēt se non satisfacere legi Dei, non sine peccato esse, & in hac humilitate cōfugiunt ad propiciatorē. Hęc certamina non norunt hypocritæ, qui disciplinam externam somniant esse legis impletionem.

10 Peccatum est odium Dei: Ergo iustitia est dilectio Dei.

Concedendum est totum argumentum, sed considerandum est simul, non esse pariter integra hæc contraria. Nam dilectio est languida & adhuc multis sordibus impedita: & ut antea dixi, accedunt diaboli tela ignita, quæ etiam impediunt inuocationem, ut accidit Mosi ad rupem. Non igitur satisfacit legi Dei, nostra dilectio: nec placet propter propriam perfectionem, sed placet propter mediatorē, ut supra dictum est.

Cum igitur dicunt, Dilectio est iustitia, ergo dilectione iusti sumus. Respondendum est: Si iusti significat habentes uirtutem, ut Philosophi loquuntur, ualeat consequentia. sed si significat accipientes remissionem peccatorum, non ualeat consequentia. Nam nec in antecedente sic intelligi potest iustitia, pro re quæ mereatur remissionem: sed pro uirtute, ut si dicam, Soluere uenditori est iustitia, ergo soluens uenditori est iustus. Tales argutiæ ab eruditissimis facile possunt dijudicari.

11 Iustitia est in uoluntate: Fides non est in uoluntate: Ergo nõ iustificamur fide.

Et si

Et si supra aliquantulum mutatis uerbis res eadem tractata est, tamen et hanc formam propono, ut studiosi exerceantur. Primum neganda est minor: nam fides significat assentiri promissioni Dei, quod est in intellectu, et cum hoc assensu necessario coniuncta est fiducia in uoluntate, uolens et accipiens promissam reconciliationem, et acquiescens in monstrato mediatore. Nisi enim simul uellemus et accipere promissam reconciliationem, maneret fuga et pauper, nec existeret pax seu quies conscientiae, seu cordis. Quare appellatione fidei uere comprehenditur Euangelium, uelle oblatam promissionem.

Quamquam autem displicent haec aduersarijs, qui acerrime contendunt nihil intelligi nomine fidei nisi notitiam, qualis et in diabolis est: tamen ad talem notitiam impossibile est congruere dicta illa, iustificati fide pacem habemus. item: Qui credit in eum, non confundetur.

Deinde rursus hoc moneo, quod toties dictum est, iustitiam quae in nobis est, esse in uoluntate. Sed iustificari hic significat, consequi a Deo remissionem peccatorum, et acceptationem ad uitam eternam. Haec contingunt nobis propter mediatorem, sedentem ad dextram aeterni patris: sed tamen fide accipi oportet. Et simul Spiritus sanctus datur, inchoans nouam lucem, et nouas uirtutes, quibus nos Deo subiicimus, quibus inchoatur in nobis uita aeterna. Sicut inquit Christus: Haec est uita aeterna, ut agnoscant

te so.

te solum uerum esse Deum, & quem misisti Iesum esse Christum.

Qui fingunt dubitandum esse de reconciliatio-
ne, & inquirunt hominem iustum esse proprijs uir-
tibus, tantum habent imaginationem ethnicam, nec
accedunt ad Deum fiducia mediatoris: cum tamen
Deus aliter coli nō uelit, nec uelit exaudire, nisi in-
uocantes fiducia mediatoris.

12 Iacobi 2. Vides igitur quod ex operibus iustifi-
catur homo, & non ex fide solum?

Respōdeo, sine ulla sophistica: Cōstat fidem in eo
loco Iacobi, significare notitiā historię, qualis est
& in damnatis. ait enim, Dæmones credunt & con-
tremiscunt. Fatendum est autem, & clarē fatemur,
hominem non esse iustum illa notitia. Sed Paulus,
cum loquitur de fide, intelligit fiduciam misericor-
dię, quę nititur mediatore, & propter eum accipit
reconciliationem. Quare necesse est aliud intelligi
fidem apud Paulum, cum inquit, Corde creditur ad
iustitiā: aliud apud Iacobum, dicentem, Dæmo-
nes credunt. Non igitur pugnat Iacobus cum Pau-
lo, sed de alia re loquitur. refutat errorem eorū qui
fingebant se iustos esse propter professionem dog-
matum, ut hęc opinio facile capit in peritorum ani-
mos. Sic & Iudæi fingebant se esse iustos propter
professionem suę doctrinę, & ceremonias. Hunc
errorem refutare necesse est.

Nō pugnare
inter se Paulō
& Iacobum.

Nec pugnat hęc refutatio cū Paulo. Quod enim
addit

addit Iacobus, Iustificatur homo ex operib. loquitur de iustitia operū, quam & Paulus tota uoce clamat necessariā esse. Sed idē negat, propter hāc dari remissionē. Non igitur intelligatur uerbum iustificari pro recōciliari, sed ut aliās sæpe dicitur, pro approbari. Iustificatur homo ex operibus: id est, habens iustitiam operū approbatur, placet Deo. quia obedientia in recōciliatis necessaria est. Et quomodo placeat, supra dictū est. Et persona non est iusta seu placens, seu accepta, si desit illa obedientia, & maneant delicta contra conscientiam. Est ergo sententia, oportere hominem etiam habere iustitiam operum, quod omnino fatendum est. Sed interim plura docendus est auditor, scilicet quod propter opera non accipiat remissionē. Item quod placeant, non quia legi satisfiat, sed propter mediatorē. Hæc addenda esse, manifestum est.

Iustificari pro
approbari,
placere,

Quare satis apparet, Iacobum non de integra causa disputasse, sed de una parte concionatū esse, flagitare iustitiam operū: & refutare eos, qui fingebant se iustos esse propter professionē. Cæterum de recōciliatione, et quomodo placeat imperfecta obedientia, hic non dicit. Suprà aliquantulū attingit, cap. 1. inquit: Volens genuit nos uerbo ueritatis, ut simus primitiæ creaturæ ipsius.

1. Cor. 13. Si habeam omnem fidem, dilectionem 13
autem non habeam, nihil sum.

Expedita, facilis et plana responsio est. Cōcedo
totum.

totum. Clare enim affirmantis, oportere adesse dilectionem. sed hinc non sequitur, nos accipere reconciliationem propter dilectionem: aut dilectionē placere, quia legi satisfaciat. Imò dilectio existere non potest, nisi præcedat fides, qua accipimus remissionem, & agnoscimus misericordiam, ac statuimus nos recipi & exaudiri. Ita incenditur dilectio, & uoluntas se Deo subijcit. Sed hæc dilectio & subiectio admodum est imbecilla, & adhuc multis sordibus inquinata. Quare aliud quiddam est, ut delictet propiciator Christus propter quem persona statuit se certò habere reconciliationē. In hunc intuetur, non in proprias qualitates.

Verum est igitur utrunq; , Oportere dilectionē adesse, & tamen personam habere reconciliationem propter filium Dei. Hac expedita responsione uti possumus, uitaturi longiores rixas. Nam hic alia quoque disputari solent, quod fides significet donum faciendi miracula. Item dilectio, dilectionē proximi. Sed has responsiones omitto, cum illa prior sit magis perspicua.

14 Matth. 19. Si uis in uitam ingredi, serua mandata: Ergo legi satisfieri potest, & nostra obedientia meretur uitam æternam.

Respondeo: Ex hoc dicto extruxerunt aduersarij suos errores, quod homo possit legi Dei satisfacere, & quod contumacia nobiscū nascens non sit malū pugnans cum lege Dei, & propterea nostrā
imple

impletionem legis esse precium uitæ æternæ. Hi errores inde orti sunt, quod legem & Euangeliū non discernabant. Lex requirit obedientiam integram, & promittit uitam, sed cum conditione integræ obedientiæ: ut dicitur, Hoc fac & uiues. Constat autem, neminem legi Dei satisfacere, ut clare testatur Paulus Rom. 7. & 8. Quare conferenda sunt huc & alia dicta propria Euangelij. Roman. 6. Donum Dei uita æterna per Christum, & Ioan. 6. Hæc est uoluntas eius qui misit me, ut omnis qui credit in filium, habeat uitam æternam. Hæc alia uox est, quam legis dicta, quæ sunt ex Euangelio interpretanda. Nam etsi discrimen est, tamen non aboletur lex: sed ut Paulus inquit, Stabilitur per fidem. Cum enim hæc infirma natura non satisfaciat legi Dei, uult Deus propter filium nos recipere, & facere hæredes uitæ æternæ. Hoc fit fide. Et cum recipimur, inchoatur noua lex & obedientia, quæ congruit cum lege Dei. Et quanquam hæc inchoatio non satisfacit legi Dei, tamen placet Deo propter mediatorem, ut sæpe dictum est. Sic oportet seruari mandata Dei, & in eandem sententiam inquit Paulus, legem stabilimus per fidem: id est, cū sumus fide inserti Christo, iam placet obedientia, et inchoatur dilectio Dei.

Omniſibus ergo dictis legis adde Euangeliū, Si uis ingredi in uitam, serua mādata: scilicet, iuxta uocē Euangelij, seu *ἐπιτάγματα*, quam addit Euāgelium.

Non

Non potes inchoare dilectionē sine agnitione Christi & Spiritu sancto: nec placet obedientia, quia legi satisfaciatur, sed propter mediatorem: et tamen inchoari eam necesse est, sicut dicit Paulus: Superinduemur, si tamen non nudi reperiemur.

Piorum iustitia quibus rebus abundet.

Item Christus inquit: Nisi abundabit iustitia uestra supra iustitiam scribarum & Phariseorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Pharisei docebant externam disciplinā: sed uox Euangelij, quæ de pœnitentia concionatur, plus requirit. Abundat igitur, seu antecellit iustitia piorum his sex rebus, pœnitentia, fide, nouitate spiritus, uera inuocatione, successibus in inuocatione, & repressiōe diaboli. Nā illa noua lux est inchoatio uitæ æternæ, quæ est & erit talis uita, talis sapientia & iustitia, qualem lex postulat: uidelicet illustris agnitio Dei, & pura dilectio. Ideo dicitur Jerem. 31. Dabo legem meam in corda eorum, id est, accendam lucem & obedientiam ueram in saluandis, quæ erit æterna sapientia & iustitia.

25 Remittite, & remittetur uobis: ergo nostra condonatio meretur remissionem.

Respondeo: Hæc sententia est concio pœnitentiæ, quales plurimæ sunt in Prophetis. Esaiæ 1. De finite malefacere: Si peccata uestra essent ut cocinum, eritis candidi ut nix. Item Esaiæ 58. Frange esurienti panē tuum, & gloria Domini colliget te. Hæc et similes conciones ubiq; continent duas partes.

tes. altera est uox præcepti, iubens ut nos emendemus: altera est promissio remissionis peccatorum. Iam de hac promissione audiamus Euangelii. non dicit Esaias, Desinite praua facere, propter uestras uirtutes dabitur remissio. Imò alio loco de Christo clare dicit, Vere dolores uestros ipse tulit, &c.

Ita hic, Remittite, & remittetur uobis. Prior pars est præceptum, posterior est promissio, sed nõ additur, propter tuam condonationem tibi remittetur. Si hæc conditio addenda esset, fieret incerta promissio, ut facile intelligi potest. Ergo audit a promissione, mens intueatur doctrinam de remissione promissa propter Christum gratis. Significat autem requiri hoc opus, scilicet nostram condonationem, sicut alia nostra opera, & placere sicut supra dictum est, non quod penitus nullus sit næuus in animo, sed quod pia mens repugnat maleuolentiæ & odijs propter mandatũ Dei & ecclesiæ concordiam, & agnoscit hanc moderationem placere propter Christum.

Eadẽ prorsus est sententiã concionis Danielis: ^{Danielis} Libera te à peccatis iustitia et eleemosynis erga pau- ^{concio,} peres, & erit sanatio delictorũ tuorũ. Tota oratio est concio pœnitentiæ, in qua prior pars postulat emendationem, et loquitur non de solis eleemosynis, sed de tota cõuersione. Libera te à peccatis per iustitiã: id est, fias iustus, agnosce unum Deum, qui se reuelauit in uerbo, quod dedit populus Israel, &

promisit remissionē peccatorū propter uenturum Dominum. Deinde sit & gubernatio tua iusta: sis diligens in iurisdictione, prohibe iniurias, punito delinquentes, defende honestos, non sis crudelis aduersus ecclesiam et populū Dei. Deniq; omnia officia mediocris & salutaris gubernationis complectitur, cū inquit, Redime peccata eleemosynis: id est, beneficijs erga pauperes. Et hæc prima pars est uox legis, quæ præcipit de conuersione.

Altera pars, Et erit sanatio delictorum tuorum: promissio est, quam oportet fide accipi. Ergo cum promissionem proponit, requirit fidem, qua creditur Deo promittēti per misericordiā, non propter nostrā dignitatē. Nec fuit hæc breuis doctrina, nam regi sciscitanti, unde hanc uoluntatē Dei sciret Daniel, unde affirmaret certò remitti peccata, Daniel haud dubie exposuit, promissionē à Deo traditam de futura liberatione & de uita æterna, et ostendit pertinere eam etiam ad gentes. Ideo nec flagitat ceremonias, ut significet reconciliationem non propter legem, sed propter promissionem dari.

Quancquā igitur breuis est narratio Danielis, tamen ipsa promissio remissionis admonet lectorem pium, de cōmuni reconciliationis promissione, et uitæ æternæ. Et intelliget prudens lector, uere cōgruere concionē Danielis cū Euangelio. Prior pars tradit præcepta de emendatione, posterior est promissio, quam oportet accipi fide, qua certò statuitur

tur, quod per misericordiam recipiamur. Hæc
 & plana & perspicua sunt pijs, & prorsus sine
 sophistica.

Nec utar illa solutione, mereri opera bona re-
 missionem præsentium pœnarum: etsi id uerum est,
 tamen Daniel non tantum de remissione pœnarũ,
 sed prius de remissione culpæ dicit. Cæterum sæpe
 loquitur scriptura de remissione pœnarum præsen-
 tium: ut eleemosyna liberat à morte, id est, meretur
 ne opprimamur periculis. Item, Honorans patrem
 faciet placationem pro peccato: uidelicet, quod ad
 pœnam præsentem attinet, si eris beneficus erga pa-
 rentes, doctores, gubernatores ecclesiæ, tibi quoq;
 Deus mitigabit ærumnas.

Maxima uirtus præcipuè iustificat: Dilectio est 16
 maxima uirtus: ergo dilectio præcipuè iustificat.

Respondeo: Maior est uera, de iustitia legis. Si le-
 gi satisfaceremus, essemus iusti propter proprias
 uirtutes, & maxima uirtus plus conduceret: ut de
 Christo uere possumus dicere, eum maxime dilectio-
 ne iustũ esse. Sed quia nos legi nõ satisfacimus, reci-
 pimur propter mediatorẽ, non propter propriam
 dignitatem, seu propter nostras qualitates. Ideo de
 reconciliatione non ualet maior, Maxima uirtus
 maximè reconciliat. Imò solus mediator recõciliat.
 Est uirtus omnium maxima, ardere dilectione Dei:
 sed etiam renati, & qui multum profecerunt, sen-
 tiunt uix exiguam scintillam in ipsis accensam esse.

Vt in mente fides luclatur cum dubitatione, & diabolus inturbat inuocationē uarijs spectris: Ita in corde dilectio Dei admodū languet, ut in inuocatione sentiri potest, in qua cor aut negligi se arbitrat, aut etiā fugit Deum, incurrunt & alij uitiosi motus, amor uoluptatū, gloriæ, nostræ uitæ.

Quamquam igitur existere in nobis dilectionem Dei oportet, tamē agnoscamus ingentē infirmitatē, & sciamus personam à Deo recipi, exaudiri, & iustam, id est acceptā reputari, propter mediatorē, fidem. Aliud est igitur loqui de recōciliatione & de misericordia erga nos, aliud est uirtutes ipsas inter sese conferre. Haud dubie maxima omnium uirtutum est dilectio Dei, sicut & lex requirit tanquam summam uirtutem, Diliges Dominum Deum ex toto corde, &c. Sed illa ardens flamma dilectionis ubi est? uix exigua scintilla lucet in sanctis, & difficulter retinetur. Hec si cogitabimus, melius intelligemus cur dicatur, Fide iustificamur.

Virtutū consideratio.

Iam si uis conferre uirtutes, & proprias definitiones singularū considerare, id quoque utile est. Prima est fides, quæ est nosse uerbum Dei, & assentiri promissioni gratiæ, & fiducia, qua propter Christum statuimus nobis Deū esse propiciū, et acquiescimus. Est igitur notitia apprehendens promissionem, & fiducia quietans cor propter aliud, scilicet propter mediatorē. Deinde sequitur dilectio. necesse est enim præcedere agnitionē misericordiæ. Cum

cor

cor sensit uere irā Dei, & rursus fide agnoscit Deū esse propiciū propter Christum, hac luce pelluntur iam tenebræ Epicuræ ac Academicæ, & statuit mens adiuta à Spiritu sancto, nos uere curæ esse Deo, & ab eo recipi. Incipit igitur cor se subijcere Deo, & obedire, & oritur aliqua dilectio Dei: sed nondum in hac uita sunt ardentes flammæ, quales esse deberent erga Deū. sed est quædā inchoata obedientia, qua se cor subijcit Deo, & letatur in agnitione Dei, & obedientia. Sicut in Canticò dicitur: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, & hominibus lætitia. Ideo Ioannes, ut aliquo modo ostenderet qualis res sit dilectio Dei, dicit: Hæc est dilectio Dei, ut mandata eius seruemus.

Ad has uirtutes accedit spes, quæ est proprie ^{Spes} expectatio uenturæ liberationis, à Deo promissæ. Et differt à fide dupliciter. Prior est insignis & ^{Fides & spes} præcipua differentia. Fides apprehendit promissio ^{quid differat.} nem, & applicat nobis mediatorem. Talis non est spes, sed euētus futuros expectat. Hinc facile potest intelligi, cur non dicatur, Spe iustificamur: quia ea oratio non ita monstrat uel applicat mediatorem, ut cum dicimus, fide iustificamur. Altera differentia est, fides accipit præsens beneficium, præsentem reconciliationem, sine qua non potest fieri inuocatio. Spes autem expectat futuros euentus à Deo promissos, &c.

Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit mul 17

tum: ergo propter dilectionem fit remissio.

Absolutio
peccatorū du-
plex.

Respondeo: Duplex est absolutio. alia priuata, conscientie luctantis cum ira Dei: in hac absolutione necesse est intelligi, quod fide accipiatur remissio, non propter nostras uirtutes. ideo Christus inquit, Fides tua saluā te fecit. nec nititur fides nostra dilectione, sed tantū misericordia promissa, ut constat: nec existere dilectio potest, nisi sit apprehensa remissio. Alia est absolutio publica, coram ecclesia: hæc fit propter bona opera, quæ sunt testimonia cōuersionis, ut hic Christus Phariseo declarat, cur eam recipiat, quia extent testimonia conuersionis.

Ecclesie
typus.

Ac tota historia imago est ecclesie. Semper duo sunt cœtus. Alter hypocriticus, inflatus ordinaria autoritate, et opinione iustitiæ, propterea quod uidetur utcumq; tueri doctrinam disciplinæ & legis. Quanquā autem hic cœtus non amplectitur Euangelium, tamē quia tenet gubernationē, ideo ibi Christus absidet mensæ: id est, ibi concionatur. Alter cœtus est, qui audit Euangeliū, uere agit pœnitentiā, & uera fide inuocat Deum, agnoscit filium Dei mediatorem, & prædicat Euangelium. Huic cœtui quanquam alter cœtus habet speciosiora opera, tamen Christus tribuit hic laudem dilectionis, quam sibi sumunt hypocritæ, qui arrogant sibi iustitiam legis. Sed Christus transfert hoc decus in hanc miseram mulierem: hic placet iustitia legis, ubi est uera agnitio Christi. Et in hoc cœtu sunt
ueri

veri cultus, scilicet pœnitentia, fides, uera inuocatio, dilectio, osculari & tergere pedes Christi, & ornare & defendere ministerium Euangelij, & studia necessaria ecclesiæ, sustinere pericula in confessione, labores & odia in docendo. E contra hypocritæ sunt sine pœnitentia, & sine timore Dei: quia putant se iustos esse sua disciplina, seu suis ceremonijs. Deinde sunt sine fide, quia uel confidunt sua iustitia, uel manent in dubitatione. Sunt sine dilectione, quia non potest existere dilectio Dei, & inuocatio, nisi prius agnita sit remissio. Euangeliũ uerò non ornant, sed uel delere uel premere conantur. Hic igitur Christus consolationem pijs proponit. refutat acriter Pharisæum, & detrahit ei laudem iustitiæ, ut significet se defendere suam ecclesiam contra iniqua iudicia hypocritici cœtus.

Si cui uerò hæc solutio de duplici absolutione nõ placet, utatur altera. Usitatae sunt synecdochæ: Remittuntur ei multa, quia conuersa est. Talia dicta & alibi occurrunt, et tamen synecdoche explicanda est. Quaquam necesse est simul concurrere multas partes conuersionis, cõtritionem, fidem, dilectionem, seu bonum propositum: tamen non propter nostram dignitatem datur remissio, sed per misericordiam, quæ fide apprehenditur. Hæc explicatio sumitur ex Paulo, dimicante de particula Gratias. fide propter Christum.

78 Vita aeterna uocatur merces: est ergo debita pro operibus.

Respondeo breuissimè. Vita aeterna merces, quia compensat benefacta, etiamsi datur propter aliud, scilicet propter Christum. Ut patrimonium est merces filij, etiamsi contingat propter aliam causam. Haec responsio breuis & expedita, satisfacit huic obiectioni. Nam aduersarij immodicè exaggerantes uocabulum mercedis, multa inde absurda extruxerunt, ut in locatione operarum & mercedis, uel in emptione, precij et mercedis est aequalitas. Sic finxerunt aequalitatem obedientiae & uitae aeternae, & uocauerunt obedientiam meritum de condigno, finxerunt homines legi Dei satisfacere, cõmentum sunt opera supererogationis. Et de fide intuente non nostram dignitatem, sed mediatorẽ, & accipiente remissionẽ & hereditatem uitae aeternae propter Christum, nihil dixerunt. Imò oppositum tradiderunt, cum aiunt: Spes est expectatio uitae aeternae, orta ex meritis nostris.

Ex merito uocabulo multae disputationes ortae.

Deniq; uocabulum meriti multas disputationes mouit, & Bernhardus cum se euoluere non posset, tandem inquit: Sufficit ad meritum scire, quod non sufficiat meritum. Ita agnitio propriae infirmitatis, coegit eum confugere ad Christum.

Nostra igitur explicatio est expedita. Dicimus oportere in saluandis existere poenitentiam, fidem, & inchoatam obedientiam, seu dilectionem: & tamen quia reuera adhuc in carne ingens est caligo, & in-

Et infirmitas repugnans legi Dei, agnoscendū est, quod inquit Dauid, Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Et confugiendum est ad Christum, ac statuendum, quod agentibus pœnitentiam et credentibus propter ipsum detur uita æterna. sicut ipse inquit: Hæc est uoluntas patris, ut omnis credens in filium, habeat uitam æternam. Et amentia est, fingere quod renati satisfaciant legi Dei, et sint sine peccato. Vt igitur maneat certa spes uitæ æternæ, sciamus eam dari agentibus pœnitentiam, et credentibus propter Christum.

Interim tamen, quia Deus recipit obedientiam, et si bona opera non merentur remissionem peccatorum, et hereditatē uitæ æternæ, tamen merentur alia præmia corporalia et spiritualia, in hac uita et futura. Sicut Christus inquit: Merces uestra copiosa erit in cælo. Hæc quæ dixi, cordatis et pijs conscientijs satisfaciunt.

Vera est et hæc responso: has orationes, Vita æterna erit merces, item, Reddetur cuique iuxta opera sua: phrasēs esse legis, quæ loquitur de iustitia tanquā de nostra dignitate. Et tamen fides accipiēs reconciliationē, statuit nos propter aliud, non propter nostras uirtutes placere. Quia nemo legi satisfacit, et in hac imbecillitate nature multa manent peccata. Hanc interpretationem addi necesse est ex Euangelio, quæ hoc efficit, ut mercedē intelligamus quidem compensationē, sed nō intelligamus dari re-

Legis phrasēs.

conciliationem propter nostram dignitatem, nec inchoatam obedientiam placere propter seipsam, sed in reconciliatis propter mediatorē. Hos postea sequitur cōpensatio bonorū operum.

Obiectio de
hominum se-
gnitie futura.

Illud uerò argumentū explodendū est, quod dicūt, homines segniores fieri ad benefaciendū, si ratio meriti tollatur. Dixi supra, multo grauiores esse rationes necessitatis & debiti. Præterea discriminē tenendū est promissionū. Gratuita est promissio reconciliationis et uitæ æternæ, sed legales promissiones propriè sunt additæ pro operibus. Qui dederit potū aquæ, non perdet mercedē. Et si igitur bona opera non merentur reconciliationē, nec sunt precium uitæ æternæ: nam reconciliationē præcedere necesse est, ut obediētia possit placere: tamē merentur alia præmia, ut dictum est.

Deinde quod de segnitie obijcitur, refutandum est opposito periculo dubitationis. Si dubitandum erit de uita æterna, ut doctrina illorū de meritis dicit, dubitatio magis languescit studium recte faciēdi. Sed hæc omitto. Magna caligo est in animis hominum, & horribilis infirmitas. Paucissimi uident quid sit seruire Deo. Sed pij qui aliquid lucis habent, agant Deo gratias, quod nos propter filium recipit, & quod propter hunc mediatorē hanc imbecillem & contaminatam obedientiam approbat, & ornatur præmijs, & nos excitemus ad exercitia si dei & bonorum operum. Nam in his exercitijs hæ
quæstio

quæstiones facile poterunt dijudicari.

Exposui totã controuersiã de iustificatione, seu de recõciliatione. Cum autem multi hanc sententiã oppugnēt, piæ mentis est diligēter uidere quid præcipue agatur, & ut facilius iudicare possit, ecclesiam omniũ temporũ intueatur, & sanctorũ experientiã consideret. Dicimus necessariã esse pœnitentiam, et addimus credendũ esse, quod propter filiũ Dei donetur remissio gratis, nõ propter nostram dignitatẽ. Item, quod mens nõ debeat succũbere dubitationi, sed fide uincere dubitationẽ. Præterea dicimus, necessariã esse inchoatam obedientiã: sed hanc non satis facere legi Dei, sed placere in reconciliatis propter mediatorẽ, ac manere quidẽ in renatis peccata: sed tamen discernenda esse peccata contra conscientiam, ab ijs quæ manent in sanctis. Dicimus enim amitti gratiam, cum uiolatur lex Dei contra conscientiam. Hæc non solum nihil habet absurdi, sed reuera congruunt cum consensu omnium sanctorum inde usq; ab initio.

Dictorum ep̃i
logus.

Cogita Dauidẽ cum obiurgatur à Nathan. Hic Dauid agnoscit iram Dei, et uere expauescit ac dolet. Rursus autem cum audit Euangelium, Abstulit Dominus peccatũ tuum, erigitur hac uoce, nec cogitat se habere remissionem propter suas uirtutes, sed huic uoci credit, & cogitat de promissionibus, quæ sunt datæ patribus, luctatur cum dubitatione, & fide uincit. Quid deinceps? An postea putat se legi

Davidis ex-
emplum.

se legi Dei satisfacere? Imò uerò agnoscit infirmitatē hanc procul abesse à perfectione legis. Ideo dicit, Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. & scit tamē per misericordiam placere Deo hanc iustitiā bonæ conscientie in reconciliato. Sicut inquit, Pax multa diligentibus legem tuam.

Has summas intueatur animi, quæ certè sunt perpetuus & irrefragabilis consensus sanctorū omnium temporum. nec difficile erit refutare cauillationes, quæ contra hanc sententiā excogitantur, si hæ summe fuerint in conspectu, & in quotidiana inuocatione exerceantur. Nulla enim potest esse uera inuocatio, nisi cognita doctrina de fide. Accedendum est enim ad Deum fiducia mediatoris, ut Rom. 5. Per hunc habemus accessum, &c. Item Hebræ. 4. Habentes talem pontificē, accedamus cum fiducia.

DE DISCRIMINE VETERIS

& noui testamenti.

VNA est perpetua ecclesia Dei inde usq; à creatione hominis, & edita promissione post lapsum Adæ: sed doctrinæ propagatio aliàs in alijs politijs fuit. Ac prodest considerare seriem historie, & testimonia, in quibus Deus se patefecit ab initio, & irā aduersus peccata & misericordiā erga conuersos declarauit. Nam ut sciremus doctrinā ecclesie solam primā & ueram esse, Deus singulari beneficio scribi perpetuā historiam ab initio uoluit, & seruauit, & huic libro scripto per patres

patres & prophetas addidit testimonia editis ingen-
tibus miraculis, ut sciremus, unde & quomodo ab
initio propagata sit ecclesie doctrina. Postea uerò
gentiũ religiones exortæ sunt, alibi alijs temerè fin-
gentibus novos deos & novos cultus, relicta prima
doctrina: nec norunt Græci, aut alij suarum religio-
num autores, & quotidie horribili licentia finge-
bant nouas, nunc sacra Bacchi, nunc Dianæ.

Quare cogitemus ingens Dei beneficium esse,
quod certum librum Ecclesie tradidit & seruat, et
ad hunc alligat ecclesiam. Tantum hic populus est
ecclesia, qui hunc librũ amplectitur, audit, discit,
et retinet propriam eius sententiam in inuocatione
& in regendis moribus. Non igitur est ecclesia
Dei, ubi reijcitur hic liber, ut apud Mahometi-
stas: aut ubi extincta propria sententia proponi-
tur commentitia, ut apud hæreticos. Quare lectio-
ne & meditatione opus est, ut propria sententia re-
tineatur: sicut de studio sæpe præcipitur. 1. Tim.
4. Intende lectioni. et Col. 3. Verbum Christi abun-
det inter uos. Spiritus sanctus testatur se uelle scri-
bi doctrinam & testimonia diuina. Psal. 101. Scri-
bentur hæc in generatione altera, & populus qui
creabitur, laudabit Dominum.

Amemus ergo & colamus studia libri diuinitus
traditi. ac primũ sciamus, in summa duo genera do-
ctrinæ in toto illo libro contineri, Legem & pro-
missionẽ gratiæ, quæ propriè uocatur Euangeliũ.

Certus liber
ecclesie tradi-
tur, ingens
Dei benefi-
cium.

Bibliorũ du-
plex doctrinæ
genus.

Hæc

Hæc distinctio lumē est uniuersæ scripturæ, ac fuit utrunq; genus doctrinæ ante Moysen.

Lex quid, Lex est notitia in creatione hominis indita menti, docens unū esse Deum, conditorē rerum, eiq; de beri inuocationē & obedientiā iuxta discriminē honestorū et turpiū, quod ipse Deus impresserat menti: & puniri contumaciā. nam imago Dei in homine erat in mente illa firma notitia de Deo, & agnitio legis, & in uoluntate cōuersio ad Deū. Etsi autem post lapsum uoluntas auersa est, et in mēte notitia obscurior facta est: tamē manet notitia, ut extet æternum & immutabile iudiciū Dei contra peccatum, testificans Deum irasci peccato.

Euangelium quid,

Sed promissio reconciliationis post lapsum non est notitia insita naturæ, sed est uox prolata ex arcano sinu patris, quæ prius omnino ignota fuit omnibus creaturis: qua uoce Deus testatus est, se homines recipere in gratiam, & deleturum esse peccatū & mortem, ac instauraturū iustitiam & uitam, propter quoddam uenturum semen mulieris.

Vtriusq; prædicatio in paradiso inchoata,

Estq; inchoata prædicatio utriusq; generis in paradiso. Legis uox est, accusatio inobedientiæ: promissio uerò erat, Semē mulieris conculcabit caput serpentis. Et erant postea Patres, ut Adam, Seth, Enoch, & alij qui legitima uocatione fungebatur sacerdotio, & propagabant utranque doctrinam.

Lex quæ prohibet homicidium, expresse prædicatur in concione ad Cain, & deinde in concione ad Noe

ad Noe repetitur. Lex, quæ prohibet uagas libidines, sancita est in paradiso. et postea propositum testimonium iudicij Dei in diluuiio, & conflagratione Sodomæ. Sic & promissio subinde magis illustrata est, cum ad Abrahamam dicitur, In semine tuo benedicentur omnes gentes.

Quid igitur proprie nominatur uetus testamentum, quid nouum? cum legem & Euangelium semper prædicari necesse fuerit, & cum eiusdem uocis ministerium perpetuo sit in ecclesia.

Respondeo, Vetus testamentum propriissimè est promulgatio legis seu pactum, quo populus Israel ad legem, & hanc formam politiam obligatus est ad hunc finem, ut in hac politia conseruaretur et propagaretur promissio de uenturo Messia, propter quam & in hoc populo erat uera electorum ecclesia.

Vetus testamentum quid.

Hic finis diligenter considerandus est, quem ignara multitudo in populo Israel non intelligebat, sed tres errores circumferebat. Primus erat, sicut promissionem terræ, hoc est certi loci possessionem & rem publicam, uidebant esse rem corporalem: sic Messiam promissum existimabant hanc politiam auturum & confirmaturum esse, non intelligebant mitti eum ut fieret uictima, ut aboleret peccatum et mortem, & hac politia euersa daret iustitiam et uitam æternam credentibus.

Populi Israel error triplex.

Secundus error erat, non intelligebant cur præcipue lex promulgata esset, non enim tantum promulgata.

Lex cur promulgata.

Lex cur pro-
mulgata.

mulgata est, ut politica disciplina hic populus re-
geretur, sed ut extaret uox Dei certo & illustri te-
stimonio tradita, qua patefactum esset iudiciū Dei
eternum & immutabile aduersus peccatum, ut ira
Dei agnita quaereretur promissio Messiae. Sed mul-
titudine ignara tantæ rei, existimabat legem tantum
esse politicam disciplinam, & externa obedi-
entia satisfieri legi Dei: nec intelligebat peccata in-
teriora, dubitationes de ira et de misericordia Dei,
non uere expauescere, non ardere fide & dilectio-
ne, non acquiescere in Deo fiducia auxilij diuini,
in inuocatione dubitare an Deus accipiat preces;
denique habere innumerabiles errâtes motus. Hæc
mala multi fingebant non esse peccata, nec pugna-
re cum lege Dei.

- 3 Tertius error erat: Peccata & lapsus suos fin-
gebant compensari sacrificijs, et mereri se remissio-
nem peccatorum, mactatione pecudum, & alijs ce-
remonijs. Et hac opinione cumulabant sacrificia.
Imò & nouas ceremonias excogitabant, aut ethni-
cas recipiebant: mactabant liberos suos, ut magno
& difficili opere plura bona mererentur, ut huma-
na cæcitas ad hunc errorem prona est, ut putet ope-
ra à nobis excogitata magnifieri à Deo. Hi tres er-
rores late grassabantur in hoc populo.

Sacrificia.

Sed tamen semper seruauit Deus in hac ipsa po-
litiā aliquā ueram ecclesiam, hoc est cœtū rectē sen-
tientem, ut Esaiæ 1. dicitur: Nisi Dominus reli-
quisset

quisset nobis semen, sicut Sodoma essemus, &c. Taxabat igitur uera ecclesia errores, & reuocabat alios quos ad ueram Dei inuocationem: docebat hanc politiam constitutam esse, ut esset certa sedes & certus locus ecclesiae, donec ueniret Messias, ut in hoc loco interim cōse ruaretur et propagaretur promissio. testabatur hunc Messiam mitti, ut fieret uictima pro peccato, & daret iusticiam & uitam aeternam, non imperium mundi in hac mortali uita.

Ecclesie uere
in Ver. test. re
licte doctrina
cuiusmodi.

Deinde & de lege docebant externam obedientiam, & disciplinam non satisfacere legi Dei, nec placere Deo nisi prius iacto fundamento, hoc est, agnita promissione Messiae, ac propter eum accepta remissione peccatorum, & reconciliatione. Hanc fidem docebant oportere praelucere in inuocatione, quod Deus propter hunc Messiam uere reciperet ipsos, & audiret preces. Hac fide docebant inchoandam esse hanc partem legis in corde, uidelicet decalogum, de dilectione, de inuocatione, de timore Dei.

Sic et de ceremonijs, concionabantur nequaquam traditas esse, ut essent precia pro remissione peccatorum: sed ut essent signa uenturi Messiae, & testimonia professionis, ac exercitia admonētia de fide et inuocatione, nec ualere nisi prius iacto fundamento, uidelicet, agnita promissione Messiae, & accepta remissione peccatorum, & inchoata illa prima parte legis, scilicet, Decalogo.

Ceremoniæ
Ver. testamēti

Sic & de tertia parte legis, id est de iudicialibus,

x doce

docebāt placere politica officia, iactō fundamēto, id est, agnita promissione Messie, et accepta remissione, & inchoata in corde illa prima parte legis, scilicet, decalogo, ut fiducia auxiliij diuini, et propter gloria Dei, et dilectionē proximi fierēt politica officia: nō sicut ea faciebāt Alexāder, Sylla, Marius, et similes, cū contēptu Dei, pprie potētiae ac utilitatis causa.

Sic Prophetæ monstrabant promissionē et usum legis, ecōtra uerō superstitionas opiniones taxabāt, ut Hieremie 7. Nō praecepi patrib. uestris de holo caustis. et Psal. 50. Holocaustis nō delectaberis. Hæc et similia dicta uidebantur aperte pugnare cū lege, quare impij reges et pontifices armati prætēxtu legis crudeliter sæuiebant in Prophetas. Sed Prophetæ hoc uolebant lege non postulari ceremonias, sine noticia & fiducia Messie, et sine pœnitētia, seu ut uulgo loquuntur, ex opere operato, & cum cæteris erroribus, quos ignara multitudo affingebat.

Politie Mo-
saicæ consti-
tutio proprie
Test. uetus.

Quod autem constitutio illa politie Mosaicæ dicatur proprie uetus testamentum, confirmant hæc dicta Gal. 4. Hæc sunt duo testamēta, unum quidem ex monte Sina ad seruitutem generans, id est obligās ad hanc politiam: quæ etsi erat magnum beneficium (gratissimum est enim scire certam ecclesie sedem) tamen seruitus erat, id est, nondum erat illud summū bonum, noua & æterna uita, quæ erit uera libertas exhibenda in nouo testamento. Sed erat ministerium legis, prædicans iram aduersus peccatum, & coercens

coercens disciplina, & erudiens populum umbris quibusdam de futuris bonis.

Sic ad Hebr.æ. 7. uetus testamentum ait abrogari, quod fuerit imbecille et inutile. Non loquitur de promissione uenturi Messiae. Hæc non fuit inutilis patribus: sed lex fuit infirma & inutilis, scilicet ad iustificationem, seu ad tollendum peccatum & mortem. Hoc ipsum enim uult dicere, Etsi magnum beneficium erat dari certam ecclesie sedem in terris, constitue re pulchram politiam et disciplinam, tamen hæc bona omnia erant res interituræ, & morti obnoxie: non erant iusticia & uita æterna.

Lex quatenus inutilis patribus.

Sic & clare Ieremias cap. 31. uocat uetus testamentum fœdus, quod factum est cum educeretur populus ex Aegypto. Et eruditissime discernit uetus & nouum. Vetus fuit promulgatio externa legis, & declaratio iudicij aduersus peccatum, & constitutio politie, ut certa sedes esset uerbi & testimoniorum Dei. sed nouum non erit externa promulgatio legis, sed noua & æterna uita, lux & iusticia, lege ardente in cordibus, abolita morte & peccato. Complectitur enim Ieremias totum & integrum effectum noui testamenti: ut plerumque Prophetæ de beneficijs Messie loquentes, non tantum de inchoatione concionantur, sed de tota & integra instauratione nature, fitq; ita illustre discrimen noui & ueteris testamenti, cum illa noua cœlestis & integre liberata natura, ab omnibus malis con-

Nouum testamentum quid a ueteri differat.

fertur ad ueterem naturam, subiectam legi et morti.

Vetus test.
sur sic appel-
latum.

Huc etiam appellationes referantur. Vetus, sic dicitur & propter tempus, & propter subiectum: quia legis promulgatio tempore antecedit instaurationem naturæ, inchoatam resurgente Christo, & complendam, cum tota ecclesia resuscitata ornabitur sua gloria. Deinde propter subiectum dicitur uetus, quia hæc uetus natura premitur iudicio legis, et coercenda est disciplina legis. Ac ut uetustas naturæ manet in hac uita: sic manet lex, & hoc ingens onus quod lex in maledictionibus denūciat, id est manet ira Dei æterna, nisi ex Euangelio fuerit accepta remissio. Deinde manent & ingentes calamitates, quæ sunt pœnæ, quibus Deus omnium peccati extra ecclesiam & in ecclesia punit: grassantur bella, morbi, inopiæ, uastationes, exilia, iniuriæ, desertiones, perfidiæ, distractiones amicorum: denique dolores innumerabiles. Has ærumnas sciamus non casu accidere, sed perpetuam uocem legis esse, quæ hanc miseram naturam admonet de ira Dei æterna, & frenat ac coercet. Nec putemus deleta politia Mosaiica, propterea desisse iudicium Dei & maledictiones aduersus peccata. Inchoatur quidem benedictio & liberatio in ijs qui credunt Euangelio, & ira Dei æterna remittitur. Sed donec uetustas corruptæ naturæ manet, simul manent aliquæ pœnæ.

Ærumnæ in
ecclesia, legis
uox.

Nam uox legis moralis & maledictiones, ideo reuelatæ sunt, non quod ad illum populum tantum pertine-

tinerent, sed ut alicubi extaret testimonium & iudicium Dei aduersus peccatum in toto genere humano. Dicitur ergo uetus Testamētum hoc onus, quia premit totam ueterem naturam non solū in impijs, sed etiam in sanctis ante integram liberationem. Sed his consolatio, auxilium et misericordia proponitur in Euangelio, & eatenus maledictio abrogata est. At impij pereunt iuxta maledictiones sine liberatione, ut multi præstantissimi homines horribiliter perierunt oppressi, simul præsentibus calamitatib. et æterna ira: ut Saul, Pōpeius, Cæsar, Crassus, Cato, et sunt in conspectu quotidiana exēpla congruentia cum uniuersa mundi historia. Cum enim natura hominum sit rea, premitur maledictionibus legis.

Vetus test.
cur onus di-
ctum.

Ex his quæ recensui, satis intelligi potest, quomodo quadrent appellationes ueteris & noui testamēti, si tempus promulgatæ legis & integra instauratio conseratur: Item si cogitemus ueterem naturam premi et coerceri, ante integram instauratiōē. Idq; cum cogitamus singuli suas ærumnas, sciant esse legis concionem, qua de ira Dei admonemur, ut queramus Messiam: sciant frenos nobis iniijci, ut hæc uetustas naturæ coerceatur.

Nouum testamentum est prædicatio remissionis peccatorum, & donatio uitæ æternæ, ac nouæ iusticiæ deletio peccato, & deleta morte propter Christum mediatorē. Cumq; nominatur nouum testamētum, inchoatum intelligamus in omni prædicatione

Nouum testa-
mentū quid.

Euāgelij inde usq; ab initio datæ promissionis: et cō pleri intelligamus in tota ecclesia, cum ex morte resuscitata induet æternam gloriam.

Et huius ingentis gloriæ exemplum in capite, & aliquot membris uiderūt Apostoli, cum uiderunt resuscitatum & ascendentem Christum. Ibi enim uiderunt integre in illis abolitam esse mortalitatem, uiderunt nouam naturam fulgentem luce diuina, noua iustitia & uita.

Hieremiæ
locus.

Sic de nouo Testamento Ieremias locutus est, cō plectens non tantum prædicationem Euangelij ante resurrectionem, sed integrum beneficium, cap. 31. Dabo legem meam in corda eorum, & ero eis in Deum, & erunt mihi in populum: & non docebit ultra uir proximum suum dicens, Cognosce Dominum: omnes enim cognoscēt me, quia ero propicius iniquitati eorum, & peccati eorum non recordabor amplius. Pugnancia hic dici uidentur. Primū enim inquit, seriam nouum pactum. At uerò pacta fiunt uerbo aliquo, & ministerio uocali, per quod Deus suam uoluntatem declarat. & saepe alias dicitur, in nouo Testamento propagandum esse nouum uerbum, ut Esaia 6. Spiritus Domini super me, ad annunciandum afflūctis misit me. Postea uero inquit, Non docebit ultra uir proximum suum. Hic inquit, Ministerium uocis humanæ desitutum esse. Hæc cōgruunt recte distributa.

Noui testamē
ti inchoatio
& completio.

Inchoatur enim nouum Testamētum in hac mor
tali

tali uita, per ministerium prædicandæ promissionis omni tempore. Sed completur integre exhibita luce, iusticia & uita æterna, in qua ministerium docendi mandatum hominibus cessabit, & coram fruemur æterno conspectu Dei. Interim uero etsi est inchoatum nouum Testamentum in renatis, tamen quia uetustas carnis manet, caro (ut supra dictum est) horribiliter premitur maledictionibus legis, hoc est calamitatibus omnis generis, ut agnoscat ira Dei aduersus peccatum, & quærat mediator. Item, ut peccatum coerceatur, et puniatur: Ideo ut supra sæpe dictum est, maxime ecclesia ingentibus calamitatibus oppressa est, quia præcipue in ecclesia Deus iram suam aduersus peccatum uult conspici. Sed tandem tandem ecclesia prorsus & peccatum exuet, et liberabitur ab omnibus pœnis, & ornabitur æterna uita et gloria. Sicut hic dicitur, Peccati eorum non recordabor amplius.

Sic 2. Corinth. 3. Paulus discernit nouum Testamentum, & quidem doctrinam tradit grauissimam, & dulcissimam consolationem. Doctrina hæc est. Vetus Testamentum uocat literam & ministerium mortis, id est legem accusantem & damnantem homines. At nouum uocat ministerium spiritus, id est prædicationem Euangelij, per quam datur spiritus sanctus, inchoans in corde illâ nouâ lucem, iusticiã & uitã. ut Rom. 8. dicitur, Accepistis spiritum adoptionis filiorum, quo clamamus Abba pater. Agnita

Pauli de Vet.
& Nouo test.
sententiã.

miseriordia per Euangelium, non iam fugiunt mētes Deum, sed accedunt ad eum tanquam patrem: et ut accedant, adiuantur spiritu sancto, inuocāt, credunt, & acquiescunt in promissionibus, cum considerant Deum fœdere æterno & immutabili sibi adiunxisse humanam naturam, cum filius natus est ex uirgine, id est cum duæ naturæ diuina & humana in filio copulatæ sunt, tenent euidentis testimonium, quod ostendit Deo uere curæ esse genus humanum. cum audiunt hunc filium mitti, ut sit uictima, & sit autor nouæ & æternæ uitæ, sicut Esaias inquit, Pater æternitatis: ad ipsum cōfugiunt. & hæc ipsa uox Euangelij, est potentia Dei ad salutem omni credenti: id est, per hanc datur spiritus sanctus, & inchoatur noua & æterna iustitia.

Euangelij potentia Dei.

Consolatio est addita. Miretur aliquis, cur noui Testamenti gloria tantopere celebretur à Prophetis: cum illa collectio ecclesiæ, quæ fiebat per Apostolos, nequaquam habeat tam conuenientem ordinem, tam certos gubernatores, tales uictorias & miracula, sicut eductio ex Aegypto, & constitutio politiæ.

Hic respondet Paulus: imò illa gloriosa facta omnia exhibita sunt, ut essent testimonia nō tantum de illa peritura politiæ, sed de promissione futuri & æterni regni. Ac docent, ut credamus, cum adfuerit Deus illi perituræ politiæ, multo magis adfuturum esse isti suo æterno regno. Offenduntur humana iudicia, cum uident ecclesiam esse dispersos & uagos cœtus

æcetus, sine præsidij humanis, sine potētibus gubernatoribus, deniq; sine ordine. Deinde singuli sua infirmitate excruciantur, querunt quid prosit Euangelium, & nomen Christi, cum non sentiamus in nobis noua & miranda dona, item relinquamur in ærumnis, sicut alij damnati homines in hac uita.

Aduersus has tentationes opponit Paulus hanc collationem. Si peritura politice ministeriū fuit gloriosum, quanto magis hoc ministerium salutis æternæ erit gloriosum: id est, erit efficax in his qui Euangelium amplectuntur, & mirabilibus modis seruabuntur? Angimur animis in tantis tumultibus rerum humanarum, metuumus ecclesiæ, doctrinæ, literarum interitum: & hæc pericula monent, non humanis consilijs, sed diuinitus inter tantas regnorum confusiones & ruinas seruari ecclesiam. Id uult Deus considerari, & uult peti defensionem. & ne frangamur animis, tradidit promissiones, mansuram esse Ecclesiam in terris, usq; ad finem mundi, sicut clare inquit Christus Matth. ultimo: Ecce ego uobiscum sum, usque ad consummationem seculi. Iam cum ecclesia māsura sit, necesse est Euangelium esse gloriosum, id est efficax: necesse est protegi ecclesiam mirabilibus operibus Dei, necesse est & studia aliqua literarum manere, etsi in hac ultima senecta mundi omnia erunt imbecilliora & deformiora. Sed tamen cogitatione harum consolationum nos confirmemus, & ad precandum excitemus.

Pauli collatio
aduersus ten-
tationes.

Promissio de
ecclesia usque
ad finem muni-
di mansura.

Noui testamē
ti descriptio-
nes in prophe-
tis.

Sunt autem plurimæ noui testamenti descriptio-
nes passim in Prophetis, in quibus simul mentio fit
& passionis Christi, & beneficiorum, uidelicet re-
missionis peccatorum, & regni æterni, hoc est, nouæ
& æternæ iustitiæ & uitæ, ut Esaiæ 53. & Daniel.
9. Septuaginta hebdomades præfinitæ sunt popu-
lo tuo, ut in his aboleatur peccatum, & exhibeatur
iustitia æterna. Item, Occidetur Dominus. In his di-
ctis breuiter summæ rerum, quæ in nouo Testamen-
to fient, comprehensæ sunt.

Zachariæ lo-
cus.

Sic & Zach. 9. dicitur, Tu quoq; in sanguine te-
stamenti tui emittes uinctos tuos de lacu, in quo nõ
est aqua. Breue dictum est, ut multa sunt in Prophe-
tis, sed collatione fiunt perspicua. Vocat sanguinem
testamenti, sanguinem uictimæ, per quam testamen-
tum de rebus æternis condendum & confirmandũ
est, uidelicet sanguinem Christi. Norant enim Pro-
phete, non tolli peccatum sanguine pecudum, sed
eas uictimas signa esse alterius uictimæ. Educes, in-
quit, uinctos tuos de lacu: id est, ex morte æterna
captiuos illos, uidelicet qui erunt tui. & quidem e-
duces sanguine, id est uictima quæ promissã est, ut res
æternas restituat, uidelicet placata ira morte filij dei.
Cõplectitur ergo mortẽ Christi, & æterna beneficia.

Deinde quale sit hoc regnum, quales actiones præ-
cipuas habiturum sit, describit cap. 12. Effundam
super domũ Dauid, spiritum gratiæ & precũ. Hic
nominat propria noui testamenti bona. Spiritus gra-
tiæ

Haec est spiritus sanctus, quo adiuuantur corda, ut ag- Spūs gratiae
noscant audito Euangelio, & credunt se recipi in
gratiam, statuunt uere placatam esse iram Dei. Po-
stea uero agnita misericordia inuocēt. Ac praecipue Inuocatio so-
lius Ecclesiae
cultus.
nominat inuocationē, quia haec est solius ecclesiae cul-
tus, prorsus ignotus omnibus ignorātib. Euangelii.

Ac simul doctrina & consolatio traditur. Admo-
nemur ut inuocemus: & significatur, hunc cultum
Deo gratum, & non irritum fore. Haec descriptio-
nes, & similes in Prophetis, utilissimē nos de nouo
Testamento, & beneficijs noui Testamenti erudiūt,
quae quidem propius aspiciemus, cum has amplissi-
mas consolationes ad usum nostrum transferemus, et
Spiritus inuocationis excitabimus.

Et plerunq; Prophetae de nouo Testamento di-
centes, simul de poenis impiorum praesentibus & a-
ternis concionantur, ut Amos 9. Ecce oculi Dei su Amos locus
per regnum peccans, & conteram illud: ueruntamen
non conteram regnum Iacob. Ecce ego mundabo et
concutiam in omnibus gentibus domum Israel, sicut
concutitur triticum in cribro, & non cadet granum
super terram: gladio morientur omnes peccatores.
In die illa suscitabo tabernaculum, &c. id est, Cum
colligam mihi ecclesiam, simul horribilibus poenis de-
clarabo iram aduersus impios, deletis regnis excer-
pam & seruabo exiguam multitudinem: ut deleta
Ierosolyma, & dissipata gente Iudaica, excerpta
sunt reliquiae praedicatione Apostolorum, & postea
dila-

dilacerato imperio Romano, ciuilibus & barbaricis bellis, tamen ecclesia collecta est: & nunc tristissimi regnorum motus & excidia sunt poenae fatales mundi, inter quas tamen Deus excerpit ecclesiam: & cum glorificabit totam ecclesiam, simul in aeternas poenas abijciet impios.

Esaiæ locus.

Sic describit nouum Testamentū, Esa. ca. 65. de inchoatione & prædicatione loquens: Ecce ego ad gentem, quæ nesciebat me. Deinde de poenis impiorū: Vos qui dereliquistis Dominū, in caede corruetis. In terim tamē inquit excerpi ecclesiā, ut si una uua inueniatur, ne disperdā (inquit) totū. Et de completionem noui Testamenti addit, Ecce creo caelos nouos, &c.

Hæc dicta prophetarum consideranda sunt, ut inchoationem & completionem discernamus. Item, ne tristissimo spectaculo ruentium imperiorum fracti, existimemus nullam esse Dei ecclesiam: sed sciamus, inter has horrendas confusiones, tamen querendum & retinendum esse uerbum Dei, & eos qui se fide, uoluntate, inuocatione, & confessione cum uera ecclesia coniungunt, esse membra populi Dei, ubicunq; sunt, etiamsi inter tumultus regnorum seruitute aut morte opprimuntur. Hanc consolationē pijs necessariam esse hoc ipso tempore, omnes intelligunt. Sæpe enim hac tentatione sani concutiuntur, An Deus prorsus abiecerit has gentes, ubi non manent Ecclesiasticæ politiæ. Hic multi ruunt in desperationem, pauci pij uix magno certamine eluctantur.

HOS

Hos dolores describens Osee cap. 13. cum etiam de Osee loci 9, nouo Testamento dicturus est, inquit: Dolores parturientis ueniēt eis. Sed de manu mortis liberabo eos: Ero mors tua, ò mors. Quid uocet dolores parturientis, satis intelligunt nunc sani, qui afficiuntur conspectu Turcici latrocinij, & aliorum tumultuum ac cōfusionum in multis locis. Sed addita est consolatio, quæ pios hortatur confugere ad promissionem noui Testamenti: Ero mors tua, ò mors. Item: Omnis qui inuocabit nomen Domini, saluus erit.

Dixi quid sit nouum Testamentum. Ac monui, considerandum esse, quæ dicta de inchoatione, quæ de completionem loquantur. Dicitur enim nouum Testamentum, & quia promissio post lapsum tradita est, & quia inchoatur noua & aeterna iustitia & uita, quæ bona integre post resurrectionem exhibebuntur. Nunc uero ecclesia in hac infirma natura subiecta est cruci, & imperia mundi omnia fatalibus pœnis concutientur usq; ad finem. Quare etiamsi deleta est politia Israel, & cum ea ceremoniæ & forenses leges extinctæ sunt, tamen uox legis quæ indicat peccatum, uidelicet uox Decalogi, semper manet, manent & pœnæ: sed pijs mitigantur.

Nouum Testamentum appellatio unde.

Sicut autem in politia Israel Deus pacem, & alia uitæ commoda promisit populo, si obediret: sic ecclesia quanquam dispersus cœtus est, nec habet certum imperium, aut certam sedem, tamen quia huic uitæ opus est uictu & hospitio, promissiones habet, non
de

de certa sede, sed de hospitij & uictu in genere.

Prudenter igitur exempla poenarum & honoru Israel accommodanda sunt. Vt ibi polluti idolis, libi dinibus, & alijs sceleribus, puniti sunt: ita nunc uagantur poenae per omnes pollutos, quia iudiciu Dei aduersus peccata idē est omnibus temporibus. & exempla illa proposita sunt, ut uocē legis & iudicium Dei uniuerso generi humano, & omnibus aetatibus declarent, & nos ad poenitentia hortentur. Deinde ut Dauid, Esaias, & multi alij inuocantes Deū, exaudiuntur & defenduntur in sua uocatione: Ita & nūc sciamus, Deum ecclesiae etiā cū dispergitur, tamen hospitia aliqua daturum esse, ut tunc dabat Eliæ exulanti nidulum apud uiduam Sareptanam.

Iudicium Dei aduersus peccata idem omnibus temporibus.

Discrimen ueteris test. & noui.

Sed tamen discrimen esse sciamus, nobis non est promissum regnum, non promissa est certa sedes. Sed in genere sciamus, Deum in hac uita daturum esse hospitia ecclesijs & studijs, sicut nascenti Christo hospitium fuit in praesepi. In hanc sententiam inquit Paulus, 1. Timoth. 4. Pietas promissionem habet praesentis & futurae uitae.

Promissiones corporaliu bonorum cur traditae

Ac ualde prodest intelligere, cur promissiones corporaliu bonorum traditae sint. Possunt autem numerari tres causa.

1. Prima, ut refutentur Epicurei furores, hoc est ne casu aut ordine naturae tantum existimemus nobis obijci bona corporalia sine auxilio Dei, sed uere statuamus haec bona etiam Deo curae esse, & Deū nobis

bis dare hospitia, politias, domicilia, pacem, uictū, bonos successus in laboribus. Hæc sæpe inculcantur, ut Psal. 126. Nisi Dominus edificauerit domum. & sequenti, Beati omnes qui timent Dominum. Labores manuum tuarum manducabis. & Psal. 36. In diebus famis saturabuntur. & Christus inquit: Primum quærite regnum Dei, & cætera adiicientur uobis. Et quidem iubet petere panem quotidianum. & Deut. 8. Afflixit te penuria, & dedit tibi cibum, ut ostenderet quod non in solo pane uiuit homo, sed ex omni uerbo quod procedit ex ore Dei. Et de Isaac dicitur, Gen. 26. Seminauit Isaac in terra illa, & inuenit illo anno centuplum, benedixitq; ei Dominus, & locupletatus est. & Gen. 38. Si fuerit Deus mecum, & custodierit me, & dederit mihi panem. Deniq; sparsa sunt ubiq; testimonia, auxilio Dei hanc corporalem uitam defendi & iuari rebus necessarijs.

Secunda causa est, cur promissiones honorū corporaliū datæ sint, ut sciamus Deum in hac uita ecclesiam seruaturum esse. Nam in tanta magnitudine periculorum hac consolatione nobis opus est.

Tertia causa est, ut fides, & inuocatio in petendis & expectandis his rebus necessarijs exerceatur, & crescat agnitio bonitatis & præsentiae Dei, ac si mul crescat gratitudo. Ideo Paulus inquit Rom. 5. Tribulatio patientiã efficit, patientia probationem, probatio spem, spes autẽ non confundit. Cum uidet

Paulus

Paulus exaudiri se precantem in naui, & seruari omnibus, quanquam fracta naui, agnoscit presentiam Dei, & hoc testimonio fides fit ardentior & firmitior, & accenditur gratiarum actio.

Duo obiecta
in petitione
corporalium
honorum.

Harum causarum cogitatione, nos quoque fidem exerceamus in petitione corporalium honorum. Exerceamus & gratiarum actionem. & quanquam oportet singulos paratos esse ad obedientiam in calamitatibus, tamen sciamus in hac precatione duo obiecta comprehendenda esse. Oramus pro toto corpore ecclesie, & pro nobis ipsis. Petimus ne bellis tota ecclesia deleatur, ac pro uniuerso cœtu certò impetramus. Quanquam autem non semper singulis tollitur malum, tamen mitigatio impetratur. ut orantes pro Dauidis exercitu, primum totum exercitum orabant seruari, idque impetrabant. deinde singuli ad obedientiam parati erant, si dimicantes interficerentur: sed tamen sibi mitigationem impetrabant, ut multi seruarentur, aut certe consolationem à Deo haberent. Ut Ionathas quanquam interficitur, tamen prius ornatus & confirmatus est à Deo: & uincit ea pars tandem, quam ipse optabat superiorem esse. Hec dixi, ut in his precationibus discamus completi non nos tantum, sed totam ecclesiam, & totas politias. Et de his exercitijs homines sæpe commonefaciendi sunt.

Exposui discrimen ueteris & noui Testamenti, quod in ecclesia dextrè intelligi ualde utile est. Postremo

stremò autem hoc monèdus est lector, ut politia Mo-
saica funditus deleta est, ita ceremoniæ & sœrenses
leges, quæ non sunt præcepta naturalia, abolitæ
sunt: nec magis ad nos pertinet, quàm leges Solonis.
Sed ut natura hominis manet, ita manent naturalia.
quale est, Ne cognati in primo & secundo gradu cõ-
nubia contrahant. & inter naturalia decalogus est,
qui est præcipua pars legis, propter quam cætera cõ-
stituta sunt. Voluit enim Deus promulgationem fie-
ri decalogi illustri testimonio, ut extaret clara uox
iudicij diuini, aduersus peccata totius generis huma-
ni. Ideo tantis miraculis populus ex Aegypto edu-
ctus est, et tot annos mirabiliter in deserto defensus,
ut conspiceretur præsentia Dei, & hæc miranda fa-
cta omnia testimonia essent uocis Decalogi, quæ nõ
est abolita, sed est æternum & immutabile iudicium
Dei aduersus peccata.

Decalogi pro-
mulgatio.

Quod enim confugientibus ad Christum remittit̃
tur peccata, non propterea Deo peccatum placet,
sicut placet esus carnis suillæ, cui tunc interdictum
erat. Manet hæc uox, & est æterna, Non Deus uo-
lens impietatem tu es. Sed ingentem iram suam effu-
dit in filium, qui pro nobis intercessit, & persoluit
pœnam. Hoc precio intercedente recipimur. Qui
autem non confugiunt ad hunc filium, hi manent cõ-
demnati uoce Legis, & pereunt. Hæc aliàs copio-
sius exponemus.

Ceterũ etsi ceremoniæ Leuiticæ abolitæ sunt, ta-

men continent imagines de multis Christi beneficijs, sed dextrè explicandæ sunt. Nam praua mutatione legis Mosaicæ multi errores confirmati sunt.

Sacerdotum
ordo in lege
cuiusmodi in
statutus.

In lege honorificentissimè institutus est ordo sacerdotum. Præpositus summus sacerdos, aliæ familiæ sacrificijs, aliæ alijs laboribus destinatæ sunt. Hi ad tabernaculum, seu templum certis uicibus præstò erant. Docebant, sacrificabant, dijudicabant contro uersas doctrinæ, uersabantur in studijs. Denique nihil hoc collegio in toto genere humano pulchrius & uenerabilius fuit. Etsi enim sæpe multi ibi erant impij, et postremo tempore Pharisei & Saducæi, tamè quia Deus familiæ sacerdotum promissionè dederat, semper aliqua reliquiæ piæ manserunt, ut Ieremias, et postea Simeon, Zacharias, & alij multi.

Ministerium
uerbi in eccle
sia.

Hoc exemplum collegij omnium toto orbe terrarum, pulcherrimi, certe significat, in ecclesia semper fuisse et futurum esse ministerium uocis diuinæ, per quod Deus est efficax, & impertit uitam æternam. Monet item, hoc ministerium reuerenter colendum esse. Sed principalis functio est huius collegij, proponere Euangelium, ut Malachiæ 2. dicitur: Labia sacerdotis custodiunt scientiã, & lex requiritur ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est.

Pontificium
regnum.

Sicut autem quondam Ethnici retinuerunt ceremonias, Noë, Sem & Iaphet, amissa doctrina: sic indocti ultimis temporibus finxerunt ad imaginem sacerdotij Leuitici regnum pontificium, in quo obscuro

rata

rata luce Euangelij, dederunt pontifici imperia, & potestatem leges condendi de nouis cultibus, et ut al-
luderent ad sacrificia Leuitica, uerterunt cenā Do-
mini in sacrificium certi ordinis, quod finxerunt pro-
desse uiuis & mortuis, ex opere operato, id est, sine
bono motu utētis. Hæ deprauationes et κακοσυναίαι,
reprehendendæ sunt: et quærendū, quis tunc fuerit
pius usus sacrificiorum, & quid uere significent.

Multæ sunt dulces significationes in ceremonijs,
quæ pios de magnis rebus admonent: sed cauendum
est, ne aberret interpretatio. Pulcherrima imago est
ecclesiæ omnium temporum, Arca collocata in san-
cto sanctorum, quæ uocabatur arca fœderis.

Arca fœderis,
imago Eccle-
siæ.

Primum igitur appellatio arcæ fœderis, signifi-
cat illum tantum esse populū Dei, cum quo expresso
uerbo pactum fecit. Amisso igitur uerbo Dei, popu-
lus ille desinit esse ecclesia Dei: et singuli ita tantum
sumus uere membra ecclesiæ, cū illud pactū fide am-
plectimur, & quasi in hanc arcam nos includimus,
in qua non parietes contemplandi sunt, sed hæc ap-
pellatio fœderis, uidelicet, quæ monet Deum nobis
cum fecisse pactū, nos receptos esse à Deo. Vides igitur
hac ipsa appellatione significari, eam esse eccle-
siam, quæ fœdus, id est uerbum Dei amplectitur.

Ecclesia uere
quæ.

Deinde in arcam collocatæ sunt tabulæ decalogi:
quo significatū est, ecclesiam semper oportere cu-
stodire esse ipsorum librorum prophetarum & aposto-

Decalogi ta-
bulæ in arcā
collocatæ.

2 2 aposto-

apostolicorum, in quibus Deus se patefecit. Vbi igitur hi libri non sunt, ibi ecclesiam Dei esse impossibile est, ac seruatur arca propter hos libros. Sic semper aliquis coetus seruabitur, qui erit custos horum librorum. Ita primum professio & libri custodia significatur, ut ad huius libri conseruationem & lectionem inuitemur. Deinde significatur, qualis sit ecclesia Dei distincta à reliquo genere humano. In mentibus huius coetus, lucet agnitio Dei tradita in uerbo, & inchoata est obedientia, et olim erit integra. Talis erit populus æternus Dei, tenens in mentibus & tota natura instaurata inclusum decalogum. Arca debet dilectione Dei toto corde, tota anima, sine uitijs appetitionibus.

Propiciatorium.

3 Tertiò: Arca tegebatur tabula aurea, quæ uocabatur propiciatorium. hac appellatione significatum est, Ecclesiam tegi aduersus iram et horrendum iudicium Dei, mediatore Christo, qui quia est propiciator, Deus parcit nobis, recipit nos, ac seruat nos. Sine hoc umbraculo natura hominum opprimetur magnitudine iræ Dei.

Addita est autem promissio de propiciatorio, Exodi 25. Inde Deum locuturum esse, ibi exauditurum esse. Ideoq; hæc tabula nomē habuit propiciatorij, quia Deus eo loco uoluit inuocari, & ad hunc locum alligauit populum ita, ne alijs locis nouæ arcæ, noua templa conderentur.

Congruit autem typus. Vt enim propiciatorium est

est sedes Dei, ita Christus uere sedes est Dei, quod in Christo uere est diuina natura, et ad hūc alligata est ecclesia. nō exaudimur nisi propter ipsū, ut scriptū est, Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Quare iuuocantes sine agnitione, et sine fiducia Christi, repelluntur à Deo, ut omnes ignari Euangelij.

Suprà hanc sedem stant duo Cherubin, alas iungentes, & sese contuentes. hi significant ministeriū doctrinæ in utroq; testamento, & sunt iunctæ alæ, & facies se mutuo contuentur, ut consensus doctrinæ significetur. Eadem est uox prophetarum et apostolorum de peccato, de liberatione per Christum, de uita æterna, denique de uera agnitione Dei, & uero cultu Dei. Et tota illa pompa sacrificiorum ueterum significat unum sacrificium filij Dei, qui pro nobis uictima factus sustinuit iram Dei effusam in se, quasi ipse peccata nostra admisisset. Huius iræ, doloris, confusionis, ignominie, humilitatis magnitudinē, nulli angeli, nulli homines eloqui possunt: sed tamen excitandæ mentes sunt ad tantæ rei cogitationē. Ac rursus admonent hi Cherubin, non esse ecclesiam, ubi non est doctrinæ propheticæ et apostolicæ ministerium.

Vestes et baculi, significant etiam ministros, doctores, & scholasticos. Etsi autem hoc nostrum munus sordidum est, & longe infra imperiorum gubernationem collocatum: tamen sciamus Deo gratum

esse, ac necessarium generi humano, & à Deo mirabiliter inter ingentes procellas defendi & seruari. Plenum est igitur ueræ dignitatis, ac nos ipsi muneris magnitudinem cogitantes ornare functionem nostra diligentia, patientia, modestia studeamus, & ad uersus pericula sustentemus nos promissionibus: Ecce ego uobiscum sum, usq; ad consummationem seculi. Item, Suprà hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & contra eam non præualebunt portæ inferorum.

Etsi autem sumus, ut Paulus inquit, uasa testacea, homines miseri, infirmi, egeni, non florentes opibus: tamē fungimur legatione pro Christo, ut inquit Paulus. quam certe Deus defendet, sicut in ipsa multorum prophetarum & apostolorum uocatione declarauit, hoc munus sibi curæ esse. Quantis miraculis uocauit Esaiam, Ieremiam, Ioannem Baptistam, Paulum. Hæc non temere acciderunt, nec propter illos tantum, sed testimonia sunt utilia toti Ecclesie, quæ ostendunt Euangelium uere esse uocem Dei, & Deo curæ esse suos ministros. Hæc satis sit admonuisse de ceremonijs Leuiticis, ut studiosi cogitent typos fuisse rerum magnarum, & ad dextram interpretationem opus esse ueræ Euangelij cognitione.

Postremò: Etsi leges forenses nihil ad nos pertinent, tamen in genere admonent Deo placere uitam politicam, contractus, ordinem magistratuum, iudicia, poenas sceleratorum: ac ostendunt, pios debere in talibus officijs exercere fidem, confessionem, patientiam,

nam, dilectionem. Nam ut supra diximus, ante hæc opera politica, fundamentum teneri necesse est, uidelicet notitiam promissionis ac fidem, & inchoatam obedientiam Decalogi.

Et quia politia Mosaica optima idea & forma est politie in hoc natura deprauate statu, prudentibus gubernatoribus utile est, hanc formam considerare. Leges ethnicae in duabus rebus fuerunt negligentiores, in puniendis blasphemijs, & prohibendis uagis libidinibus. at lex diuina grauissimas poenas constituit in cultores idolorum, blasphemos, impios doctores: item, in pollutos uagis libidinibus. uoluntas igitur Dei de his delictis in lege diuina, à sapientibus gubernatoribus considerata est.

DE DISCRIMINE PECCATI mortalis & uenialis.

VT Paulus inquit, Ego aliquando sine lege uiebam: id est, non sentiebam me à lege accusari, non expauescebam, non sentiebam iram Dei aduersus peccatum, non cogitabam quanta res sit peccatum, aut ira Dei, ita maxima pars hominū secura est, ac ne leuiter quidem cogitat, quanta res sit peccatum, quanta res sit ira Dei, cum tamen poena primi lapsus, & cum tantæ calamitates totius generis humani, nos quotidie admoneāt de magnitudine iræ Dei: deniq; cū Christi intercessio & mors sit testimonium, seriò & uere Deum irasci peccato. his testimonijs aliquantum mouentur corda piorum, qui

iræ magnitudinem aliqua ex parte sentientes, petunt mitigationem pœnarum. ut, Domine, ne in furore tuo arguas. Item Abacuc: Cum irasceris Domine, misericordie tuæ recordaberis. Item Iere. 10. Corripe me Domine, ueruntamen in iudicio, non in furore tuo, ne ad nihilum redigas me. Tales aliquo modo intelligunt discrimen peccati uenialis & mortalis. Homines securi, ebrij uoluptatibus, non intelligunt hoc discrimen. Ideo & multi scriptores in hoc loco hallucinati sunt.

Peccatū mortale quid,

Etsi autem magnitudo iræ Dei uerbis describi nō potest, tamen discendi causa teneantur hæc definitio- nes. Peccatum mortale in genere est defectus, uel inclinatio, uel actio contra legem Dei, offendens Deum, non remissa, sed iam iram Dei & æternas pœnas promerens. Sunt igitur in non renatis peccata mortalia ipse morbus originis, & omnes uitiosi affectus, & omnes prauæ actiones. Etsi autem magna est uirtus Pomponij Attici, aut Senecæ, non uolunt cuiquam nocere, imò multis benefaciunt, non polluant se libidinibus, non sunt defraudatores in contractibus: tamen mentes dubitant de prouidētia, nec inuocant Deum, sed potius fremunt aduersus Deum, cum uident in tanta confusione uitæ, sæpe negligi bonos. Hæc caligo in corde magnum peccatum est, quod tamen homines contemnunt. Cū autem corda auersa sunt à Deo, uirtutes etiam talium non renatorum polluantur, nec recte reguntur. Benefacit Atti-

Cordis caligo, peccatū,

cus, sed non propter Deum. Alexandri fortitudo uere erat donum Dei, & excellens uirtus, & res quas gerit adiuantur à Deo: sed Alexander ipse non habet hunc finem propositum, ut Deo seruiat, ut sua gubernatione propagetur uera de Deo notitia: imò nec uere credit suam manum in præliando à Deo gubernari, sed existimat casu & sua uirtute res Macedonicas crescere. Ideo negligens Deum, postea se se nimium admiratur, uult se coli ut numen, interficit amicos, à quibus arbitratur se non satis magnifici fieri, ruit in libidines flagitiosas. Hæ labes ostenderunt, quale fuerit antea cor mundum. Ergo immundicia cordis & uirtutes polluebat, & postea genuit manifesta scelera.

Quanquam autem Nero & Epicurus multo atrocius peccant quam Cato, tamen utriq; sunt oppressi peccatis mortalibus horrendis, & ira Dei æterna. nec necesse est in non renatis quærere discrimen peccati mortalis & uenialis: quia omne quod non est ex fide, peccatum est. Cato est sine luce uere inuocante Deum, fugit Deum, fremit aduersus eum, cum uidet se in causa, ut uidetur, iustiore negligi, hic prorsus ei omnis de Deo persuasio elabitur, quare omnes actiones eius sunt damnatæ.

In nō renatis
discrimē pec-
cati mort. &
uenial. nō que-
rendum.
Cato.

Sed de renatis necesse est quærere, quæ habeant peccata uenialia, & qui eorum lapsus dicantur mortalia peccata.

Quanquam igitur renati, in quibus accensa est

Renatorum
peccata cuius
modi.

agnitio Christi, fides & uera inuocatio, & inchoata est obedientia, sunt iusti, placent Deo, & habent spiritum sanctum: tamen in eis adhuc in hac uita, manet ingens infirmitas, uidelicet caligo in mente de Deo, & uoluntatis ac cordis praua inclinatio, et multi uitiosi affectus. Incurrunt in animum prauas dubitationes de Deo, fiducia, timor, dilectio, & aliae uirtutes omnes multo laeguidiores sunt quam esse debeant. interim nos ipsos pluris facimus quam oportuit, & alimus in nobis superbiam, & fiduciam nostri: & hac superbia & fiducia nostri, mouemus interdum incaute non mouenda, ut Iosias pius & sanctus rex bellum intulit Aegypto offerenti pacem, et incenduntur sancti saepe iniustis odijs, flammis iracundiae & libidinum, quibus tamen repugnant. Sunt item ignorantiae & omissionis peccata plurima in sanctis: sicut clamat Dauid, Delicta quis intelligit? Nulla est enim functio, uel ecclesiastica, uel politica, uel oeconomica, cui haec humana infirmitas par esse possit. Haec mala in renatis sunt contra legem Dei ut Paulus testatur Rom. 7. et quanta sit deformitas, quanta magnitudo horum malorum, pij in ueris doloribus aliquo modo agnoscunt. Sed quia persona accepta est, accensa agnitione Christi & fide in corde, & donato spiritu sancto, & aliquo modo infirmitatem agnoscit & deplorat, & expauescit agnitione irae Dei aduersus peccatum, & petit condonationem, & repugnat primis incendijs, sunt huic personae
haec

Quomodo
mortalia peccata
sunt uestralia.

Hæc mala uenialia peccata, id est condonata, ita ut non excutiant spiritum sanctum & fidem, ac maneat persona in gratia. Hæc clare docet Paulus Rom. 8. Nulla nunc condemnatio est his qui in Christo Iesu ambulant: id est, etsi sunt in eis peccata, infirmitas illa quam dixi, & uitiosi affectus, tamen persona accepta est, & damnatio remota est. Sicut & supra inquit: Non estis sub lege, sed sub gratia.

Quod uerò dicitur, Nihil esse peccatum nisi sit uoluntarium: caliginem, dubitationem, omissiones, subitos affectus præcurrentes iudicio & assensui, nõ esse uoluntaria. Hæc cauillatio facile refutari potest. Nam dictum illud, nihil esse peccatum nisi sit uoluntarium, de iudicio ciuili loquitur, non de iudicio legis diuinæ. Imò caligo in mente, dubitationes, omissiones magnæ & multæ, non affectatæ, & multæ subitæ flammæ, sunt peccata, etiam si non sunt uoluntaria. Sicut Paulus inquit: Quod nolo malum hoc facio. & de iisdem loquitur Ioannes, inquiens: Si dicimus nos non habere peccatum, mendaces sumus. Loquitur enim de infirmitate & uitiosis motibus in renatis, non de lapsibus eorum qui contra conscientiam, id est uolentes indulgent prauis affectibus.

Sic & Paulus discernit peccata eorum qui manent in gratia, & aliorum qui effundunt gratiam, Rom. 8. Si secundum carnem uixeritis, moriemini: sed si spiritu actiones corporis mortificabitis, uiuetis. id est, si prauis cupiditatibus obtemperauerit uoluntas

Obiectio, Nihil peccatum nisi uoluntarium.

Pauli locus.

auer.

auertens se à Deo, cum sciens & uolens ruit contra mandatum Dei, abijcit pœnitentiam, timorem Dei, & hanc fidem, quod placeat Deo, sauciat animum ne possit inuocare Deum, amissa gratia & spiritu sancto iterum ruit in mortem: hoc est, accersit sibi iram Dei & pœnas, ut Adam & Eua suo lapsu amiserunt gratiam, & sibi horribilem iram Dei accersuerunt.

Actiones corporis.

Sed si spiritu actiones corporis mortificabitis, uietis. uocat corporis actiones, uitiosæ naturæ prauos motus & negligentias. Tunc autem, inquit, nos uicturos esse, id est retinere gratiam & spiritum sanctum, si uitiosis illis motibus repugnemus. Et hic gradus magis perspicue declaratur in alijs locis, ubi præcipitur, ut sit in renatis iustitia bonæ conscientiæ, 1. Timoth. 1. Finis mandati est dilectio ex corde puro, conscientia bonâ, fide non ficta.

Repugnare quid.

Tunc ergo repugnamus, quando cauemus ne scientes & uolentes assentiamur uitiosis motibus, ac indulgeamus. Est in nobis assidua caligo, & hanc deploremus: sunt impetus multi uitiosi, uel præcurrentes uoluntatem, uel simul eam aliquantisper rapien-tes: ut Paulus inquit, se captiuum duci à peccato in membris. Hic si repugnas, nec contra conscientiam obtemperas, retines gratiam & spiritum sanctum. Hæc nihil habent perplexitatis, nec opus est subtiliter & stoicè metiri gradus consensus. Rapitur enim infirma uoluntas, priusquam animaduertat: sed illud spectan-

ſpectandum eſt, quod facile intelligi & iudicari po-
teſt, ne ſciens indulgeas, ſed ut repugnes, et addit Pau-
lus, Spiritu: id eſt ueris motibus pœnitentiæ, timoris
ac fidei, expaueſcat uoluntas cogitatione iræ Dei,
deploret infirmitatem, metuat inſidias diaboli, con-
donationem petat propter Chriſtum. Petat & auxi-
lium ſpiritus ſancti, promiſſiones reuocet in memo-
riam, & tanquam ad magnum prælium ſe præpa-
ret: non admittat illecebras, ſed fortiter eas repellat,
occaſiones uitet. Habent renati ſpiritum ſanctum,
hunc non conturbent alendis & accendendis prauis
motibus: ſed ſciant datum eſſe, ut nos regat. qui qui-
dem uult nos regere & adiuuare, ſi ipſi non expella-
mus eum, ſed repugnemus uitioſis motibus. Ideo dictum
eſt 2. Cor. 6. Adhortamur uos, ne fruſtra gratiã Dei
acceperitis. Poterat Dauid retinere ſpiritum ſan-
ctum: & ab eo adiuuus fuiſſet, niſi uolens eum excuſ-
ſiſſet, & uolens aluiſſet incendium in animo ortum.

Plurima exempla ſummorum propoſita ſunt, <sup>Securitatæ la-
pſus.</sup>
qui ſecuritate lapſi ſunt, & pœnas ſibi & poſteris
acceſſuerunt: ut Adam, Eua, Dauid, Salomon. &
de toto populo dicitur: Sedit populus manducare et
bibere, & surrexit ludere. id eſt, cum eſſent ſaturi et
ſecuri, obliui ſunt Dei, & facti ſunt negligentiores,
et petulantiores, &c. Et notum eſt uſitatum dictum,
Luxuriant animi rebus plerumq; ſecundis. ac circuit
diabolus, intentus in occaſiones, ut incautos impli- <sup>Diaboli inſi-
diar.</sup>
cet lapſibus inextricabilibus. Texit enim longam te-
lam,

lam, uidet ex uno lapsu multa mala secutura esse: ut ex lapsu Adæ, Dauidis, Salomonis, quanta moles peccatorum & calamitatum secuta est? Hæc exempla & quotidiana naturæ calamitates, semper nobis in conspectu sint, ac nos de horribili ira Dei aduersus peccatum admoneant, & precatio pellat securitatem. Sicut inquit Salomon, Beatus qui semper est pauidus. Item, Orate ne intretis in tentationem.

Etsi igitur morbi hærentes adhuc in renatis in hac uita, & uitiosi affectus, non sunt leuia aut contemnenda mala, ut caligines & dubitationes multiplices de Deo, carnalis securitas, errantes flammæ libidinum & odiorum, multa magna errata ignorantie non affectatæ, & omissiones non affectatæ: nec sunt tantum *atragia*, præter legem Dei, ut monachi sinxerunt: sed uere sunt contra legem Dei; tamen donec manent in renatis bona conscientia & fides, manet etiam spiritus sanctus: neque tamen fiducia nititur propria dignitate, sed Christo. & statum ex promissione nos in gratia esse propter Christum, ac repugnamus talibus motibus, & petimus condonationem. Sic retinetur inuocatio Dei, ut 1. Ioan. 3. dicitur: Cum cor nostrum non condemnat nos, fiduciam habemus erga Deum, & quod petimus, accipiemus, quia madata eius seruamus: hoc est, credimus in Christum, & retinemus bonam conscientiam. Necessè est autem & hoc sciri, conscientiam oportere regi uerbo Dei.

Conscientia
uero Dei re-
genda.

Dixi

Dixi de ueniali peccato, sed cum hi qui fuerunt renati, scientes & uolentes uiolant legem Dei, ut cū amplectuntur impias opiniones, aut stabiliūt eas sua approbatione, aut indulgent odijs, ambitioni, flammis libidinum, auariciæ, aut externis factis ruunt contra Legem Dei, ut Dauid rapiens alienam coniugem, & astute maritum interficiens: hæ actiones contra conscientiam, sunt peccata mortalia, quæ admittens, amittit gratiam, fidem, & spiritum sanctū, & accersit sibi iram Dei: ac nisi rursus ad Deū conuertatur, abijcitur in æternas pœnas: & quia conscientia retinens propositum peccandi, contemnit aut fugit Deum, non potest Deum inuocare.

Mortalia peccata in renati.

Testimonia manifesta hæc sunt. Ephe. 5. Hoc scitote, quod omnis scortator, aut impudicus, &c. non habet hæreditatem in regno Dei. Nemo uos decipiat uanis sermonibus, propter hæc uenit ira Dei aduersus inobedientes. Clare dictum est, Deum irasci talibus, donec retinent uoluntatem talia faciendi.

Exechelis 33. Cum recesserit iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in ea: & cum recesserit impius ab impietate sua, & fecerit iudicium & iustitiam, uiuet in ea.

Eodem modo intelligantur & hæc dicta, 1. Cor. 6. Nec scortatores, nec adulteri, nec idololatræ, etc. possidebunt regnum Dei.

Gal. 5. Manifesta sunt opera carnis, adulterium, scortatio, idololatria, &c.

Manifesta opera carnis.

De his prædico uobis, quod qui talia agūt, regnum Dei

Dei non possidebunt. Ideo autem uocat manifesta opera, quia de eis conscientia facientis certo iudicare potest ex lege Dei, & scit Deo displicere malum propositum. Item 1. Ioan. 3. Nemo uos decipiat, qui facit iustitiam, iustus est: qui facit peccatum, ex diabolo est.

Conscientiā
bonam requirit
Euangelium

Præterea manifestissimum est, Euangelium postulare bonam conscientiam. 1. Timoth. 1. dicitur: Dilectio ex corde puro, conscientia bona, & fide non ficta. & in eodem capite: Milita honestam militiam, retinens fidem, & bonam conscientiam. Et 2. Corinth. 1. Hæc est gloriatio nostra, testimonium conscientie nostræ. & ad Gal. 6. Unusquisq; opus suum probet, & sic apud sese gloriationem habebit, & non ab altero. id est, unusquisq; curet ut suum opus recte faciat, sic habebit apud se gloriationem, id est testimonium & approbationem propriæ conscientie, quæ unicuique necessaria est, nec aucupabitur opinionem gloriosam ex aliorum reprehensione, nec pendebit ex alienis tantum iudicijs. 1. Petri 3. Bonam conscientiam habentes.

Propositum
peccandi retinentem
place-
re Deo non
posse.

Item impossibile est, hominem retinentem propositum peccandi placere Deo: quia clare dicitur, *U-
uo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur
& uiuat.* Iuramentum ad utrumq; referatur, ad con-
uersionem, & ad reconciliationem. Non igitur placet lapsus, donec retinet propositum peccandi.

Idem docet dictum Esaiæ ultimo: *Ad quem re-
spiciam,*

spiciam, nisi ad contritum spiritu, & trementem sermones meos? & cap. 57. Habitans cum contrito et humili spiritu, ut uiuificet spiritum humilium, et uiuificet cor contritorum. O dulcem consolationem et promissionem, insigendam intimis pectoribus: sed pertinentem ad eos qui expauescunt, hoc est, non retinent propositum peccandi, sed metuunt iram Dei.

Postremò hæc duo impossibile est simul existere, malam conscientiam, id est propositum peccandi: et fidē, quæ est fiducia misericordie Dei propter Christum promissæ. quia habēs propositū peccandi, contemnit aut fugit Deum, non accedit ad Deum. At fiducia misericordie accedit ad Deū, pontifice Christo. Experiuntur sauciatiæ conscientie, se ab inuocatione horribiliter depelli, & mergi uel in contemptum Dei, uel in desperationem.

Conscientiā
malam & fidem
simul cō
sistere non
posse.

Ideo inquit Paulus: Quod non est ex fide, peccatum est. id est, res damnata à Deo. Multi autem exposuerunt hoc dictum sic, Quod non est ex fide: id est, quod est contra conscientiam. uel quod non est ex fide, id est, quod sit contra legem Dei, peccatum est. Sed nos sciamus, & legem et Euangelium comprehendendi. Sit opus consentaneum legi Dei, et simul accedat fides, id est fiducia misericordie propter Christum promissæ, ut in Nicodemo non est malum propositum: sed tamen ante conuersionem fides deest, id est, fiducia misericordie Dei propter Christū promissæ, qua statueret sua facta Deo placere.

Quod nō ex
fide, peccatū

Peccatum re-
gnans, quid
Paulo.

Ex his omnibus perspicuum est, discernendos esse lapsus contra conscientiam, ab infirmitate & uitijs quæ hærent in sanctis. et hoc discrimen in Ecclesia retineri necesse est: Paulus uocat peccatum regnans seu dominans.

Et si autem non litigo de uocabulis, tamen aliquid lucis addit collatio appellationū. Est enim singularis emphasis in uocabulo, peccatū dominans, atrocitas & efficacia peccati describitur, quod cū non repugnans, dominatur, id est, gignit effectus horribiles, cumulat scelera, & alijs alia addit, ac subinde maiores ruinas trahit, et maiorem iram ac tristiores pœnas meretur, & in æternum exitum reos impellit. ut Saul, cum fuisset donatus Spiritu sancto, & ornatus eximijs uirutib. et insignibus uictorijs, non retinuit hoc decus, sed æmulationi succubuit.

Huic affectui primum facile erat resistere, sicut Aaron: *Saul.* repressit similes flammæ. sed Saul furorē alit: peccatum igitur dominans impellit eum primum, ut interficere Dauidem conetur: auellit eum à Deo, & excitat multiplices furores. Ruit iratus Saul, et sacerdotes interficit: auget igitur iram Dei peccatum dominans, & late seuiens. Quare Deus et ipsum et exercitum eius, et filium Ionathan, uirum sanctum, obijcit hostibus trucidandos. Hæc omnia complectitur tristissima appellatio peccati dominantis.

Apparet autem Paulum sumpsisse hanc formam loquendi ex Genesi cap. 4. ubi breuis concio recitatur.

tur, quæ tamen summam doctrinæ legis complectitur. Primum de iudicio Dei concionatur: Si bonus fueris, eris acceptus: si autem malus, peccatum tuum cubabit donec reueletur, sub te sit appetitus tuus, & tu domineris ei.

Doctrinæ legis summa, ex Genesi.

De multis magnis rebus hi pauci uersiculi concionantur. Primum docent, ita placere externos cultus, si cor sit iustum. Deinde peccantibus poenas minatur: & monet de mora, ne securitas confirmetur, quia poenæ differuntur. Ac significat futurum iudicium post hanc uitam. & mira est descriptio. Totius mundi prophana securitas uno uerbo significata est: Peccatum cubabit, seu quiescet, sed donec reueletur. Peccatum Iudæ cubabat, donec sentiebat poenam. Deinde sequitur præceptum, Sint sub te appetitiones prauæ, & tu domineris. Hic significat manere in hominibus uitiosas appetitiones, sed repugnandum esse, & Deo hanc obedientiam placere, cum in agnitione ipsius repugnamus peccatis. econtrà abijci à Deo illos, qui sinunt dominari peccatum.

Iuxta hanc concionem & Paulus ad Rom. 6. inquit, Peccatum nobis non dominabitur. Et si sunt acres impetus, magna dubitatio, odiorum & aliarum cupiditatum incendia, &c. tamen nunc non dominantur, id est, ut ipse interpretatur, non obediemus eis. cum uero dominantur, abstrahunt à Deo, et postea in uaria scelera impellunt, & poenas in hac uita

Peccatū mortale, & regnans, idem.

Et postea accersunt. Quod igitur usitate dicitur peccatum mortale, seu ut Nazianzenus nominat, *pevilōv*, id perspicue uocari potest regnans, seu dominans peccatum.

Seponenda hic disputatio de electione.

Nec opus est huc afferre disputationem de electione. nos enim iuxta uerbum Dei, in quo uoluntatem suam expressit Deus, iudicare debemus. Non est querenda alia uoluntas extra uerbum Dei, & exemplū primorum parentū perspicue ostendit, etiā

Etiā electos amittere gratiam.

electos labētes contra conscientia amittere gratia, & effundere spiritum sanctū. Certum est enim Adā & Euam amississe gratiam, et illam præstantiam donorum quam habuerunt. Ideo enim posteri nascuntur filij iræ, id est alieni à gratia, & afferentes caliginem de Deo, & auersam uoluntatem à Deo, & multiplicem contumacia. Imò magnitudo poenæ lapsus Adæ monet, quanta res sit ira Dei, quāta mala post unū lapsum sequatur. ac de multis partibus doctrinæ in Ecclesia omnium maxime insignes & illustres admonitiones in historia Adæ pponi sciamus.

Filij iræ.

Nō igitur nobis ipsis blādiamur, nec extenuemus lapsus, sed agnoscamus Deū uere irasci peccato, & proponamus nobis dicta quæ citauī, quæ de ira, de iudicio Dei, & de poenis concionantur. ut dictū est, Propter hæc uenit ira Dei aduersus inobedientes. Expauescant animi, & abijciant propositū peccandi, et ad Deū redeant, iusturandū illud cogitantes: *Vi no ego, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur*

Et

Et uiuat. Cogitemus Adæ, Dauidis, et Manassæ lapsus, pœnas et conuersiones: deploremus ingentem imbecillitatē humanæ naturæ, & simus uigilantiores aduersus illecebras, & diaboli insidias. meminerimus singula peccata mereri subitam mortem, sicut sepe adulteri & homicidæ in ipso facto subito interficiuntur: & tamen immensa misericordia Dei nobis concessum esse spaciū, ut ad Deū redire possimus, ut dulcissime dicitur Esaia 30. Propterea expectat Dominus, ut misereatur uestri. & in Luca idem significat parabola de ficu.

Peccata singula mereri subitam mortē.

Non abutamur hac tanta bonitate, sed lapsi accusamus nos uero gemitu: ut Dauid inquit, Peccaui Domino. & intueamur mediatorem filium Dei: ex fiducia mediatoris redeamus ad Deum, rursus inuocemus, petamus nobis ignosci, nos recipi & sanari, & c. Cogitemus illam dulcissimam uocem, gaudium est in cœlis de uno peccatore resipiscēte. Audiamus & uocem Euangelij. quæ cum palam in Ecclesia recipimur, confirmamur hoc ipso testimonio, ut firmiter statuamus recipi lapsos. Ac ueniat in mentē testimonium uniuersæ Ecclesie, quæ semper recipiet lapsos, ut hoc testimonium aduersus Catharos allegauit Petrus Alexandrinus episcopus. Deniq; uniuersan doctrinam de pœnitentiā intenti cogitemus, quæ de rebus maximis pios admonet, et disputationes de electione seponamus.

Postremo & hoc adijciendum est, cum dicimus

Ignorantia affectatio.

peccata mortalia esse lapsus contra conscientiam, complectimur etiam peccata ignorantiae affectatae, & omissionis affectatae, ut usitate loquimur. hanc enim uolentes accersimus, seu confirmamus: ut qui nolunt discere Euangelium, cum hac uoce, Hunc audite, toti generi humano Deus praeceperit, ut Christum audiamus, & quidem sparserit Euangelium inter omnes gentes, & addiderit testimonia non fallentia.

Euangelij ignorantia & neglectus, peccatum mortale.

Habent igitur peccatum mortale omnes Aethiopes, Turci, Iudaei, & alij damnantes Euangelium, etiamsi factentur se nec didicisse, nec intelligere. Talis erat infcitia Phariseorum, quibus inquit Christus: Si caeci essetis, peccatum non haberetis. nunc dicitis nos uidere, ideo manet peccatum uestrum.

Erant & cultus idolorum apud ethnicos, affectata ignorantia: quia uolentes amiserant, & abiecerant doctrinam, & non querebant eam rursus in Ecclesia, & receperunt furores manifeste pugnantes cum naturali noticia, quae monstrat unum esse Deum, nec colendum esse Deum obscenitate: ut apud illos erant Bacchanalium, & alia turpia sacra.

Affectata ommissio.

De affectata omissione inquit Paulus, Vae mihi si non euangelizem. & Matth. 25. Inutilem seruum eijcite in tenebras, quae foris sunt. Hac tristissimam comminationem in sua quisque uocatione consideret. Et si enim manent multa ignorantiae et omissionis non uoluntariae peccata in renatis, ut in Apostolis ante pentecostem multa erant: tamen sit in uocatione uoluntas

seru

seu studiū recte faciendi, & pleraq; recte faciamus. Hunc gradum constituit Paulus. Primum fatetur 2. Corinth. 3. humanas uires non esse pares ministerio Euāgelij: Non sumus, inquit, idonei per nos ipsos cogitare aliquid, scilicet de explicatione doctrinæ, aut consiliorum felicitum in gubernatione, aut sententiarum in iudicandis controuersijs. & omnes sapientes in qualibet, quamuis exigua functione, tamen se sepe hallucinari experiūtur. Paterfamilias sepe male cauet liberis, præter expectationem.

Sed 1. Corinth. 4. inquit: Hoc flagitatur in ministris, ut sint fideles. hoc est, ut habeant uoluntatem fidelem recte faciendi, non indulgeant ignauiæ: sed discant, laborent mediocriter, & faciant non aliena, sed sui muneris opera. Nam sedulitas fugit utrunq; Sedulitas:
uitium, ignauiam & *πρῶτον παρ' αὐτοῦ*.

DE ECCLESIA.

Ecclēsia uisibilis est cœtus amplectentium Euāgelium Dei, & obedientium Euangelio, & renatorum spiritus sancto: cui cœtui admixta est in hac uita magna multitudo nō renatorū, sed tamen de doctrina consentientiū. Vt Mariæ tempore erant Ecclesia, Zacharias, Simeon, Ioseph, Elizabeth, Maria, Pastores, & multi similes, qui de doctrina pura cōsentiebant, nec probabāt errores Pontificū, & aliorū pugnantēs cū uerbo Dei, & tamen in hoc exiguo cœtu, qui sentiebat cū Zacharia & Simeone, erant aliqui qui habebāt delicta contra conscientiā, & non erant renati.

Interim Pontifices, Pharisei, & Saducei, pugnantes cum uerbo Dei, etsi tenebāt gubernationem, tamen nō erant membra ecclesiæ: iuxta illud, Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit. Et Ioan. 8. Vos ex patre diabolo estis, quia non potestis audire sermonem meum. Sic Eliæ tempore erant ecclesia, Elias, Elisæus, & eorum auditores passim dispersi in tota gente & in uicinia. Et quia erat mediocris multitudo, ut textus inquit, Reliqui mihi septem milia, &c. huic cœtui admixti fuerunt multi, qui etsi de doctrina consentiebant, tamen culpandos mores habebant. Interim non erant ecclesiæ membra sacerdotes Baal, & similes, qui cultus pugnantibus cum uerbo Dei defendebant. Est igitur ecclesia cœtus, similis scholastico cœtui passim disperso, sed tamen professione eiusdem ueræ doctrinæ coniuncto.

Sed humana sapientia, quia talem dissipationem existimat sine capite, sine ordine, & sine gloria esse, offenditur hac imagine, & querit ecclesiam similem imperijs, alligatam ad certos titulos, & ordinariam successionem personarum, quæ tenent hos titulos, et ad quædam uincula humana: ut politiæ humanæ alligatæ sunt ad certos titulos, & humanas leges. Regnum Francicum est multitudo obtemperans regi Francorum, & legitimis successoribus, ordinata certis legibus, & utens iudicijs à suo rege constitutis. Hæc politica incurrunt in oculos, & placet ordo & coniunctio legibus & iudicijs deuincta. Ideo eccle-

Eliæ tempore
qualis eccle-
sia.

Qualem eccle-
siam querat sa-
pientia huma-
na.

clesiam cogitant homines similem politiam esse, præsertim cum & Deus tali quodam ordine instituerit politiam Mosaicam, in qua certe Moses, Aaron, Dauid, Sadoc, & similes principes & Pontifices uere erant ecclesiæ membra.

Definiunt igitur ecclesiam esse coetum amplectentium Euangelium bonorum & malorum, alligatum ad Petrum & successores, qui eodem titulo regnant, & ad eorum leges, & his successoribus et turbæ eis coniunctæ tribuunt proprias prærogatiuas ecclesiæ, quod non possint errare in fide, seu necessarijs. Hæc politica imaginatio plausibilis est. Ideo cum alia imago ecclesiæ proponitur alligatæ ad uerbum Dei, non ad titulos, loca, leges humanas, uel successionem ordinariam personarum quæ eos titulos gerunt, uehementissime commouentur homines politici, amantes ordinis & tranquillitatis. Dicunt furores esse & faces seditionum, fingere ecclesiam uelut erroneas, sine capite, sine ordine, sine imperio. Si, inquit, talis esset ecclesia, ubi quærenda esset? nec esset durabilis, imò nec uisibilis. Scriptum est autem, Dic ecclesiæ: ergo oportet uisibilem aliquem coetum esse, & uisibili ac certa politia comprehensum, ad quem referri controuersie possint. Remoueantur, aiunt, ista deliria plena absurditatis & amentiae, pugnantia cum communi sensu, fingentium talem ecclesiam non alligatam ad certos titulos, & certam politiam ac successionem.

Ecclesiæ definitio ex humana sapientia.

His declamationibus, ut Propheta & Apostoli prægrauabantur, ita nos quoque horribiliter premimur. Hæc sunt fulmina, de quibus dicitur: Et cum sceleratis reputatus est. Et Ioannis 16. Venit hora, ut omnis qui interficit uos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Item 1. Corinth. 4. Tanquam *lathrog-mura* huius mundi sumus.

Quaquam igitur ingentem dolorem afferunt moderatis ingenijs hæc falsæ criminationes, tamen animus erigendus & confirmandus est his testimonijs, quæ iubent Deo obtemperare, & fugere idola, etiamsi unus aliquis prorsus solus esset, ac à toto mundo desertus. Omnium hominum iudicijs ac uoluntatibus anteferendæ sunt hæc uoces, Non habebis Deos alienos. item, Fugite idola. item, Hic est filius meus dilectus, hunc audite.

Hanc sententiam de anteferendo uerbo Dei omnibus hominibus, creaturis, & omnibus opinionibus, discere necesse est. Nam & tunc cum luctabimur cū morte, deserimur ab omnibus creaturis. Ibi certe singuli hanc unā habent consolationē, quæ in uoce Dei proposita est. Quare exaggeretur autoritas & successio Episcoporum, quantum fieri potest: tamen cum constet defendi ab eis idola & impios errores, aduersari necesse est.

Ecclesia ubi
querenda.

Vbi igitur querenda est ecclesia? Semper deducunt nos Propheta, Christus, & Apostoli ad Euangelium Dei. Semper is coetus est ecclesia, qui retinet

Euan-

Euangelium Dei sincerum. Ad id alliganda est, non ad titulos & successionem Episcoporum. Nec est propterea inuisibilis ecclesia, sed maxime uult Deus esse cœtum uisibilem. Ideo enim condidit genus humanum, ideo redemit ecclesiam, ideo tam miranda spectacula proposuit, educationem ex Aegypto, populi defensionem, resuscitationem mortuorum, ut ipse innotescat, uult conspici & audiri ecclesiam, uult eam reclamare mundi erroribus, & suscipere certamina propter Euangelij propugnationem, sicut inquit uersiculus, In omnem terram exiuit sonus eorum. Est igitur uisibilis & certus cœtus ecclesia, sed tamen imperijs regum dissimilis, subiectus cruci, & in hoc mundo miserabiliter dispersus, ac talis sit ecclesia Dei inde usq; ab initio, aliàs magis, aliàs minus ærumnosa.

Ecclesia uisibilis quomodo.

Ecclesia semper ærumnosa.

Erat ecclesia familia prima, sed Cain statim discessit à parentibus, & posteritas ab eo orta condidit urbem, & antecelluit potentia. Sic post diluuium condita Babylone, fuit admodum exigua ecclesia, familia Sem, Abrahamæ, Loth, Abimelech, & aliquæ uicinæ familiae. Postea in Aegypto facta est magna accessio, cum Ioseph regem Aegyptium, & magnam populi partem de uero cultu Dei docuisset. sed breui successerunt impij reges, qui abiecta uera doctrina in staurauerunt idola, & amplexi sunt studia magi, & ecclesiam dura seruitute oppresserunt.

Ecclesia qualis iam inde ab initio.

Postea in populo Israel, etsi iam sedem aliquam

& certam politiam erat nacta, ut esset certus locus
 in quo filius Dei nasceretur, & certa testimonia e-
 derentur, tamen quantum fuit calamitatum? plerun-
 que dissidium fuit inter Reges & Prophetas. Erat i-
 gitur ecclesia oppressa seruitute, uidelicet Prophe-
 tæ & eorum auditores. Postea cum Apostoli in to-
 tum orbem missi essent, & Romana monarchia se-
 uiret in discipulos Apostolorum, qualis ibi fuit ec-
 clesiæ politia? Et sæpe in eo corpore quod uocatur
 populus Dei, fuerunt reges & pontifices hostes ec-
 clesiæ. ut reges Israel defendebant cultum Baal, inte-
 rim alius cœtus erat ecclesia, qui audiebat prophe-
 tas, Eliam, Eliseum, & alios. Et Arianis temporibus
 maxima pars Episcoporum erat contaminata uene-
 no Arij, interim erat ecclesia alius cœtus, qui retine-
 bat puritatem Euangelij. Semper enim Deus suas a-
 liquas reliquias seruat, ut inquit Esaias: Nisi reliquis-
 set nobis Deus semen, sicut Sodoma & Gomorra facti
 essemus, & Sophon. 3. Et faciã reliquum populũ
 pauperem, & egenũ, sperantem in nomine Domini.

Et semper in eo cœtu, qui sincere retinet Euan-
 gelium, sunt aliqui uere Deo placentes, & heredes
 uitæ æternæ. Promisit enim Deus, se Ecclesiam sibi
 aliquam semper seruaturum esse, & seruat suis bene-
 ficijs, non humanis consilijs, uinculis, ordinationi-
 bus, & præsidijs. Ideo apud Esaiã cap. 59. dicitur:
 Hoc est fœdus meum cum eis, dicit Dominus, spiritus
 meus qui est in te, & uerba mea, quæ posui in ore
 tuo,

tuo, non recedent ab ore tuo, neq; ab ore seminis tui, dicit Dominus, nec à posteris tuis usq; in sempiternum. Hoc dictum affirmat, semper mansuram esse aliquam ecclesiam. & quidem docet ubi sit, uidelicet Ecclesia ubi. ubi retinetur hoc ipsum uerbum, quod est in ore prophetæ Esaiæ, hoc Euāgelium per ipsum promissum, ibi etiam erit spiritus sanctus efficax.

Sic & Christus inquit, Ego uobiscum sum usque ad consummationem seculi. nec alligat se Christus ad titulos Episcoporum, sicut ipsi interpretantur: sed ad eum coetum, in quo sincere sonat uox Euāgelij, ut clare testantur hæc dicta. Ioan. 10. Oues meæ uocem meam audiunt. Ioan. 15. Si manseritis in me, et uerba mea manserint in uobis, quicquid uolueritis, petetis, & fiet uobis. Gal. 1. Si quis aliud Euāgelium docebit, anathema sit. Ephes. 2. Aedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, super angularem lapidem ipsum Iesum Christum, in quo totum ædificium coagmentatū crescit in templum sanctum Deo. id est, ædificati super uerbum traditum per Prophetas & Apostolos. Ad id nos alligat. & ibi Christus testatur, exaudiri homines: Si uerba mea manserint in uobis, quicquid petetis, fiet uobis.

Ex his dictis perspicuum est, Ecclesiam ad Euāgelium alligatam esse, quod cum non retinent hi qui tenent titulum Episcoporum, aduersari eis necesse est. Ideo præmonuit nos Christus, in ipso coetu, qui
glori-

Ecclesia ad
Euāgelium al-
ligata

gloriatum se esse populum Dei, seu ecclesiam, fore pseudopphetas, qui dicent, Ecce hic est Christus, ecce illic est. Sed norma dijudicans ueram ecclesiam, ab his qui sibi falso titulum arrogant, hæc est, uidelicet Euangeliū traditū per Prophetas, Christū, et Apostolos. Sicut dictū est, Oues meæ uocē meā audiūt

Ecclesie or-
natus.

Et hic cœtus qui uere est populus Dei, nō est inuisibilis, etsi est arumnosus & dispersus, & aliās maior, aliās minor, aliās ornatus maiore gloria, aliās minore. Tempore Esaiæ ornatus est illustri testimonio, pulso exercitu Sennacherib, item regressu Solis. Tempore Ieremiæ, etsi ipsa gubernatio Ieremiæ erat magna gloria, tamen eam pauci intelligebant, ac uisibilis cœtus erant auditores Ieremiæ, & dissentiebant ab ordinaria potestate.

Dictum est quid sit ecclesia, & ubi sit, & quod sit uisibilis cœtus, sed tamen dissimilis alijs politijs, neq; tamen est sine capite, sine ordine, sine gloria.

Ecclesie ca-
put Christus.

Caput est filius Dei, sicut dicitur Eph. 1. Et ipsum dedit caput super omnia ecclesie, quæ est corpus eius integrū, per se facientis omnia in omnibus. Hic nominatim dicit tale caput esse, quod nō est ociosum, sed reuera fouet & adiuuat mēbra spiritu sancto. Ne autē sit ignotū caput, additū est certū signū & testimonium, per quod agnoscitur & inuocatur, uidelicet Euangeliū. Huic credamus, & uere statuamus, Christū esse caput ecclesie, nō ociosum, sed fouens & defendens membra.

Sed

Sed cæca ratio humana, & obruta tenebris, fin-
git abesse Christum, & ecclesiam ab eo negligi. His
impijs imaginationibus opponamus dicta certa &
perspicua, quæ testantur non negligi ab eo ecclesiã,
sed uere foueri & iuari eam. Sicut clare dicit, Ego Ecclesiam nō
negligi a
Christo.
ero uobiscum usq; ad consummationem seculi. Item:
Ego sum uitis, uos palmites: Sine me nihil potestis fa-
cere. Item: Vbicunq; duo aut tres congregati sunt in
nomine meo, in medio eorum sum. Item: Omnia per
ipsum facta sunt, quæ facta sunt. Item: Pater meus
usq; modo operatur, & ego operor. Item, Ascendit,
dedit dona hominibus. Item Ephes. 1. Qui perficit
omnia in omnibus. His & similibus dictis confirme-
mus fidem, & statuamus nos non habere caput ocio-
sum, sed curans nos, & fouens. Idq; agnoscendum es-
se se fide per Euangelium: & hac fide nos uere fieri
membra huius regni.

Hæc uera sunt, etiamsi displicent his qui capti i-
maginationibus politicis, sine fine quærunť ecclesi-
am similẽ imperijs mundi, in qua sit uisibilis monar-
cha, alligatus titulo & successioni ordinariæ, & ha-
bens potestatem regiam interpretandæ scripturæ, cõ-
dendi leges, & cogendi cæteros ut assentiantur. Ri-
diculũ uidetur, cogitare cœtũ sine capite uisibili &
inermi. Nec satis esse iudicant, monstrari illud caput
in Euangelio. Sed relinquamus illis politicas imagi-
nationes, & sinamus eos ridere Sardonium, nos uero
agnoscamus & inuocemus filium Dei, & petamus,
ut

ut nos gubernet, cum quidem nos inuitet non contēnenda uoce: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. et experiemur hæc non frustra dici, si fidē in inuocatione exerceremus. Dixi de capite.

Ecclesiæ or-
do.

Ordo etiam est gratus pijs. Etsi enim Spiritus sanctus toties Ecclesiam dicit esse dispersam, & oculi sapientū politicorum nihil uident nisi dissipationem & confusionem, tamen in illa ipsa dispersione manet ordo: sunt ministri, pastores & doctores, quibus proponentibus Euangelium obedientia debetur: sunt & gradus donorum, & uariarum uocationum: Erat ordo inter Eliam & Eliseum, & auditores. Sic Paulus de hoc ordine sæpe loquitur, Obedite præpositis uestris. Itē 1. Cor. 14. Prophetæ duo aut tres loquantur, & cæteri dijudicent. Et ad Eph. inquit: Dedit dona, alios quidem Apostolos, alios Prophetas, alios Pastores, etc. Hic enim significat, dissimiles donis gubernationes & doctores esse.

Ecclesiæ gra-
dus non alligati
titulis.

Concedendū est igitur in Ecclesia esse ordinem, & ministeria, sed gradus non sunt alligati titulis, seu successioni ordinariæ, ut uolunt sapientes illi. Etiam si Ephesi fuit episcopus Ioānes, tamen fieri potest, ut successores omnino degenerent, & aliud genus doctrinæ amplectantur. Sed uocat Deus alibi alios doctores, ut disputat Paulus Rom. 9. et 1. Cor. 1. Elegit stulta & infirma mundi, & c.

Quid autem pulchrius cogitari potest integro ordine

ordine uniuersæ ecclesiæ? quem spectabimus, cum Deum coram uidebimus conditorē, et filium mediatorē, ac ducē ecclesiæ. Deinde uerò gradus, patres, Adam, Seth, Noe, Sem, Abrahā: deinde agmen prophetarū, Mosē, Samuelē, Dauidem, Eliā, Elisæū: postea Apostolos, deinde reliquos cœtus donis differētes: et his omnibus agminibus admixtos sanctos angelos. Hanc totam aciem animo cogites, cum audis nomen ordinis hierarchici. Non cogites regna Pontificū, Cardinalium, Episcoporū, Abbatū, Canoniorū: ad quæ appellatio hierarchici ordinis transfertur, ut succus fiat indoctis.

Hierarchicus
ordo.

Sed iam loquamur de ecclesiā in hac uita, in qua diximus esse ordinē diuinitus sancitū et constitutū, ut ministerio Euangelij auditores obtemperent, in ijs quæ præcipit Euangelium. Hunc ordinem qui conturbant, deficiūt à Deo, uidelicet qui impia dogmata serunt, item qui non obtemperāt, cum in manifestis delictis reprehensi non agunt pœnitentiam.

Politica gloria est, sapientia, uirtute, uictorijs, successibus magnis, opibus, legibus, iudicijs et præsidijs ornata & stabilita esse regna, ut uideātur duratura. Hæc bona sunt necessaria imperijs: ideo maxime uolunt sapientes, & populum Dei his rebus instructum esse. Tale regnum Messie semper somniarunt, & adhuc somniant Iudæi. Ac difficile est, etiam has imaginationes pijs abijcere: difficile est credere, Deo curæ esse homines dissipatos, qui sunt

Politica gloria quæ.

sine imperio, sine praesidijs. Ideo Christus dixit, Regnum meum non est de hoc mundo. Item, Qui uult me sequi, tollat crucem suam, & sequatur me. Item: Reges gentium dominantur, uos autem non sic. Item, Beatus qui in me non fuerit scandalisatus. Et Paulus inquit, Infirma mundi elegit Deus. Item, Arma militiae nostrae non sunt carnalia, &c.

Ecclesia non ideo reiecta a Deo, quia in mundo oppressa.

Ecclesiae gloria singularis quae.

Hec doctrina tenenda est, ut cum uidemus coetum obedientem Euangelio in seruitute esse, sine imperio, & sine praesidijs, sciamus non ideo reiectum esse a Deo, sed uere esse ecclesiam Dei. Nam in hac uita adhuc uelut in sepulcro est, ut Christus erat ante resurrectionem. Et non habet gloriam similem imperijs mundi: & tamen suam quandam gloriam habet, ut inquit Psalmus, Omnis gloria filiae regis intus est, uidelicet uera agnitio & inuocatio Dei, & multae magnae uirtutes & dona Dei. Et singularis gloria est, quod cum inde usque ab initio mundi diabolus semper conatus sit delere ecclesiam, uel manifesta uia, uel fraudibus, tamen nunquam delere potuit, sed semper manserunt reliquiae, & subinde mirabili liberatione excitatae sunt, & accedunt saepe gloriosa testimonia, ut res gestae Eliae, Elisaei, Esaias, Ieremiae, Danielis, & multorum aliorum.

Non habent Apostoli politicam gloriam, ut Prophetae, sed tamen habuerunt miranda testimonia, et mirandas liberationes, ut Petrus, Paulus, educuntur ex carcere per angelos, & experitur ecclesia omnibus

bus temporibus aliquas mirādas liberationes. Hæc de gloria monuisse satis sit. Nam illustrior gloria expectatur post resurrectionem. Et singularis est sapientia ecclesiæ intelligere, quod oporteat eam subiectam esse cruci, & cur sit subiecta.

Ecclesiæ sapientia.

Mirantur homines cur Deus onerauerit genus humanum tantis ærumnis: ac multo magis mirantur, cur maximè iustos & receptos in gratiam tam duriter affligat Deus. Huius mirandi consilij causas nulla philosophia monstrat, quæ arbitratur propter materiam existere mortem & morbos, & propter errores & uoluntatum imbecillitatem accersit multas calamitates: sed primos fontes non monstrat. Hos nouit ecclesia ex diuinis testimonijs, & sunt hæc duodecim causæ, cur ecclesia præcipuè sit subiecta cruci.

Causæ, cur ecclesia præcipuè cruci subiecta.

- 1 Peccatum commune generis humani, propter quod omnes homines mersi sunt in mortem, & ingentes miseras communes & priuatas.
- 2 Ad hoc accedūt singulares morsus diaboli, quibus præcipuè insidiatur ecclesiæ, & eā implicat ærumnis, ut ad desperationē et blasphemias impellat.
- 3 Quia mundus non curat peccatū et iram Dei, ideo magis premitur ecclesia, ut ipsa peccatum & iram Dei uere agnoscat, & singuli sciant se debere Deo pœnas, & obedientiam in pœnis, propter morbum nobiscum nascentem, & peculiaria delicta. iuxta illud, iudicium à domo Dei incipit. Item,

Humiliamini sub potenti manu Dei.

4 Vt ecclesia uocetur ad pœnitentiam & agnitionem promissæ salutis, iuxta illud: A Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur.

5 Vt conspiciatur potentia Dei in nostra infirmitate. Esaias, Ieremias, Paulus, cum res maximas gesserint, tamen uagantur, ut miseri: & interficiuntur tandem, ut appareat eas res diuinitus gestas esse, non illorum uiribus.

6 Vt calamitates huic uitæ sint testimonia futuri iudicij. Quia enim uidemus interfici à malis eos, quos Deus testatur se approbare, certum argumentum est restare aliud iudicium, in quo Deus discernet bonos à malis, & ostendet se non neglexisse suos.

7 Vt singuli admoniti suis & alienis ærumnis agnoscant propriam infirmitatem, deponant fiduciam sui, minus sint audaces ad mouendum aliquid sine uocatione. Sicut Pompeius demētatus superioribus successibus, mouit ciuile bellum: Salomon in secundis rebus factus est insolentior.

8 Vt singuli agnoscentes infirmitatē suam, magis intelligant opus esse Deo gubernante & iuuante, & accendantur ad assiduam inuocationē: sicut dicitur, Inuoca me in die tribulationis, &c.

9 Vt palàm fiat, quod obedientiam sancti præstent non suæ tranquillitatis & utilitatis causa, sed uere, ut Deo obediant. Item, ut dent testimoniū Eu-

ange-

angelio. nam in afflictionibus conspicitur, an serio
sentiamus uera esse quae profitemur.

10 Ut cum in afflictionibus sensimus nos uel su-
stentari, uel gubernari, uel eripi, haec testimonia cō-
firmant fidem, ut magis statuamus uere nos respici
& iuari. 1. Reg. 17. Dominus, qui eripuit à leone
et urso, ipse me liberabit ab hoc Philistæo. Rom. 5.
Probatio spem efficit, id est cum cognouimus nos iu-
uari, spes confirmatur. Certum est enim ideo libera-
tiones fieri, ut spes confirmetur. 2. Cor. 1. Qui ex
tanta morte nos liberauit, et in quæ speramus, quod
iterum nos liberaturus sit. Multa huc pertinent Psal-
morum dicta, ut Psalmo 9. Factus est Dominus refu-
gium pauperi, & sperent in te qui nouerunt nomen
tuum. Psalmo 33. Accedite ad eum, etc. Pauper cla-
mauit, et Dominus exaudiuit eum. Psalmo 117. Ca-
stigans castigauit me Dominus, &c.

11 Propter exemplum puniuntur singulares la-
psus sanctorum: ut Dauidis adulteriū punitur mul-
tis ingentibus pœnis, parricidijs, seditione, cæde ci-
uium, stupris coniugum. Salomonis lapsus punitur
distractione regni, quæ postea peperit infinita ma-
la. Psalmo 88. Visitabo in uirga iniquitates eorū,
& in his pœnis sciant singuli, se debere Deo obe-
dientiam, iuxta illud Pauli, In tribulatione patien-
tes. Item, Nolite murmurare, &c.

12 Ut fiamus similes imaginis filij Dei, qui cum
se in morte obtulerit Patri, nos quoq; similes ho-

stias afferre oportebit, & intelligere cur hic cultus requiratur. Christus obtulit suā mortē propter aliena peccata: nos offerimus, ut simili cultu obedientiam declaremus, etiamsi nostra oblatio non est precium pro peccato, sed pœna, seu debitum officium.

Hæ duodecim causæ passim in Prophetis & Apostolis traduntur, quas ideo in breues notas contraxi, ut sint in conspectu. Hinc enim sumuntur ueræ causæ tolerantia, & confirmantur obedientia & inuocatio, & sumuntur hinc multæ consolationes in calamitatibus, cum intelligimus propter quas causas, & propter quos fines totum genus humanum, & præcipuè ecclesia subijciatur in gentibus ærumnis.

CONTRA DONATISTAS.

Descripsimus ecclesiam uisibilem, in qua diximus multos non renatos admixtos esse sanctis: sed hic discerni malos oportet. Alij de doctrina rectè sentiunt, nec sunt hostes Euangelij, seu heretici, sed tantum habent aliqua morum uitia. Tales, si non sint excommunicati, etsi uocantur mortua membra, tamen sunt in externa societate ecclesiæ: et cum funguntur munere docendi, aut administratione sacramentorum, ualent ministeria, & sunt efficacia, & licet eis uti.

Donatistarū
error:

Estq; acriter taxandus error Donatistarum, qui conten debāt nec Euangelium, nec sacramentū ullum esse efficax, si ministri mores sint uitiosi. Cōtra hūc

erroꝝ

errorem tenendæ sunt sententiæ perspicuè.

Matth. 13. Christus confert ecclesiam sagenæ, in qua boni & mali pisces sunt. dicit item, In ecclesia mansura esse zizania usque ad resurrectionē. Item, sicut in diebus Noe, &c. Ex his sententijs perspicuum est, semper in ecclesia usque ad resurrectionem fuisse, esse, & futuram esse magnam multitudinem malorum.

In ecclesia esse etiā malos.

Cum igitur sint in ecclesia mali, nec hypocrisis humano iudicio agnosci possit, possunt in ministerio esse etiā hypocritæ. Fieret igitur incerta fides, si uis Euangelij & sacramentorū pendēret ex dignitate ministri. Ideo sciendum est, Euangeliū & sacramenta efficacia esse propter promissionē Dei, non propter ministri personam.

Euangelij & sacramentorū efficacia in quo.

Renocat igitur Christus mentes nostras & fidē nostram à persona ministri ad sese inquit: Qui uos audit, me audit. quasi dicat, Nec Euangeliū est uestrum, nec opus uestrum est, saluos facere auditores, sed Dei opus est, qui hoc mirabili modo sparsa uoce Euangelij colligit sibi æternam ecclesiam. Sicut et Ioānes inquit: Ego baptiso uos aqua, alius autem baptisabit uos igni & Spiritu sancto. id est, Euangeliū & sacramenta sunt efficacia propter Christum, & per Christum.

Citatur etiā huc dictum Christi, Super cathedra Mosi sedent scribæ & Pharisei, &c. quæ uerba significant: Etiam si sunt in ministerio hypocri-

Ministerium non fieri irri- rum, etiā si mi- nister sit ma- lus.

tæ tamen ualere functionem ipsam: si tamen sedeant in cathedra Mosi, id est, doceant doctrinam à Deo traditam, non sedeant in alia cathedra, non proponant doctrinam pugnantem cum fide.

Hæc tota causa contra Donatistas copiose tractata est ab Augustino in multis uoluminibus, et Epistola 166. recenset hoc argumentum: Si penderet uis Euangelij & sacramentorum à dignitate ministri, fides nostra fieret incerta. Ut igitur fides sit certa, necesse est reijci & damnari fanaticum delirium Donatistarum.

Refutatur & à Nazianzeno hic error, qui hac utitur similitudine. Eadem est figura sigilli, siue aureo, siue ferreo annulo insculpta sit. Ita idem esse ministerium, inquit, siue boni, siue mali teneant. Hæc de Donatistis monere necesse est, ut contra tales furores pij præmuniantur, & discant intelligere uim ministerij. Nam & nostra etate Anabaptistæ renouant errores Donatistarum, & impie abijciunt ministeria. & dum iactitant se constituere ecclesiam, in qua nulli sint mali prorsus, ut circuncelliones, magnam colluuiem pessimorum latronum contrahunt, ut ostendit Monasteriense exemplum, quod meminisse prodest, ut bonæ mentes maiore cura & diligentia caueant, ne assentiantur falsis opinionibus, & cogitent ex uno errore paulatim oriri multiplices & insanabiles furores.

Quid igitur faciendum est? an dissimulanda sunt
aperta

Anabaptista-
rum errores.

Monasteriense
exemplum.

aperta crimina ministrorum Euangelij? Respon-
 deo. Polluti manifesti criminibus, excommunican-
 di sunt communi uoce ecclesie. sicut Paulus 1. Co-
 rinth. 4. Incestum eicit ex ecclesia. & Christus
 Matth. 18. inquit, Dic ecclesie. Ea q; seueritas non
 erat negligenda: sed si negligitur, tamen ministeriũ
 ualet, ut dictum est.

Ministrorũ ec-
 clesie uitia an
 dissimulanda.

Præterea & magistratus, qui gladium gerunt,
 punire crimina suis legibus debent: ut adulteria,
 cædes, & alia.

Sed præter publica crimina sunt infirmitates in
 moribus omnium hominũ. Alius est morosior, aut
 iracundior: alius indulgentior, aut minus temperãs
 quàm oportet: alius est ad rem attentior, in alio fa-
 stus, in alio segnities reprehenditur. Deniq; omnes
 habent suas quasdam infirmitates. De his commu-
 nibus moribus cum non accedunt crimina, sciamus
 piæ mentis esse sequi usitatam regulam: Mores ami-
 ci noueris, non oderis. Item, Remittite, & remitte-
 tur uobis. Item, uniuersa delicta tegit dilectio. Ac
 præcipuè piorum gubernatorum & doctorum me-
 diocres mores tolerandi sunt, sicut Christus iubet,
 Vt pedes mutuo lauemus, id est, ut tales infirmita-
 tes inter nos mutua lenitate sanemus.

Infirmities
 morum.

Est autem usitatum, calumniose exaggerare ui-
 tia gubernatorũ. Ideo toties præcipit Spiritus san-
 ctus, ut eos honore afficiamus: ut grauissimè dici-
 tur ad Hebræos, Obedite ijs qui præsumt, ut cum

Pedum mu-
 tua lotio.

Gubernatorũ
 uitia quate-
 nus tolerada.

gaudio & non gementes faciant suum munus, quasi dicat, Per sese difficilis et ærumnosa res est gubernatio: sed cum accedit contumacia inferiorum, duplicatur miseria. Vt enim Herodotus inquit, Quantum bellum differt à pace, tantum differt seditio à bello. Ita gubernatori ærumnosius est, cum suis quàm cum alienis certare: & in munere alioqui difficili ab illis ipsis impediri, à quibus iuuari debebat. Ideo et 1. Theß. 5. dicit Paulus: Petimus ut eos qui præsentunt, excellenter putetis diligendos esse propter ministerium, & pacem cum eis habete. Denique de hac re multa extant præcepta.

Cham exemplum.

Vt autem Cham punitur, propterea quod patrem deridet: ita sciant se pœnas duros esse Deo omnes, qui ministris rectè docentibus, si sit mediocritas aliqua in moribus, molesti sunt. Sicut & ad Abraham dictum est: Benedicã benedicientibus tibi, & maledicã maledicentibus tibi. Hæc regula haud dubie pertinet ad ecclesiã, & rectè docentes. Sciamus ergo, propter mores docentium non esse descendendum à reliqua ecclesia: nec schismata facienda esse, si nullus sit error doctrinæ.

Ab ecclesiæ ministris quatenus diffidendum.

Sed alij sunt mali, polluti falsis opinionibus, qui impiam doctrinam defendunt, & oppugnant uerã, & interficiunt pios propter ueræ doctrinæ professionem. Sicut Ieremiæ, Maccabai, Christi tempore fuerunt pontifices, & eorum sectatores, qui palam contradicebant ueræ doctrinæ, & sanctos inter-

interficiabant. Cum hoc coetu, etiam si tenet gubernationem per tyrannidem, pijs non sit societas, & culpa schismatis penes ipsos est, quia mandatū Dei est, Fugite idololatriam. Item: Si quis aliud Euangelium docebit, anathema sit. Sic Apostoli à Caipha, & ab eius coetu recedebant.

Estque diligenter obseruandum discrimen eorum. Ministerium non mutatur, etiam si mores aliquorum sunt uitiosi: sed cum falsa doctrina defenditur, et stabilitur idololatria, mutatur ipsum ministerium. Ideo horum ministerium relinquendū est, qui doctrinam corrumpunt. Etsi autem principalis pars ministerij est doctrina, tamen interdū pars ministerij, ut sacramenti alicuius administratio, possidetur etiam ab his qui corrumpunt doctrinam. Vt Israelitæ retinebant circumcisionem, etiamsi cultus impios postea addebant. Caiphas & Pharisei retinebant circumcisionem, etiamsi in alijs materijs graues errores amplectebantur. Valebat tamen circumcisio, non propter has personas, sed quia fiebat uice ecclesiæ.

Sic de baptismo dicamus, eorum qui baptisati sunt in ecclesijs, ubi regnarunt mali doctores. Valuit enim baptismus, quia fiebat uice ueræ ecclesiæ, & retinentur uerba institutionis, & eorum sententia, sine idololatria, in hoc sacramēto. Sed Samosateni, Manichæorū, Arianorū baptismus nō ualebat: quia nō retinebant sententiam uerborum, Baptismo

Ministerij
precipua pars
doctrina nobis.

Baptismus etiam a malo ministro administratus, cur ualeat.

te in

te in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Hæc breuiter attigi, ut muniatur pij contra Anabaptistas, & cogitent sepe in ecclesia dominari malos. sicut ait Christus, Similem esse ecclesiam sagenæ, in qua sunt boni & mali & pisces. Valet igitur ministerium, quod retinent in his sacramentis, quæ non ex professo corrumpunt.

Et si autem baptismus eorum qui retinent uerborum sententiam, ualet, ut dixi: tamen quia docet impia de cæteris rebus, præbent causam, cur necessario ab ipsis ecclesia discedat.

Discrimen est etiam inter personas, quæ peccarunt ignorantia, & illas quæ palàm sunt blasphemæ ut post resurrectionem Christi erant Caiphas & similes. nec dubium est, blasphemos, & manifesta idola defendentes, relinquendos esse. sicut scriptum est, Fugite idola.

DE SIGNIS MONSTRANTIBUS Ecclesiam, quæ alij notas nominant.

Ecclesiæ signa.

Signa quæ monstrant ecclesiam, sunt Euangelium incorruptum, & legitimus usus Sacramentorū. Et quanquam ecclesia non semper floret simili gloria, tamen subinde aliquæ significationes Spiritus sancti in miranda gubernatione accedunt. Quod autē Euangeliū sit signū monstrās, qui coetus sit ecclesia, supra testimonia recitauī, & satis perspicua sunt hæc. Eph. 2. Super fundamen-

tum

tum Apostolorum & Prophetarum extructi estis,
 &c. Item Esaiæ 59. Spiritus meus qui est in te,
 & uerba mea quæ sunt in ore tuo, non recedent ab
 ore tuo, nec ab ore seminis tui in æternum, etc.

Alij *hæresimæ* humanarum politiarum ad- Ecclesiæ si-
gna perpetua
tradita.
 dunt ecclesiæ hæc signa, ordinariam successionem
 Episcoporum, & obedientiam in traditionibus hu-
 manis. Et postea Episcopos audacissimè armât duo-
 bus regijs neruis, potestate interpretandæ scriptu-
 ræ, et potestate legum ferendarû, et cultus nouos in-
 stituendi. Admonendi sunt autè pij, ut has insidias
 diligenter caueant. Nam omnibus ætatibus in eccle-
 siæ gubernatione, homines politici ignari doctrinæ
 Euangelij pinxerût sibi ecclesiã tali imitatione po-
 litiarum, & magni errores hoc modo stabiliuntur.

Quare cum hæc nomina audis, successio ordina-
 ria, potestas interpretationis, potestas ferendarum
 legum, scias insidias ueræ doctrinæ strui, & quæri
 pretextus ad stabiliendos errores in ecclesia. Re-
 mouenda est igitur illa imago humanarum politia-
 rum, & aliter de ecclesia sentiendum. Dixi suprâ,
 Ecclesiam non esse alligatam ad successionem ordi-
 nariam, ut uocât, Episcoporum, sed ad Euangelium.
 Cum Episcopi non rectè docent, nihil ad ecclesiam
 pertinet ordinaria successio, sed necessariò relin-
 quendi sunt.

Ecclesia ad
 Euangelium al-
 ligata.

De potestate uerò interpretationis sciendum Multū differ-
re interpreta-
tionis potesta-
tem & donū.
 est, magnum discrimen esse inter potestatem, & do-
 num.

*Euangelium
quid.*

num. In ecclesia donum est interpretationis, non alligatum certo ordini, sicut propter locum uel titulum non datur Spiritus sanctus. Id donum non est potestas alligata ordini, seu titulo, cui propter ordinem parere necesse sit, sicut regie uel pratorie interpretationi propter ordinem parere necesse est. Deus enim dedit magistratibus ciuilibus potestatem condendi leges congruentes cum ratione, & eas interpretandi. Sed de uoce Euangelij in ecclesia longe alia res est. hanc filius Dei ex sinu aeterni patris protulit. Et est sententia supra rationem posita, de agnitione Dei, de ira Dei aduersus peccatum, de magnitudine peccati, de iustitia donata per filium Dei, de timore, de fide, de cruce, de auxilio Dei, de resurrectione, de ecclesia, de uita aeterna, de duabus naturis in Christo, de patre, filio, & Spiritu sancto.

Cum igitur iusserit Deus audiri filium, deinde & filij mandato missi sunt Apostoli, ut eos audiamus, necesse est retinere doctrinam per Apostolos traditam, ac nos discipulos esse doctrinae ipsorum, non affingere interpretationes pugnantibus cum certis et perspicuis ipsorum testimonijs: sicut Iudaei fingunt corruptelas, ut eludant dicta de Christo.

Deinde, qui uolunt esse discipuli Euangelij, nec audiunt ut calumniose deprauent, sed ut Deum agnoscant, celebrēt, & ei obediunt in his, cum adferuntur uerbo Dei cum timore & fide, accenditur
lumen

lumen quo iuuantur, ut discernant Euangelium ab humana sapientia, & articulos doctrine de Deo, de peccato, de iustitia, de Christo, de Ecclesia, de uita aeterna dextre accipiant.

Tertio, ijdem illi iuuantur etiam ueræ ecclesiæ testimonio. ut cum Samosatenus noluit uerbum interpretari personam in his dictis, In principio erat uerbum, &c. pij iuuabantur Irenæi testimonio, qui Polycarpum Ioannis discipulum audierat: iuuabantur & Gregorij Neocæsariensis & Alexandrinæ ecclesiæ testimonijs, quæ affirmabant hanc sententiam inde usque ab Apostolis retentam esse, cum qua uidebant pij cætera testimonia in Ioanne & Paulo congruere.

Et quanquam ecclesia audienda est, iuxta illud, Ecclesiæ autoritate fidem non nititur. Nisi arassetis uitula mea, non inuenissetis: tamen si des non nititur ecclesiæ autoritate, sed ipsa uocatur Euangelij. Inuocamus filium Dei, quia dictum est, Et Deus erat uerbum. Item, Pater meus usque modo operatur, & ego operor. Item, Sine me nihil potestis facere. Item Stephanus inquit, Domine Iesu accipe spiritum meum.

Item cum ecclesiæ testimonia queruntur, uidentur Ecclesiæ testimonia quatenus recipienda. ubi, & quæ sit ecclesia, quæ tempora sint puriora, qui scriptores sinceriores: sic nos adiuuamur contra Anabaptistas. Scimus primum ex Euangelio, Infantes nasci reos et obnoxios peccato originis, & id remitti his qui sunt in ecclesia, et infantes

Infantium ba-
ptismus.

fantes debere fieri membra ecclesie, & afferri ad Christum. Deinde accedit testimonium primæ ecclesie, quam legimus baptisasse infantes. Censemus igitur, nequaquam cedendum esse furori Anabaptistarum, qui tot millia infantium ex ecclesia extrudere et perdere conantur, et uni errori multos miscent.

Donum inter-
pretationis.

Donum igitur interpretationis est lumen, quod accendit Spiritus sanctus in horum mentibus, qui adsentiuntur Evangelio, ut Christus inquit Ioannis 14. Spiritus sanctus docebit nos omnia, & rediget uobis in memoriam omnia, quæ dixi uobis. His alligat apostolos et totam ecclesiam ad ea quæ ipse dixerat: & addit de dono, de hoc ipso uerbo Spiritum sanctum nos commonefacturum esse. & Ioannis 6. citat Christus ex Esaiâ, Et erunt omnes docti à Deo. Econtra de impijs dicitur, Non intelligent omnes impij. Item, Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei: stultitia enim ei est, & non potest intelligere. Item Esaiæ 6. Audite audientes, & non intelligite.

Cæcitas im-
pietatis pœ-
na.

Hæc testimonia perspicue ostendunt, interpretationem esse donum piorum, nec esse alligatum potestati, aut maiori parti, quæ plerumque est impia, et quidem præcipua pœna est impietatis cæcitas, ut Psal. 68. et Rom. 11. dicitur: Obscuretur oculi eorum, ne uideant. Et manifesti furores gentium ac Iudeorum ostendunt, cæcitate præcipue puniri impietatem.

Si ordinaria potestas, aut maior pars haberet
ius in-

ius interpretādi, fuissent anteferendæ sententiæ Pharisæorū, sententijs Zachariæ, Simeonis, Elizabeth, Mariæ, Hânæ, et similiū. Sed ecclesia uera plerumque est exiguus cœtus, in quo dominatur magna multitudo impiorum. Sicut inquit Esaias: Nisi Deus reliquisset nobis semen, sicut Sodoma essemus. Ideo ne quaquam alliganda est interpretatio ad ordinariam potestatem, & maiorem partem. Et insidiæ cauendæ sunt, cum aduersarij hoc prætextu stabilire errores conantur.

Interpretatio non alligandæ ad potestatem ordinariam.

Ceterum & ipsum donum agnosendum est, et Deo gratiæ agendæ, quod semper ita gubernauit ecclesiam, ut cum obscurata esset doctrina, rursus eam accenderit: ut post Noe, interpres promissionis fuit Abraham. Sic post Moysen, missi sunt Samuel, Dauid, & ordine cæteri, regnantibus Pharisæis & Sadducæis, erant tamen Simeon, Zacharias, Anna, Maria, & alij multi, in quibus donum interpretationis fulgebat, in alijs magis, in alijs minus illustre: ita postea Deus in Ecclesia subinde excitauit flammam ueræ doctrinæ. Hanc igitur accensam nõ extinguamus, prætextu multitudinis, uel ordinariæ potestatis, propugnantis idola & errores.

Ceterum & labi possunt, qui antea recte sentierant: & recte sentientes aliquid habent caliginis, et suas stipulas, ut ad Corinth. dicitur. Quare sententiæ ex uerbo Dei tradito & dextrè collato iudicandæ sunt. De similitudine traditionū, et de legib. Epi

Sententiæ ex uerbo Dei iudicandæ.

scoporum infra dicitur. Nec enim unitas ecclesie collocanda est in similitudine humanarum traditionum. quia retinenda est hæc sententia, quod humanæ traditiones nō sint cultus. Item, Quod extra casum scandali omitti possint. Item, quod propter eas non sint damnandi hi, qui alioqui recte sentiunt.

DE SACRAMENTIS.

Sacramentū
in ecclesia
quid.

Initio constituamus simplicem uocabuli descriptionem. Sacramentum nunc quidem, ut in Ecclesia loquimur, uocatur ceremonia in Euangelio instituta, ut sit testimonium promissionis, quæ est Euangelij propria, uidelicet promissæ reconciliationis, seu gratiæ.

Homines prophani cogitāt, sacramēta esse signa professionis, quæ discernant à cæteris hominibus, qui quasi huic fœderi adiuncti sumus: ut discerneret Romanum toga ab aliarum nationum hominibus, seu esse signa quorundam officiorum erga homines. Vt enim quondā in fœderibus faciendis mos erat, unā uesci ex sacrificatis rebus: ita nunc multi humano more existimant cœnam Domini tantum esse talē notā mutui fœderis inter homines. Sed quāquam multi sunt fines sacramentorū ordinati, tamē longe omnibus antefereendus est hic principalis finis, quod sint signa uoluntatis Dei erga nos, uidelicet testimonia addita promissioni gratiæ. ac intueamur totā ecclesiam, in qua statim post lapsum Adæ, addita promissione gratiæ, additæ sunt ceremoniæ, uidelicet

Sacramentorum finis principalis, qui.

licet sacrificia Adæ, quæ incendebantur de cælo: offerbatur agnus, qui consumebatur cælesti flamma. Id significabat uentura hostiæ passionē, de qua promissio facta erat, et testimoniū erat recōciliationis.

Deinde cum renouaretur promissio, additum est nouum testimoniū, scilicet circumcisio. Deinde iterum instaurata luce doctrine, accessit mactatio agni, & aliæ ceremoniæ. Ita in ecclesia uoci Euangelij additi sunt ritus, Baptismus & Cœna Domini. De alijs postea dicā. Hi ritus non sunt humana spectacula, ut Græcorum tragœdiæ, institutæ ut qualiscunque memoria rerum gestarum traderetur posteris: sed habent alios longe superiores fines.

Primum enim sunt signa uolūtatis Dei erga nos, seu testimonia promissæ gratiæ. Ideo Paulus de Abraham inquit, Accepisse eum circumcisionem tanquā sigillū iusticiæ fidei, id est testimoniū, quo Deus testatus est, eum receptū esse in gratiā. Et quia sacramēta sunt addita promissionibus, ideo sicut promissionē accipi fide necesse est, ita oportet in usu Sacramentorum accedere fidem intuentē promissionē.

Postea possunt accedere multi fines, confessio, discrimen à cæteris sectis, publici conuentus, celebritas, admonitio de certo opere, ut cœna Domini primum est testimoniū gratiæ erga nos, de toto Euangelio, de morte & resurrectione Christi nos admonet, testatur nobis donari beneficia Christi. Et hic necesse est fidē accedere, quæ credat pmissioni gratiæ.

Ritus in ecclesia additi Euangelio.

Fidem in usu sacramentorū requiri.

Fines alij plures.

2 Deinde accedunt alij fines. Theodosius credens Euangelio, hoc exēplo publice confitetur, quid sentiat. Item per hunc ritum intelligitur seiunctus à cæteris sectis. Tertiò: quia Deus uult Ecclesiam non in latebris iacere prorsus ignotam, sed uult eam conspicui, et audiri, ut nomen suum celebretur, et doctrina propagetur: ideo etiam uult honestos cœtus esse, uult in publica congregatione sonare Euangelium. Ut igitur in tali conuentu ostendatur cōfessio, et sint exercitia fidei, semper uoluit esse publicos aliquos ritus, ad quos publice conueniret ecclesia. & quamquam diabolus uarie dissipare & deformare tales cōuentus conatur, tamen Deus eos subinde repurgat, & mirabiliter conseruat. Ita & cœna Domini propter hanc utilitatem instituta est, ut sit neruus publicæ congregationis.

Cœna Domini publicæ cōgregationis neruus.

Postremò admonet ritus de multis officijs, primū de gratiarum actione præstanda Deo, postea de mutua beneuolentia membrorū ecclesiæ, sicut unā uesciebatur rebus sacrificatis, hi qui fœdera faciebant.

DE NUMERO

Sacramentorum.

Consuetudo est non uetustissima, numerare septem Sacramēta. De hoc numero rixæ sunt: quarum hic modus sit, ut res necessariae retineantur, & discernantur à non necessarijs. Discernantur etiam ceremoniæ diuinitus institutæ in prædicatione

ne Christi, ab alijs operibus, quæ non proprie ad nouum testamentum pertinent.

Si generaliter omne opus præceptum à Deo, cui addita est promissio aliqua, sacramentum uocari uolunt, erunt sacramenta, oratio, tolerantia in cruce, eleemosyna, condonatio iniuriæ. Nam his operibus semper fuerunt additæ diuinæ promissiones. De oratione nota sunt mandata, & promissiones: Inuocame in die tribulationis, & eripiã te. & Deut. 4. dicitur: Nec est alia gens quæ habeat Deũ appropinquantẽ sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. Item in Euãgelio, Petite, et accipietis. Nec esset inutile numerare orationẽ inter sacramenta, ut hæc ipsa appellatio homines moneret de promissionibus, & de fructu huius maximi operis

Sacramenta etiam plura in ecclesia, quã septem.

Oratio

De tolerantia in cruce sunt promissiones, Psal. 30. Sacrificiũ Deo spiritus cõtribulatus. Itẽ preciosa mors sanctorum. Item Psal. 71. Preciosus sanguis eorũ corã me. et in Euangelio plurimæ sunt tales sententiæ: Qui uult me sequi, tollat crucẽ meã, et sequatur me. Item, Recipiet in hac uita centuplum, &c.

Tolerantia in cruce.

De eleemosyna notissimæ sunt sententiæ, Date, et dabitur uobis, Frange esurienti panem, &c.

Eleemosyna

De condonatione iniuriarũ: Remittite, et remittetur uobis. Hæc est insignis promissio, addita nostræ condonationi: nõ quod nostra condonatio possit iram Dei placare, sed ut admoneat nos de Euangelio, sicut alia sacramenta.

Iniuriarum condonatio.

Coniugium
quatenus sa-
cramentum,

Si igitur non tantū ad ceremonias, sed etiam ad opera mortalia accommodabitur nomen sacramenti, poterit etiam coniugium dici sacramentū. nam et mādato Dei prācipitur, et ornatur promissione, ut Psal. 127. Videbis filios filiorū tuorum, pacē super Israel. Et est institutū propagāde et conseruāde ecclesie causa. Deinde etiā imago est, et amoris Christi erga sponsam ecclesiā, et afflictionū et officiorū ecclesie. Sicut maritus uere amans coniugē et liberos, propuznat eos, et sua bona imptit eis: sic Christus ecclesiā uere amat, donat suis bonis, iusticia sua et uite æternæ societate. Hūc amorē et hanc in marito honesto significat Paulus ideo inditā esse naturæ, ut sit imago adumbrans uerū amorē Christi erga sponsam ecclesiā. Præterea afflictiones et officia domestica, sunt imago afflictionū et officiorū ecclesie. Sed cum hoc modo generaliter utimur appellatione sacramēti, non de solis ceremonijs institutis primū in prædicatione Christi loquimur, uerū quoquo modo illa opera uocantur, semper meminimus in Decalogo proponi summam omnium operū mortalium, quæ necessaria et à Deo præcepta sunt. Deinde quæramus passim additas promissiones et comminationes, et earum exempla.

Operū mortaliū summa in Decalogo proposita.

Sciamus etiam discrimen esse inter promissiones legales, et promissionem Euangelij propriā, quæ est promissio reconciliationis gratuita.

Cum autem uocabulum sacramenti de ceremonijs

nijis intelligitur, institutis in prædicatione Christi, numerentur hæc sacramenta, Baptismus, Coena Domini, Absolutio: quæ sunt externi ritus, & sunt signa totius Euāgelij. et quidē proprie sunt testimonia remissionis peccatorū, seu recōciliationis, de qua præcipue dicitur in definitione usitata: Sacramentū est signū gratiæ, id est recōciliatiōis gratitiæ, quæ propter Christū donatur, & in Euangelio prædicatur.

Sacramenta
solum tria esse
in ecclesia.

Mihi maxime placet, etiā addi ordinationē, ut uocant: id est uocationē ad ministeriū Euangelij, et publicam eius uocationis approbationē. Quia hæc omnia mandato Euangelij præcipiuntur, ut ad Titū: Constitue presbyteros, ut iussi. et est addita promissio omnium maxima, et dignissima cognitione, quæ testatur Deū uere efficacē esse per ministeriū eorum qui uoce ecclesiæ electi sunt, ut testatur dictū uniuersale de Apostolis, & omnibus sonantibus uerbū traditum per Apostolos: Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.

Ordinationis
ritus.

Et Christus inquit Ioannis 13. Rogo non pro eis tantum, sed pro omnibus credituris per uerbum eorū. Et Ioan. 20. Quorū remiseritis peccata, remittentur eis, etc. Et Eph. 4. Ascendit, dedit dona hominibus, Prophetas, Apostolos, Pastores, Doctores. Lucæ 10. Qui uos audit, me audit. Ioan. 15. Ego sum uitis, uos palmites: qui manet in me, & ego in eo, ille feret fructum copiosum.

Deum esse efficacē per ministerium uerbi rite electū, &cætera.

Et 2. Cor. 5. Deus posuit in nobis uerbum re-

Ministorum
electio.

conciliationis. Pro Christo igitur legatione fungimur, tanquam Deo adhortante per nos. Et 2. Corinth. 3. Fecit nos ministros noui Testamenti, non literæ, sed spiritus. Hæ & pleræq; similes sententiæ clare testantur, Deum efficacem esse per hoc ipsum ministerium docentium Euangelium, quod in ecclesia uult perpetua uocatione conseruare. Expresse enim loquitur Paulus, de uerbo externo, seu de ministerio sonante uocem Euangelij, cū inquit, Propè est uerbum in ore tuo. Item: Posuit in nobis uerbum reconciliationis, pro Christo igitur legatione fungimur. Et mandatum ecclesiæ datū est, ut eligantur ministri, seu legati tales, ut ad Titū expresse scribitur.

Admoneat igitur nos ritus ordinationis de hoc mandato, & de his promissionibus, & Deo gratias agamus, quod instituit & conseruat hoc ministeriū, et quod hoc modo nos recipit, ac à peccato, à potestate diaboli & æterna morte liberat, ac iustitiam & uitam æternam nobis restituit. Hac fide & nos ueneremur & tueamur ministerium, & eo utamur, discamus & audiamus Euangelium, exerceamus fidem usu sacramentorum, & sciamus per hoc ministerium exhiberi nobis æterna bona, oremus item Deum, ut det ministros idoneos, & eos adiuuet: ut iubet Christus orare, ut Deus extrudat operarios in messem suam. & Coloss. 4. iubet Paulus precari cæteros, ut Deus ipsum adiuuet in sua functione.

Est & hæc magna consolatio, cum hoc ministerio

rium à Deo institutum sit, etiamsi semper in mundo uarie quassatur, & multi homines ab eo desciscunt ac pereunt, tamen non poterit funditus deleri. Christus enim inquit Matth. 16. Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, id est super hoc ministeriū: & portæ inferorum non præualebunt aduersus eā. Hac consolatione pij etiam hoc tempore se sustentent, & sciant mansuras esse reliquias ecclesiæ, & ueri ministerij, etiamsi ruent imperia. Quāquam id non fit sine cladibus ecclesiæ, sed tales sunt & fuerunt semper mundi pœnæ. Sicut Amos inquit: Ecce oculi Domini super regnum damnatum, & delebo illud de terra. sed Iacob non delebo, uerum ut triticum in cribro concutiam, nec decidet granum in terram. Hic Propheta simul minas & consolationem proponit. Nec mirum est puniri imperia, quia cum deberent iuuare, & tueri ministeriū, sicut Psalmus inquit, Aperite portas principes uestras: Impij principes delere ecclesias conantur. Alij mediocres sua negligentia deformant, nō fouent studia, nō quærunt eruditos ministros, nō curant eis uictum mediocrē, non student conciliare uoluntates eorum. Denique hanc partem publici status uel negligunt, tanquam extremam, uel arte premunt.

Ministerium
uerbi deleri
funditus non
posse.

Propter mini-
sterij neglectū
puniri impe-
ria.

Basilii queritur, suo tempore euectos esse ad gubernationem ecclesiæ, seruorum omnium uilissimos, indoctos, & ignauos. Postea cum opes creuerunt, functiones ecclesiasticæ fuerunt prædæ potentibus.

Ipsum uero ministerium neglectum est, & per mercenarios indoctos partim superstitione, partim auiditia deprauatum est.

Nunc rursus etiam in illis locis ubi doctrina sincera recepta est, admittuntur ad ministeriū multi indocti & ignaui. Quia potentes totā hanc rem negligunt, nec tuentur studia, nec curant alii ministros. Ita perpetuis difficultatibus in hoc mundo ecclesia conflictatur: quas pij cōsiderare debent, ut suo quisq; loco quātum potest, eas leniat, ut etiam Deus mitiget pœnas. Et quidem hæc officia quæ profunt ad ministerij conseruationem, Deus seuerissime requirit, et magnis præmijs compensat. Sicut hæc sententiæ testantur: Qui dederit alicui ex minimis horum tantū aquæ potū propter doctrinam, amen dico uobis, nō perdet mercedē. et exēpla sunt illustria uiduæ Sareptanæ, quæ excepit Eliā. Abdie 3. Reg. 18. qui centū Prophetas in speluncis abditos defendit et pauit. Ezechie 2. Par. 31. Aethiopsis, qui seruat Ieremiā.

De his rebus omnibus, de efficacia ministerij, de precatione pro ministerio, de officijs quæ ei debentur, de pœnis spreti ministerij admoneat nos doctrina de ordinatione, cum inter sacramenta recensetur: admoneat nos & ritus ipse, cum publice spectamus antiquissimum morem, haud dubie à primis patribus acceptū, uidelicet impositionem manū, quæ semper signum fuit rei destinatæ ad cultū Dei. fuit & signum benedictionis. Hoc ritu Iacob benedicit filijs

Officia ad ministerij conseruationem per sententia requiritur a Deo.

Impositio manuum.

filijs Ioseph. Hoc ritu Moses ordinat Iosue ad gubernationē populi Dei, Num. 37. Hoc ritu Christus benedicit pueris. Hoc ritu pecudes ordinabatur ad hoc munus, ut fierent uictimæ. Præcipue autem ritus uictimarum, significauit Christum. Deus æternus Pater imposuit ei manus, id est delegit eum, benedixit ei, unxit eum, & subiecit sibi, ac pressit ingenti onere, ac fecit uictimam pro nobis. Hunc præcipue significat hic ritus impositionis manuum. Postea uero ad ministros transferatur significatio. Christus pontifex imponit eis manum, id est deligit eos uoce ecclesiæ, benedicit eis, ac ungit eos donis suis. Sicut scriptum est: Ascendit, dat dona hominibus, Prophetas, Apostolos, Pastores, Doctores, quos ornat luce doctrinæ & alijs donis. Deinde subijcit eos sibi, ut solū Euangeliū doceāt, solius Christi regno seruiāt, nō querant sibi potentiā, nō constituāt imperia prætextu religionis, sint etiā uictimæ, id est perferāt odia, ærūnas & supplicia propter ueram doctrinā. Sicut Psalmus inquit, Propter te maclamur tota die.

Victimarum
ritus.

Cum igitur cogitabis non casu, non sine aliqua significatione hunc ritum à primis patribus & ab Apostolis usurpatum esse, excitetur animus ad agnoscendam muneris efficaciam, ad reuerentiā, ad querendas significationes, quæ nos de Christo pontifice, & de officijs huius muneris admonent.

Econtra uero in doctrina de ordinatione, etiam considerande sunt deprauationes, sacrificuli qui
missas

Deprauationes doctrinæ
de ordinatione,
ne,

missas pro alijs faciunt, fingunt ordinationem ideo fieri, ut detur potestas sacrificandi pro uiuis et mortuis. & quidem dicunt se offerre filium Dei, & sua oblatione mereri alijs remissionem peccatorum. Ad dunt item, sine hoc sacrificio non prodesse ecclesie mortem Christi. Etsi autem quaedam sumpta sunt ex *καλοσυνή* & Leuitici sacerdotij male intellecti, tamen & alia multa affinxerunt ex ethnicis opinionibus. Hi errores reijciendi sunt, qui pepererunt multiplicem *ειδωλομαχία*, quam Turcica tyrannide puniri non dubium est.

Sed propter munus Euangelij docendi, & efficaciam eius muneris, ordinatio retinenda & magnificanda est.

Anabaptistis
contemni &
ministerium &
ordinationem

Anabaptistae autem unà cum ministerio contem-
nunt ordinationem, fingunt expectandas esse nouas
reuelationes, & illuminationes à Deo, easq; peten-
das magnis macerationibus corporis, sicut monachi,
& olim *ἰουδαῖοι* finxerunt. Hæc fanatica delira-
menta execranda sunt. Oriuntur autem ex falsis
persuasionibus de disciplina legis, & ex ignoratio-
ne doctrinae fidei.

Nos contra sciamus, Deum immensa bonitate pa-
tescisse uoluntatem suam in Euangelio, nec alias il-
luminaciones quærendas esse, sed fidem & inuoca-
tionem excitari hoc ipso Euangelio nobis exhibito,
& Deus uult esse publicum ministerium. idq; mira-
biliter conseruat, & subinde repurgat, ut ad hoc Eu-
angelium

angelium exhibitum sciamus ecclesiã alligatam esse. Hęc dicit Paulus Eph. 4. his uerbis: Institutum esse ministerium Euangelij, ut Euangelium conseruetur, ne circumferamur omni uento doctrinæ.

CONFIRMATIO.

Olim fuit exploratio doctrinæ, in qua singuli recitabant summam doctrinæ, & ostendebāt se dissentire ab ethnicis & hæreticis. & erat mos ad erudiendos homines, item ad discernendos prophanos & pios, admodum utilis. Postea fiebat publica precatio, & Apostoli imponebant eis manus, ita donabantur manifestis donis spiritus sancti. Sed nũc ritus confirmationis, quẽ retinent Episcopi, est prorsus ociosa ceremonia. Vtile autem esset, explorationem & professionem doctrinæ fieri, & publicam precationem pro ijs, nec ea precatio esset inanis.

Confirmatio-
nis ritus, ocio-
sa ceremonia.

DE VNCTIONE.

Vnctio olim curatio medica fuit. nam Deus, ut autoritatem aliquam Patribus & Prophe- tis circumdaret, inde usq; ab initio ornauit eos dono sanandi: ut Abraham, Isaac, Iacob, Esaias, & similes uiri professione medici fuerunt. Estq; per hos uiros unã cum doctrina ueræ religionis, propagata doctrina physica de plantis et multis naturæ partibus. Hunc ueterem morem renouauit Christus, cum misit Apostolos, iussit eos mederi egrotis, & instruxit dono sanandi. Hoc donum mansit in ecclesia etiam postea, & certum est adhuc multos precibus eccle-
siæ

Medicinæ do-
num.

Unctionis su-
perfluo.

siæ sanari. Hæc moneri utile est, ut discamus Dei donum esse corporis incolumitatem, quam tribuit ut alijs inseruiamus. Hanc uult peti, & quadam diligentia foueri. Sed ritus unctionis qui nunc est, tantum est superstitiosa ceremonia: & accessit mortuorum inuocatio, quæ est impia. Ideo unctio illa cum suis appendicibus reiicienda est.

DE BAPTISMO.

Baptismus
cur sacramen-
tum.

Baptismus est integra actio, uidelicetmersio, & uerborum pronuntiatio: Ego baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Principalis autem significatio & finis baptismi discitur ex promissione: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Ideo enim baptismus proprie sacramentum dicitur, quia huic promissioni additus est, ut testetur promissionum gratiæ uere ad hunc pertinere qui baptizatur. Ac perinde sentiendum est de hoc testimonio, ac si Deus noua aliqua uoce de cælo testaretur se hunc recipere.

Baptismi u-
sus assiduus
qui.

Postquam ergo baptizatus doctrinã intelligit, exerceat hanc fidem, credat se uere à Deo recipi propter Christũ, & sanctificari spiritu sancto. Sic utendũ est baptismo postea in uita. Quotidie nos cõmonefaciat: Ecce hoc signo Deus testatus est, te receptũ esse in gratiã. Hoc testimoniũ non uult cõtemni. Quare credas te uere receptũ esse, & hac fide eum inuoces. Hic est usus assiduus baptismi. Ita Abrahamæ circumcisio erat perpetuũ testimoniũ scriptũ in ipsi

us corpore, quo admoneretur de semine ueturo, & de promissa benedictione propter semē. quoties cogitabat de cir cūcisione, acquiescebat fide statuēs se Deo placere, & ei gratias agebat, & eū inuocabat.

Vt autem promissionis amplitudo melius aspiciatur, uerba baptismi consideremus, quæ complectuntur Euangelij summam, & sunt benedictio, qua consecramur Deo, & per quam super nos inuocatur nomen Dei. Ego, inquit minister, mandato diuino & loco Christi baptizo te, id est hoc signo testificor ab lui peccata tua, & te reconciliatum esse uero Deo, qui est Deus æternus pater Domini nostri Iesu Christi, & misit pro te Filium mirando & inenarrabili consilio, ut tibi peccata remittat, & inchoet in te nouam iustitiam & uitam æternam spiritu sancto. Hæc benedictio consecrat nos Deo, & discernit ecclesiam ab omnibus gentibus, quia nulla alia gens uere inuocat Deum sicut se patetescit, scilicet, Patrem Domini nostri Iesu Christi placatum per filium, & sanctificantem spiritu sancto.

Baptismi uerba, Euangelij summa.

Et quia summa Euangelij his uerbis continetur, amplissimæ consolationes nobis proponuntur, quam gratum est enim audire, quod iam uere sis à Deo ac æterno patre receptus, quod filij beneficia tibi donata sint, quod uelit te Deus regere spiritu sancto, quod eripuerit te à morte æterna, et à uinculis diaboli. quo attentius cogitabis uerba baptismi, eo magis accēdetur animus agnitione misericordiæ Dei, et magis cōfirma-

firmabitur fide, & excitabitur ad inuocandum.

Ut autem uerba nobis proponunt promissionem & consolationem, ita uicissim postulant fidem, & hanc obligationem, ut hunc uerū Deū æternū patrē Domini nostri Iesu Christi, & Filium eius, & spiritum sanctum agnoscamus. De hoc mutuo scødere dicitur 1. Pet. 3. Baptisma quod est non sordium corporis depositio, sed stipulatio bonæ conscientie erga Deum, per resurrectionē Christi. Intelligit enim mutuam obligationem, et mutuum scødus. Deus proficitur se nos recipere, id conscientia credens amplectitur, & hac fide iam uere agnoscit Deum, & inuocat. Hæc recta de Deo sententia, uocatur bona conscientia, uidelicet recte agnoscens Deum, recte inuocans. Additur autem, per resurrectionē Christi. docet enim baptismum efficacem esse propter regnantem Christū: et iubet fide agnoscere, donatā esse hanc reconciliationem propter Christum.

DE SIGNIFICATIONIBVS.

Dixi supra, in sacramentis multas esse significationes: sed unam præcipuā, uidelicet gratiæ, anteferendam esse cæteris. Hanc etiam ritus pingit. quia ablutio significat, abluī peccata propter Christum, & nobis applicari beneficium passionis Christi, cum mergimur in aquā uelut in mortē Christi. Postea non est absurdū addere alias significationes. Sicut iter Israelitarum per mare rubrum fuit imago afflictionum ecclesiæ & liberationis, ita mer-

sis

Petri locus.

Bona conscientia.

Baptismi ablutio quid.

Varie baptismi significationes.

ſio in baptiſmo imago eſt afflictionum & liberatio-
nis. Sed altera ſignificatio longe anteſerēda eſt, quæ
nos de promiſſione & de gratia admonet, & requi-
rit fidem.

Vt autem ſatis fuit ſemel circumcidi, cū eſſet man-
data circumciſio: ita ſemel tantum fiat baptiſmus,
ut hæc grauiffima ratio oſtēdit. Peccatum eſt abuti
nomine Dei, et inuocationē uerā improbare. Qui
autem rebaptiſant, improbant priorem baptiſmum,
iudicant inanem ac inutilem fuiſſe: atq; ideo impro-
bant ueram inuocationem Dei, factam de hoc bap-
tato. Ideo non eſt repetenda ipſa ceremonia. Cæteriū
de Anabaptiſtis plura mox dicemus, qui multos per-
nicioſos errores ſuo anabaptiſmo admittent.

Baptiſmus ſe-
mel fiat,

ſciant autem pij, ſemel factum baptiſmum mane-
re perpetuum teſtimonium et fœdus. Dauidi poſt la-
pſum nō erat opus noua circumciſione, ſed illa prior
circumciſio de utraq; re admonebat eum, uidelicet
ideo hanc naturam circumcidi, quia ſub peccato eſt,
& redeundum eſſe ad promiſſionē reconciliationis
illis ipſis, qui lapſi eſſent. Sic lapſi iam ſentiant, non
iterent ceremoniam, ſed admoniti fœdere quod an-
tea factum eſt, in quo fit mentio filij, quæ eſt teſtimo-
niū remiſſionis peccatorū, redeant ad propoſitā re-
conciliationē. Ita baptiſmus magnā doctrinā et con-
ſolationē lapſo affert. Quia ipſa mentio filij admo-
net nos de pœnitētia, et de remiſſione peccatorum,
et teſtatur redeuntes iterū fieri mēbra populi Dei.

DE BAPT. IOANNIS
DE BAPTISMO IOHANNIS
& Apostolorum.

Totum ministerium Iohannis baptistæ, opus Dei fuit, & inchoatio noui ministerij, quod post legem secuturum erat. Ideo baptismum eius nō cogitemus inepte, ociosum spectaculū fuisse. Et quod aliqui dicunt, tantum pœnitentiã significatã esse, non remissionē, est absurdum. Nam prædicatio pœnitentiæ sine remissione est ethnica, estq; prædicatio iræ & mortis æternæ, quæ non sonat in ecclesia sine prædicatione remissionis. Ideo Lucas et Marcus expresse dicunt, Prædicans baptismum pœnitentiæ ad remissionem peccatorum.

Pœnitentiæ
prædicatio si-
ne remissio-
ne, ethnica.

Baptismus
Ioannis &
Apostolorum
idem.

Etsi igitur differentia erat in hoc articulo, Ioannes de passuro Christo, Apostoli de passō & resuscitato prædicant: tamen ministerium fuit idem, et effectus eosdem habuit in credentibus. Docebat enim Ioannes de utraque re, de remissione peccatorum, & de efficacia spiritus sancti in his qui filio crederēt. Sicut inquit, Baptisabit eos spiritu sancto. Item, Ex plenitudine eius omnes accepimus, ubi testatur, non ita recipi credentes, ut nō sit efficax in eis Christus: sed docet nouam lucem et iusticiam in eis inchoari.

Sed cur Ioannes discrimen facit, inquit: Ego baptiso uos aqua. qui autem post me uenturus est, baptisabit uos spiritu sancto et igni? Respondeo, Non discernit externum ministerium, sed personas: uult intelligi discrimen Messie, & ministrorum. Mini-

Christi & mi-
nistrorum di-
scrimen.

stri

stri tantum adhibet externum ministerium, sed per illud efficax est Christus: propter eum & per eum datur reconciliatio, spiritus sanctus & uita aeterna. Hæc non efficiunt ministri. Quare necesse est personam Christi à ministris discerni. Id discrimen nõ obseruant ignari Euangelij, qui imaginantur Christum tantum esse doctorem, sicut Pharisei putabant; nec intelligebant eum esse missum, ut esset uictima, item ut esset dator nouæ & aeternæ uitæ ac iusticiæ.

DE BAPTISMO INFANTIVM.

Grauius præcipitur à Paulo, ut explorentur spiritus: & Christus regulam tradit, inquiens, Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Certum enim signum est fanaticæ mentis, & agitatæ malo spiritu, insignes aliquos errores pertinaciter defendere. Porro Anabaptistæ non tantum hunc unum articulum de baptismo infantum labefactant, sed multos prodigiosos errores miscent. Estq; totum eorum delirium confusum ex multarum ueterum sectarum furoribus, ex Manichæis, ex Enthusiasticis, ex Iudeorum recentium fabulis. Non intelligunt discrimen iusticiæ spiritualis & ciuilis: ideo negant licere Christianis imperia tenere, magistratus gerere, iudicia exercere, dare legitimum iusiurandum. cõtendunt discedendum esse à proprijs facultatibus, & oportere eas in commune conferri. aiunt relinquendos esse coniuges qui abhorret ab Anabaptistico dogmate. Hi furores non possunt non oriri à diabolo, &

Anabaptistarum errores.

sunt faces seditionum. Quia enim nō intelligunt Eu-
angelij præcipuum locum de iusticia fidei, sed ma-
xime contendunt hominem propter propria opera
& duras afflictiones, ut ipsi loquuntur, iustum esse:
ideo sibi fingūt talia opera monastica, ut aliquid no-
ui & duri facere uideantur.

Monasterien-
sum amentia.

Addiderant Anabaptistæ Monasterienses magis
prodigiosos errores. Finxerant Iudaico more, futu-
ram esse monarchiam piorum ante resurrectionem:
& ut illam monarchiam constituerent, seditiose ar-
ma ceperant. Hæc amentia erat perspicua nota dia-
boli, quæ sanos conuincit, ut intelligant fugiendum
esse contagium anabaptisticum.

Sed etiam si qui sunt moderatiores, tamen semina
similium furorum retinent. Deniq; omnes de pecca-
to originis, de iusticia fidei, et de ministerio externo
errant: tollunt manifesta amentia peccatum origi-
nis, nec iudicant peccatum quicquam aliud esse, nisi
facta seu actiones externas, pugnâtes cum lege Dei.
Iam audito noua deliria ab eis fingi: Christū passum
esse, non ut aboleret peccatum, sed ut aboleret mor-
tem corporalem. Hoc non solum falso, sed etiam sto-
lide dicitur: quia abolere mortem, est abolere pecca-
tum. Nā ut Paulus dicit, Per peccatū irrupit mors.
Denique nunquam unus aliquis insignis error solus
deffenditur, sed plures misceri necesse est. Ideo iudi-
cium de fanaticis opinionibus facile fieri potest, con-
quisitis talibus notis. Cūq; manifestæ sint notæ mali
spiritus

Noua Anaba-
ptistarum deli-
ria.

spiritus in confusione dogmatum anabaptisticorū,
fugiāmus eorum contagium, nec hypocrisi eorum
moueāmur.

Quod autem baptismus infantium non sit recens
mos, sed primæ & purioris ecclesiæ testimonio com-
probat, sequentes sententiæ ostendunt, quas reci-
tabo. quia non dubito, pios ecclesiæ purioris exem-
plo confirmari.

Origenes sexto capite ad Romanos sic scribit: Infantium ba-
ptismus pri-
mæ Ecclesiæ
testimonijs
comprobat
Itaq; & ecclesia ab Apostolis traditionem accepit,
etiam paruulis dare baptismum. sciebāt enim illi qui
bus secreta diuinorum mysteriorum commēdata sue-
runt, quod essent in omnibus genuinæ sordes pecca-
ti, quæ per aquam et spiritū aboleri deberent. Hæc
Origenis uerba perspicuum testimoniū continent de
duobus articulis, de peccato originis, & de bap-
tismo infantum.

Cyprianus scribit, in Synodo damnatā esse opi-
nionem cuiusdam, qui infantes. nolebat ante octauū
diem baptisari. Censuit enim Synodus infantes bap-
tisanos esse, nec obseruari oportere præscriptum
tempus octauī diei.

Augustinus de baptismo cōtra Donatistas libro
4. inquit: De baptismo paruulorum, quod uniuersa
tenet ecclesia, nec Concilijs institutū, sed semper re-
tentum est, non nisi Apostolica autoritate traditum
rectissime creditur.

I. ARGUMENTVM.

Sed sumemus etiam argumēta ex Euāgelio, quæ quia bona consequētia ex certissimis sentētijs sequuntur, necessariò ualent. Ac primum hoc certissimum est, Regnum Dei, id est promissionem gratiæ & uitæ eternam nō ad solos adultos, sed etiam ad infantes pertinere, qui tamen inserti sunt Ecclesiæ. Quia Christus clarissime de infantibus inquit, Talium est regnum cœlorum. Item, Non est uoluntas Patris, ut pereat unus de paruulis istis. Hæc dulcissimæ uoces testantur magnam Ecclesiæ Dei partem esse infantes, super quos inuocatum est nomen Dei. Quare hæc dicta & amemus, & tueamur, nec sinamus eludi ea sycophanticis cauillationibus: ut Anabaptistæ contendunt, nihil promitti infantibus, sed præcepta esse adultis tradita, ut imitentur infantum innocentiam, qui nondum habent studium nocēdi. Hæc cauillatio non impediatur, quo minus statuas hæc dicta uere esse promissiones, testantes Deo placere hos infantes de quibus loquitur: id est infantes insertos Ecclesiæ.

Infantes magna Ecclesiæ pars.

Extra ecclesiam nulla salus.

Certum et hoc est, extra Ecclesiam, hoc est, apud eos super quos non est inuocatum nomē Dei per baptismum, & qui sunt sine Euangelio, non esse remissionem peccatorum & societatem uitæ eternæ, ut apud hostes Christi, & blasphemos Iudeos, Mahometistas, & similes. id clare probatur hoc dicto: Non est aliud nomen datum hominibus, quo oporteat saluos fieri, nisi nomen Iesu Christi.

Item

Item Ephes. 5. Paulus describens Ecclesiam, inquit, Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum pro ea tradidit, ut eam sanctificet, mundans eam lauacro aque. definit Ecclesiam esse regnum Christi, quam sanctificat. & addit Ecclesie signum, ut discernat eam à reliquis gentibus, super quas non est inuocatum nomen Christi.

Ecclesia regnum Christi.

Item Rom. 8. Quos elegit, hos & uocauit. Nulla igitur electio est eorum, qui non inseruntur Ecclesie externa uocatione. Item Matthæi 18. Vbi sunt duo aut tres congregati in nomine meo, in medio eorum sum. Ergo in eo cœtu, qui non est congregatus in nomine Christi, Christus non adest. Tenenda est igitur hæc sententia firmissime. Extra Ecclesiam non esse remissionem peccatorum, & salutem æternam. His duabus propositionibus constitutis, quod ad infantes pertineat promissio gratiæ, & quod non pertineat ad infantes extra Ecclesiam: clare sequitur conclusio. Infantes necessario inserendos esse Ecclesie per baptismum, in quo super eos inuocatur nomen Dei. Magna res est inuocatio nominis Dei, quæ fit per ministerium. ideo Christus coniunxit hæc duo, Sinite paruulos uenire ad me, quia talium est regnum cœlorum. Talium, id est eorum qui mihi offeruntur, super quos inuocatur nomen meum.

Infantes necessario Ecclesie inserendæ per baptismum.

Itaq; non dubito conuinci omnes sanos hoc argu-
mento, extra Ecclesiam non est salus: id est, ubi nec

ministerium Euangelij sonat, nec Sacramenta administrantur. Ad infantes pertinet promissio salutis, ergo infantes necesse est inseri Ecclesie per baptismum, in quo super eos inuocatur nomen aeterni Patris, Filij, & spiritus sancti. Hoc argumentum ita firmum est, ut euertere non possit. Nequaquam enim affirmari potest, pertinere salutem ad infantes extra Ecclesiam, ut sine ullo testimonio furenter contendunt Anabaptistae.

Salutem non pertinere ad infantes extra ecclesiam,

II. ARGUMENTVM.

Infantes nascuntur cum peccato, nec fiunt heredes uitae aeternae sine remissione peccati. Instituit autem Deus in Ecclesia ministerium remittendi peccata, & distribuendi remissionem per Sacramenta. Vult ita dare remissionem, cum eius ministerio utimur. Quare infantibus impertiendum est hoc beneficium per baptismum.

Ministerium remittendi peccata,

Anabaptistae negant peccatum originis.

Quod uero Anabaptistae in uniuersum negant totam doctrinam de peccato originis, magis produnt suam amentiam. Nam si sunt sine peccato, Christus non est passus pro infantibus. Collegimus autem alio loco testimonia Prophetica & Apostolica, quae ostendunt omnes nascentes secum asferre peccatum, ut Rom. 5. Mors peruasit in omnes homines, eo quod omnes peccauerunt, id est sunt rei. Et Eph. 2. Eramus & nos natura filij irae, id est rei, seu addicti irae, seu damnati. Cum igitur non dubium sit in infantibus esse peccatum, debet aliquod esse discrimen in-

fantium

fantum Ethnicorum, qui manent rei : & infantū in Ecclesia, qui recipiuntur à Deo per ministerium.

III. ARGUMENTVM.

Ad quos pertinet promissio, ad eosdem pertinet & signum. nam signum traditum est propter promissionem. Certum est autem promissionem gratiæ pertinere ad infantes, ergo necesse est eis applicari signum per ministerium, quo super eos nomen Dei inuocatur.

Signum propter promissionem traditū.

III. ARGUMENTVM.

Mandatum de baptismo est uniuersale, ac ad totam Ecclesiam pertinet : Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non intrabit in regnum cælorum.

Mandatū de baptismo uniuersale.

Pertinet igitur etiam ad infantes, ut fiant pars Ecclesiæ. Nec dubium est semper fuisse aliqua signa quibus infantes in Ecclesia Deo oblati sunt, ut fuit circumcisio masculorum inde usq; ab Abraham, & aliæ ceremoniæ, quibus infantes masculi & foemelle Deo offerebantur, id est, in quibus ceremonijs nomen Dei super eos inuocabatur, & applicabatur eis benedictio diuina promissa patribus. Habuerunt patres & ante Abraham, alia signa à Deo tradita. Oportet enim teneri hanc hypothesin, Infantes qui sunt in Ecclesia, super quos inuocatum est nomen Christi, recipi in gratiam : non Turcicos, non Iudaicos.

Sed reclamant Anabaptistæ, negant prodesse baptismum infantibus, cum non intelligant uerbum,

Obiectio

Spiritum sanctum dari infantibus per baptismum.

Et ceremonia sine fide accipientis sit ociosa. Ad hoc respondeo. Verissimum est, in omnibus adultis requiri poenitentiam & fidem: sed de infantibus hoc satis est tenere, Spiritus sanctus per baptismum eis datur, qui efficit in eis novos motus, nouas inclinationes ad Deum, pro ipsorum modo. Nec id temere adfirmatur, nam hæc certa sunt, recipi infantes à Deo per hoc ministerium: dari item semper cum remissione peccati spiritum sanctum, & neminem placere Deo nisi sanctificatum à spiritu sancto. Sicut clare inquit Christus: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non intrabit in regnum coelorum. Item 1. Corinth. 15. Caro & sanguis, uidelicet sine spiritu sancto, non possunt regnum Dei possidere. & Roman. 8. Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei. Cum ergo certum sit, hos infantes esse partem Ecclesie, & placere Deo: certum & hoc est, Deum in eis efficacem esse. quia uitam æternam oportet in hac uita inchoari.

Vita æterna hic inchoanda.

Hæc de baptismo pie & diligenter consideremus omnes, ut nos etiam grandiores pacto & fœdere illo nos consolemur, ut suprâ dixi. Maxime uero adolescententes caueant, ne donum baptismi effundant, ne ue illam ingentem gloriam amittant, quam prædicat Christus de infantibus in Ecclesia: Non est uoluntas Patris, ut pereat unus de paruulis istis. Quæ potest maior gloria cogitari, quàm quod affirmat hos certo placere Deo, & ei curæ esse? & parentes hac fide

Parentâ officium.

de

de de baptismo inuocent Deum pro infantibus, & eos Deo commendent. Ac statim cum doceri possunt, assuefaciant eos, ut ipsi inuocent Deum, & filium eius, & paulatim tradant eis summam Euangelij. Deniq; cum pueri sint magna pars Ecclesie, sci- ant parentes, & praeceptores, sibi non exiguum the- saurum commendatum esse. Quare praestent fidem & diligentiam, in docenda & regenda iuuentute.

DE COENA DOMINI.

SAepe dictum est, singulare & ingens Dei bene- ficium esse, & admirabilius ipsa creatione re- rum, quod Deus se patefecit humano generi certis & illustribus testimonijs, & uoluntatem suam de sa- lute nostra traditis claris promissionibus nobis de- clarauit, & harum promissionum uoce Ecclesiam si- bi inde usque ab initio post receptos primos paren- tes condidit & collegit. Hæc ipsa patefactio manife- ste conuincit nostras mētes, ut statuere cogantur nos Deo curæ esse, & ab eo respici. Ideo historiæ om- nes patefactionum quæ scriptæ sunt, sæpe cogiten- tur, ut cum lapsos primos parentes Deus recepit, et primam promissionem edidit, cum Nohæ mandauit ut arcam conderet, cum Abrahæ promissionem no- uam tradidit, cum populum ex Aegypto eduxit, & suæ Ecclesie certum domicilium (ut ita dicam) & certam sedem dedit, cum misit Prophetas ac deniq; Filium Dominum nostrum Iesum Christum, & re- suscitatione mortuorum & alijs miraculis declara- uit uere à Deo missos esse.

Dei patefa-
ctio, beneficijs
creatione re-
rum maius.

Patefactionis
illius historiæ

Quo-

Quoties autem fit mentio promissionum, & condita seu instaurata Ecclesie, simul consideres, à Deo addita testimonia quaedam incurrentia in oculos, quæ essent quasi *σφραγίδια* promissionum.

Causæ, cur
promissioni
ritus additi.

Et tres causæ magnæ ac præcipuæ sunt, cur illi externi ritus additi sint promissioni.

1 Prima, ut priuatim commonefacerent utentes, de promissione & de uoluntate Dei erga nos, atq; ita per ea fides in nobis erga Deum excitaretur, & confirmaretur.

2 Secunda causa fuit, & est, ut memoria publicè durabilior esset, & propagari ad omnem posteritatem promissio certius posset. Nam ritus incurrentes in oculos, sunt diuturniores: ut uidemus ethnicos etiam retinuisse ritus acceptos à patribus, amissa doctrina patrum. quos ritus tamen corruperunt, cū subinde nouas opiniones & noua idola fingerent. Cæterum manifestum est ritus ad memoriam & propagationem conducere. Et multi ritus pinxerunt promissiones: ut circumcisio admonebat Abraham & posteros de semine, mactatio uictimarum admonebat patres de morte uenturi Domini.

Rituum usus.

3 Tertia causa fuit, et est, ut ritus illi essent nerui publicorum congressuum. Vult enim Deus ministerium Euangelij publicum esse, non uult in latebris (ut Eleusinia) tantum teneri inclusam Euangelij uocem, sed exaudiri eam uult à toto genere humano, uult se agnosci & inuocari. Ideo uult esse publicos

Euangelij mi-
nisterium pu-
blicum.

& honestos congressus, & in his uult sonare Euangelij uocem, uult se ibi inuocari & celebrari: uult etiam hos ipsos congressus testes esse seiunctionis Ecclesie Dei ab aliarum gentium sectis, factionibus, & opinionibus. Conuenit Ioannes Ephesi cum suo cœtu, & docet Euangelium, & usu Sacramenti totus cœtus ostendit se hanc doctrinam amplecti, & hunc Deum inuocare qui Euangelium tradidit, & seiunctum se esse à Dianæ, Iouis, & aliorum idolorum cultoribus. Vult enim Deus conspici & audiri suam Ecclesiam in mundo, & uult seiunctā esse multis publicis notis à reliquis gentibus. Sic habuerunt suos cœtus Adam, Seth, Enoch, Noha, Sem, Abraham. & deinceps politia Israel habuit multos ritus, ut seiunctio illa à gentibus esset conspectior.

Quanquam autem diabolus semper conatus est, & conatur delere ministerium Euangelij, & dissipare hos cœtus & congressus Ecclesie per tyrannos & hæreticos: tamen Deus sua immensa misericordia semper seruauit, & subinde restituit & ministerium Euangelij & publicos Ecclesie congressus. Quid nunc arma Turcica aliud moliuntur, nisi ut deleant uocem Euangelij, & dissipent congressus Ecclesie Dei? At Deus seruaturum se Ecclesiam suam promisit, & seruabit. Ac in ipsa Cœna Domini inclusa est hæc promissio, quæ adfirmat non interituram esse Ecclesiam Dei in hoc mundo. Iubet enim annunciari mortem Domini, & hanc Cœnam

distrib-

Cure Deo esse & Euangelij ministerium, & congressus Ecclesie.

distribui donec uenerit. Hæc consolatio pijs grata esse debet. Et retinentes puritatem Euangelij, & pium usum Sacramentorum, haud dubie defendentur.

Cœna Domini patefactionis Dei testimonium insigne.
Cœna cur instituta.

Hæc præfatus sum, ut cogitemus de causis institutione Cœnæ Domini quæ, & ipsa testimonium est insigni patefactionis Dei. Non aliter audias uerba huius Cœnæ, quàm si ipsum Christum coram tecum loquentem audires, & simul de ipsius resurrectione et cæteris miraculis cogites, quibus se uere Deus nobis patefecit. Ac scias institutum esse hoc Sacramentum primum ad commonesaciendos singulos, & excitandam & confirmandam fidem in nobis: deinde, ut memoria passionis & resurrectionis Christi perpetuò propagetur hoc ritu: deniq; ut sit neruus publicæ congregationis, in qua Ecclesia Dei ostendat se seiunctam esse à cæterarum gentium opinionibus.

Post hæc exordia hæc quatuor considerentur.

1. Quomodo instituta sit Cœna Domini.
2. Quibus profit manducatio.
3. Qui sint ad eam admittendi.
4. De abusu & prophanatione Sacramenti.

DE PRIMO.

Quomodo instituta cœna Domini.

Ritus describitur à Matthæo, Marco, Luca, & à Paulo. Et nominatim inquit Paulus, Conuenientibus uobis, uult publici congressus ceremoniam esse hanc cœnam. Et simul uult ibi doceri Euangelium, inuocari Deum, mentione & fiducia Domini nostri

nostri Iesu Christi, & agi gratias. Ideo dictum est,
Hoc facite ad recordationem mei.

Nec est inane spectaculum, sed Christus reuera
adest dans per hoc ministerium, suum corpus & san-
guinem manducanti & bibenti. Sicut & ueteres scri-
ptores loquuntur. Cyrillus in Ioan. inquit, unde con-
siderandum est, Christum non solum per dilectionem
in nobis esse, sed etiam naturali participatione, id
est, adesse non solum efficacia, sed etiam substantia.

Et Hilarius ait, De naturali enim in nobis uerita-
te quæ dicimus, nisi ab eo didicimus, stulte & impie
diceremus. Ipse enim inquit, Caro mea uere est ci-
bus, & sanguis meus uere est potus, & deinceps.
Hæc accepta & hausta efficiunt, ut & nos in Chri-
sto, & Christus in nobis sit. Non imaginemur esse
memoriã hominis mortui, ut sunt spectacula de Her-
cule aut similia. Abijciamus hæc profanas cogitatio-
nes, ac hoc testimonio commonefacti credamus ue-
re Christum pro nobis factum esse uictimam, ac mor-
tuum, sed reuera etiam resuscitatum iam regnare, et
adesse suæ Ecclesiæ, & in hoc ministerio uere nos si-
bi tanquam membra adiungere.

DE SECUNDO.

In Ecclesijs quæ recte docentur, inuitandi sunt
& assuescendi auditores, ut crebrior usus sit
Sacramenti corporis & sanguinis Christi, & ut
in usu simul excitetur ardentior inuocatio, &
gratiarum actio. Sed simul docendi sunt homines,
quibus

Coena Domini
ni frequētius
utendum.

quibus proſit manducatio. Vtrunq; uituperandum
& deplorandum eſt, quod multi qui uolunt uideri
membra Eccleſiæ, totis annis decem uix ſemel aut
bis ſumunt Sacramentum. Et ſimul cum hac negli-
gentia obrepunt prophane opinionēs, extinguitur
inuocatio, & accedunt alia uitia.

Examen ante
uſum Coenæ
cuiusmodi ha-
bendum.

Olim initio Eccleſiæ multo erat frequentior uſus
Sacramenti, ut ueteres hiftoriæ & canones oſten-
dunt. Eſt & alteri malo magna diligentia & ſeueri-
tate occurrendum, ne ignari quid agant, & polluti
maniſteſtis uitijs, ſine pœnitentia ad communionem
accedant. Ideo utile & pium inſtitutum eſt, prius ſin-
gulos explorare quid intelligant, quid didicerint: et
in eo colloquio rudiores docere, & quid ſit Sacra-
mentum, & quis ſit uſus, & quibus proſit.

Indigne man-
ducare.

Deinde maniſteſtum eſt, de hac parte ſæpe dicen-
dum eſſe, non prodeſſe manducationem ijs qui non
agunt pœnitentiam, ſed perſeuerant in delictis con-
tra conſcientiam. ſicut Paulus clara uoce adfirmat:
Qui manducauerit panem hunc, aut biberit pocu-
lum Domini indigne, reus erit corporis & ſangui-
nis Domini. Manducant autem indigne, qui non ad-
ferunt timorem Dei, & fidem, ſeu pœnitentiam &
fidem, & ſcientes perſeuerant in delictis contra con-
ſcientiam. Alij indulgent libidinibus, alij odijs, & in-
iſtæ cupiditati uindictæ, alij alijs ſcleribus pollu-
tos ſe eſſe norunt, nec deponunt propoſitum male ſa-
ciendi. Hæc mala per ſeſe offendent Deum: ſed Pau-
lus

lus cumulari hanc offensionem noua tristiore offensione inquit, quod contumelia afficiant corpus & sanguinem Domini. Deinde addit alteram comminationem: Edens & bibens indigne, iudicium sibi edit & bibit, non discernens corpus Domini. id est, poenam sibi accersit, non solum pro prioribus peccatis, sed etiam pro hoc scelere, quod contumelia adficit corpus Domini. Necessaria est igitur poenitentia, seu timor Dei, in his qui accedunt ad communionem.

Poenitentia et
timore Dei in
Cœng usua
opus.

Et quidem de utraq; re, de poenitentia & de fide concionatur hæc ipsa actio, celebratur memoria mortis Christi. Audis corpus Christi pro te datum esse. Audis sanguinẽ pro te effusum esse. Hæc uerba nos primum de ingenti ira Dei aduersus nostra peccata commonefaciunt, quam cum nullorum hominum aut angelorum uirtutes aut merita placare poterint, sed filij morte placari oportuerit, pia mens iudicare potest, peccatũ non esse leue malum. Multæ magnæ calamitates humane, morbi, exilia, supplicia, inopiæ, bella, neces, & aliæ ærumnæ, signa sunt iræ Dei aduersus peccatum: & nobis impositæ sunt, ut de iudicio et ira Dei admoneamur. sed lōge illustrius testimoniũ est ingentis iræ, filius Dei sudans sanguinem, luctans cum ira Dei, laceratus, pendens in cruce. Hoc testimonio si quis non mouetur, nec expauescit cogitatione iræ Dei, & mortis Christi in hac ipsa actione & manducatione, non considerat quid hic agatur. O Iesu Christe fili Dei uiui, pro nobis

Iræ Dei ad-
uersus pecca-
tum signa

Oratio ad
Christum.

D cruci-

crucifixe & resuscitate, accende mentes nostras, ut ad Deum conuertamur, nec contēnamus iram eius, et tuam mortem: sed uere ad agnitionem tuorum beneficiorum & mirandi consilij de tua morte flectamur. Longe superat hoc consilium uniuersam sapientiam omnium creaturarum. Ideo tu nos fili Dei Iesu Christe erudias, qui dixisti: Nemo nouit Patrē nisi filius, & cui filius reuelauerit.

Fides in Coena requiritur.

Deinde & fides necessaria est, petens & accipiens remissionem peccatorū. Nam hic offertur remissio peccatorum, & applicatur credenti. Cum enim hic dicatur, Hic est sanguis noui testamēti: admonemur de uniuerso Euangelio, de toto beneficio Noui testamenti. Et haec promissio requirit fidem, ut supra dictum est copiose. At non agens pœnitentiam, nec petit nec accipit remissionē. Hac igitur doctrina pœmoniti, exuscitemus animos ad pœnitentiam, & ad feramus fidē. Digne igitur accedunt, qui seriō agūt pœnitentiam, & ideo ad cœnam Domini accedunt, ut commonefacti hoc testimonio & promissione noui Testamenti, fidem confirment. Ad hoc igitur prodest manducatio agenti pœnitentiam, uidelicet ad fidem confirmandam, qua sumens uere cōsequitur remissionem peccatorū & spiritum sanctum. Si noua uox Dei de cœlo sonans, testaretur te recipi in gratiam, tum uero ingenti animo diceres te Deo crediturū esse, ac gratias agere: sic oportuit in usu Sacramenti nos sentire. Testatur Christus hoc tanto pignore

Digne manducantes qui.

Fidem confirmari recto cœnæ usu. 1.

gnore te recipi, te fieri membrum sui corporis. Hoc testimonio admonitus, uere te recipi ab ipso credas, et hac fide inuoces Deū, agas gratias Christo, quod morte sua placarit irā Dei, quod dederit nobis Euāgelium & sua testimonia.

Reijciendus est igitur error monachorum & sacrificulorum, qui finxerunt ex opere operato, ut loquuntur, sine bono motu utentis prodesse sumptionem. Vnde hæc Pharisæica deliramenta in Ecclesiā irrepserūt? Clare dicitur, Iustus fide sua uiuet. Quare in sumptione necesse est accedere fidē, plurimas res maximas cogitantem, iram Dei aduersus peccatum, mortem filij Dei, qua pater placatus est, donationem Euangelij, et Sacramentorum, quibus nobis adplicat promissam remissionem peccatorū. Nam Sacramenta singulis adplicant promissionem. Et in hac actione Christus nos sibi tanq̄ mēbra adiungit.

Monachorū
& sacrificulo-
rum error.

Hac cogitatione & fide cum inuocamus Deum, & ducente Christo pontifice ad eum accedimus, accenduntur corda nostra spiritu sancto. Ideo externa uox Euangelij sonat, ut corda eam fide accipiant, ut inquit Paulus: Fides ex auditu est. ita externa actio Sacramenti ideo proposita est, ut corda commonefaciat, & fidem exuscitet, non ut ipsa sit finis & meritum reconciliationis.

Externa sa-
cramēti actio
cur proposita

Postq̄ autē de principali fine, uidelicet de cōfirmatione fidei dictū est, recte addūtur multi alij fines, Nā unius actionis possunt esse multi fines, sed ordinati.

D 2 Necesā

Gratiarum
actio.

Oratio ad
Deum.

Gratiarum
actio ad Deū
patrem.

2 *Necessariò autem ad confirmationem fidei addatur proximus finis, gratiarū actio, ideo nomen huic ceremoniæ attributum est ὑποθήκη. Hic enim & in docendo commemorari debent Christi beneficia, & publica uoce, & in priuatis precationibus expressa gratiarum actio dicatur: Omnipotens Deus, æterne pater Domini nostri Iesu Christi, conditor omnium rerum & conseruator, cum filio tuo coæterno Domino nostro Iesu Christo, & Spiritu sancto tuo, miserere mei propter Iesum Christum filiū tuum, quem mirando & inenarrabili consilio uoluisti pro nobis fieri uictimam, ac simul ostēdisti iram tuam aduersus peccatum, & immensam misericordiam tuam erga genus humanum, sanctifica, rege et iuuā me spiritu sancto tuo, rege & serua Ecclesiam tuam, & politias quæ sunt hospitia Ecclesiarum.*

Gratias etiam ago tibi omnipotens Deus æterne Pater Domini nostri Iesu Christi, conditor omnium rerum, & conseruator, cum filio tuo coæterno Domino nostro Iesu Christo, & Spiritu sancto tuo, quod te immensa bonitate patefecisti Ecclesiæ tuæ, & filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum misisti, ut pro nobis uictima fieret, & per eum nobis donaretur remissio peccatorum & uita æterna. Et quod hæc tua immensa beneficia per Euangeliū & Sacramenta tua nobis impertis, & Euangelij ministeriū et Ecclesiā seruas, nec deleri finis. Utinam grati ardētī pectore possimus hanc tantā bonitatem tuam

tuam, & ingentia beneficia considerare & celebra-
re. Sed te oro, ut accendas nos spiritu sancto tuo, ut
uere sint gratæ mentes, & luceat in moribus nostris
gratitudo, &c.

Tibi etiam Iesu Christe fili Dei, crucifixe pro no-
bis, & resuscitate, ago gratias, quod ingenti amore
erga nos intercessisti apud æternum Patrem pro ge-
nere humano, & factus es uictima pro nobis, & in-
te deriuasti iram Dei aduersus nostra peccata. Accẽ
de corda nostra, ut hoc ingens beneficiũ tuũ magis
intelligamus, & uera gratitudine celebremus, &c.

Ad Christum
filium oratio.

Talem aliquã formã expressam rudiores teneant,
ut se ad cogitationem harum maximarum rerũ exu-
scitent. Nam fides alitur et accenditur cogitatione.
Mouetur animus, cum cogitas iusticiam Dei seuerã,
quod non remisit peccatum sine precio: uere igitur
& horribiliter irascitur peccato. Iam quantus a-
mor filij est, quod intercessit pro nobis, & iram in se
deriuauit? Quãta hæc abiectio sui fuit? quod iacuit
coram Deo, sentiens iram eius, tanquam pollutus
tuis et tot turpissimorum hominum flagitijs, idolis,
libidinibus, & alis probris. Quid nos superbimus,
cum filius Dei in tantam humilitatẽ sese abiecerit.
Hæc in gratiarum actione cogitare utile est.

Fidem cogita-
tione ali et ac-
cendi.

Tertius finis accedat, uidelicet, ut tuum exemplũ
prosit ad retinendã publicam congregationẽ. Nã si
pauci uterentur Sacramẽto, et paulatim homines ab-
ducerẽtur ab hoc congressu, tandẽ Ecclesiæ prorsus

3. Finis, exem-
plo suo pro-
delle ecclesiæ

obliuiscerentur publicæ congregationis, concionũ & Sacramenti: sicut accidit in magna parte orbis terrarum, ubi soli sacrificuli legunt missas, populus abest à templis, nec audit conciones, nec intelligit usum Sacramenti.

Est autem mandatũ Dei, ut singuli suo exemplo inuicent alios ad hanc publicã congregationẽ, ut docet præceptũ de sabbato, quia Deus uult ministeriũ esse publicũ, uult publice sonare uocẽ Euãgelij, uult omnes hanc audire et discere. Promisit etiã se futurũ his congressibus, & preces exauditurum. ut Matth. 18. clare dicitur: Vbi sunt duo aut tres congregati in nomine meo, in medio eorũ sum. De quacunq; re duo consenserint, &c. fiet eis à Patre meo cœlesti. Hac dulcissima pmissiõne cõmendat nobis Christus publicã congregationẽ, uult nos amare cœtus, Ecclesiam, esse *le uiuants*. odit distractiones & dissipationes. Quartus finis est, Confessio doctrinæ. Cum sumis sacramentum, ostendis te eius Ecclesiæ doctrinam adprobare, & uelle membrum esse eius cœtus, cum quo manducas agnum.

4. Confessio
doctrinæ.

5. Dilectio
mutua.

Quintus finis est, Simul manducare, mutuae dilectionis uinculum est. Sicut olim usitatissimũ fuit in faciendis scederibus, uesci iisdem rebus consecratis. Et Paulus admonet, hanc communionẽ uinculũ esse mutuae dilectionis: sicut panis est unus, ita multi sumus unũ corpus. Hæc de finibus ita intelligantur, ne principalis finis omittatur, neue aliquid affingatur, quod

quod pugnet cum principali fine, & doctrinam de uero usu sacramenti & de exercitio fidei obruat.

DE TERTIO.

Qui sint admittendi, ex dicto Pauli satis intelligi potest: Qui manducat indigne, iudicium sibi manducat. Sumunt autem indigne, ut dictum est, qui perseverant in delictis contra conscientiam, sed manifestis, seu arcanis: item qui non adferunt poenitentiam & fidem.

Qui admittendi ad coenam

Sed ministri iudicari non possunt, nisi de manifestis delictis. Arceant ergo eos qui polluti manifestis delictis, non emendant se. Et meminerint praecepti, Nolite sanctum dare canibus.

Illud etiam ad pastorum officium pertinet, explorare doctrinam & fidem singulorum in populo. Et profiteri fidem, & ostendere quid sentiamus de doctrina, apud pastores singuli debemus: sicut Petrus praecipit, ut parati simus reddere rationem de fide nostra.

Doctrina & fides singulorum exploranda.

Qui uero agunt poenitentiam, & serio expauescunt, hi non fugiant sacramenti usum propter priores lapsus: sed sciant ideo hoc tantum pignus propositum esse, ut fides de remissione peccatorum accendatur & confirmetur, & mens reconciliata Deo, rursus eum inuocet, & seruiat ei bona conscientia. Nita tur mens non propria dignitate & puritate: ut filius prodigus rediens ad patrem, non praedicat sua officia & merita, sed agnoscit, accusat, & deplorat suam culpam. ita nos nostras sordes agnoscamus, &

Coena miseri-
cordiae per
Christum pro-
missae pignus

accusemus, & confugiamus ad misericordiam pro-
pter Christum promissam, cuius misericordiae pig-
nus est haec ipsa coena, in qua Christus nos sibi tan-
quam membra adiungit, & testatur donari nobis re-
missionem peccatorum gratis, hoc est non propter
nostram dignitatem, sed quia ipse pro nobis factus
est uictima. Haec cum in usu Sacramenti & inuoca-
tione pie cogitantur, ex his ipsis exercitijs fidei ma-
gis intelliguntur, quam ex longis disputationibus.
Et collatio facile discernit abusus.

De quarto.

Sacramenti
huius propheta-
nationes in
ecclesia.

Contra huius Sacramenti pium usum, de quo di-
xi, peruasurunt in Ecclesiam horrendae prophana-
tiones, quas taxari & uitari necesse est: iuxta illud,
Fugite idola. Ac primum teneatur regula perspi-
cua & firma: ceremonia non habet rationem sacra-
menti, id est, non est signum gratiae Deo placens, cum
aliquid instituitur extra & praeter uerbum Dei,
aut cum transformatur ceremonia in opus genere di-
uersum, id est alius finis constituitur quam qui a Deo
propositus est. ut si quis aquam baptismi circumfer-
ret spectandam, & doceret in ea inclusum esse spiri-
tum sanctum: aut si quis baptismo uteretur ad sanan-
dam lepram. Ita nunc Iudaica & Turcica circumci-
sio nullam habet rationem sacramenti, hoc est non
placet Deo, sed est spectaculum impium, & damna-
tum a Deo: fit enim contra uerbum Dei.

Ceremonia
quatenus ra-
tionem sacra-
menti amittit.

Coenae abusus

Ex hoc exemplo multi manifesti abusus coenae

Domini

Domini iudicari possunt. Spectaculum in quo panis circumfertur, certe non est manducatio. Dixit autem Christus: Accipite, manducate. Nihil ad Sacramenti rationem quadrat, partem auferre, & alligare ibi Christum, prorsus sine ullo uerbo diuino. Sic transformatur ceremonia in opus genere diuersum, cum dicunt se offerre filium Dei pro uiuis & mortuis, & mereri eis remissionem peccatorum. Longius etiam disceditur ab institutione, cum confertur ad bona corporis impetranda, ad uictoriam, ad sclicitatem in mercatu, ad depellendum morbum. Cum sic offert sacrificulus, ut alijs hæc bona impetret, res aliena ab institutione agitur. Alienissima uerò est, cum sacrificuli ignari quid agant, tantum sui uentris causa, hanc oblationem, ut uocant, faciunt.

Etsi autem scio pertinacissime defendi hos abusus, & excusari prestigijs astute cogitatis, & uarijs fucis pingit: tamen pii pios hortentur, ut hanc horrendam prophanationem fugiant, iuxta illud, Fugite idola: & discant pium usum Sacramenti. Vt autem semper publicæ calamitates, regnorum ruina, bella, uastationes, seditiones, furores principum, fames, pestilentia fuerunt poenæ horum scelerum, præcipue cultus idolorum, iniustarum cædium, & libidinum: ita arbitrator grassari arma Turcica, præcipue propter idola in Ecclesiã inuecta, prophanationes missarum, inuocationes mortuorum, et propter uagus libidines.

Oremus igitur filium Dei, ut errores corrigat, et poenas mitiget.

Turcarum gratificationis causa præcipue que

Nec uero opus est longa disputatione, in re manifesta. Ut olim Pharisaici sacerdotes fingebant se mereri remissionem peccatorum suis mactationibus, ita finxerunt monachi & sacrificuli sua oblatione mereri remissionem peccatorum sibi & alijs, uiuis et mortuis. In hoc errore multae falsae perniciose persuasiones continentur. Videlicet, quod una Christi passio non satisfecerit pro uniuersa Ecclesia. Deinde, quod homines consequantur reconciliationem propter illud opus sacrificuli, non fiducia misericordiae promissae propter filium Dei pro nobis crucifixum. Et sequuntur alij errores plures.

Missis nō mereri peccatorum remissionem.

Passio Christi meritum.

Opponenda est igitur his furoribus doctrina uera de merito passionis Christi, de quo dicitur capite decimo ad Ebraeos: Vna oblatione consummauit sanctos. sola igitur Christi mors fuit sacrificium pro omnibus nostris peccatis, non alia opera Leuitica, aut postea secuta.

Remissionem peccatorū sola fide nos accipere propter Christū.

Deinde manifestum hoc est, remissionem peccatorum fide nos propter Christum, non propter ullius opus nostrum, aut sacrificuli accipere: iuxta sententiam notissimam & firmissimam, Iustus sua fide uiuit. Ex his facile ab omnibus pijs dijudicari possunt horrendi abusus, quos sacrificuli, qui coenam Domini in quæstum conferunt, defendunt.

Offerre filium Dei.

Postremo unde ortum est, quod dicunt se filium Dei offerre. Magna res est offerre, uidelicet agnoscere Dei iram aduersus peccata generis humani, & huic

huic iræ sese subijcere, & mediatorem esse inter Deum & genus humanum, & ingredi in sanctum sanctorum ad Deum. Ideo ad Ebræos capite nono dicitur: Per proprium sanguinem intrauit semel in sancta sanctorum, æternam redemptionem inueniens. Item: Qui spiritu æterno seipsum obtulit inculpatum Deo. Sese obtulit Christus, nostrum est agnoscere illam ab ipso factam oblationem, et credere per eam nobis placatum esse æternum patrem, & pro ea gratias agere. Hæc considerent pijs, & uera testimonia ueteris Ecclesiæ inquirant. Scio multos multa futilia testimonia recentium congerere: sed diligentia est pijs necessaria, discernere notha ac adulterina testimonia à ueris. Retineatur ergo mos Aposto-

Apostolicus
cœnæ celebrã
dæ mos cuius
modi.

licus, qui annos circiter trecentos in Ecclesia inde usque ab Apostolis mansit. recitentur piæ lectiones, erudiatur populus salutari concione, fiant preces, deinde recitentur uerba Christi de cœna, & Sacramentum distribuatur aliquot pijs exploratis, penitentibus: deinde dicatur gratiarum actio. Nec fiant priuatæ singulorum oblationes.

Et quia hæc causa postulat explicationem, ostendentem quæ res sit sacrificium, & an sit una appellationis ratio, adijciam hanc declarationem, ut ego quidem existimo necessariam.

Etsi autem puerile uidetur uocabula Sacramenti & sacrificij discernere, tamẽ res postulat, ut in ceremonijs discriminẽ obseruetur, & diuersi fines. Aliæ

Ceremoniarũ
diuersitas.

sunt

sunt signa & notæ promissionum, in quibus Deus nobis aliquid exhibet. Aliæ uero ceremoniæ nō sunt proprie signa promissionum, sed opera quæ nos Deo reddimus.

Sacramētum
quid.

Hæc in ceremonijs discrimina necesse est obseruare, quibuscunq; tandem uocabulis utamur. Et quoniam hæc uocabula Sacramenti & sacrificij in usu sunt, nos quoq; ea retinebimus. Est itaq; Sacramentum ceremonia, quæ est signū promissionis, per quod Deus aliquid nobis promittit, aut exhibet. Circumcisio erat signum, quo pollicebatur Deus se recipere circumcisos. Baptismus signum est, quo Deus nobis cum agit, & recipit nos in gratiam, & quasi baptizat nos ipse. nam minister baptizat uice Christi. Sacrificium est ceremonia, uel opus nostrum, quod nos Deo reddimus, ut eum honore afficiamus. Hoc est, testamur nos agnoscere hunc ipsum, cui hanc obedientiam præstamus, uere esse Deum: ideoq; nos ei hanc obedientiam præstare.

Baptismus
quid.

Sacrificium
quid.

Sacrificij spe
cies.

Sunt autem sacrificij species proximæ duæ, nec sunt plures. Quoddam est sacrificium propiciatorum, uidelicet opus quod meretur alijs remissionē culpæ, et pœnæ æternæ, seu opus reconcilians Deū, & placans irā Dei pro alijs, & satisfactoriū pro culpa, & pœna æterna. Altera species est sacrificium *in xpi similitudine*, quod non meretur remissionem peccatorum, aut reconciliationem, sed fit à reconciliatis, ut pro accepta remissione peccatorum, & pro alijs bene

neficijs, Deo gratias agamus, sed gratiam referamus hac nostra obedientia. Hæc distinctio satis clare probari potest ex epistola ad Ebræos. hæc enim docet, tantum unum in mundo propiciatorium sacrificium fuisse. Relinquitur igitur, cætera omnia esse opera, in quibus reconciliati obedientiam declarare debuerint.

Porro in has duas species, quas dixi, distribui possunt omnia Leuitica sacrificia, tanquam in sua domicilia. Dicebantur enim quædam in lege propiciatoria sacrificia, propter significationem, seu similitudinem: non quod mererentur remissionem peccatorum, coram Deo, sed quia significabant futurum Christi sacrificium. Cæterum ibi merebantur remissionem peccatorum, in externa conuersatione: hoc est, ne illi excluderentur ex politia Moysi. Dicebantur itaq; propiciatoria pro peccato, pro delicto, holocaustum. Illa uero erant *ἱεροστυλῆα*, oblatio, libatio, retributiones, primitiæ, decimæ.

Sed reuera unicum tantum in mundo fuit propiciatorium sacrificium, uidelicet passio seu mors Christi, ut docet Epistola ad Ebræos: Impossibile est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata. Et paulo post de uoluntate Christi: In qua uoluntate sanctificati sumus, per oblationem corporis Christi semel, &c. Nam & Christus ipse suum sacrificium pro nobis applicat, cum pro nobis orat, Ioan. 17. Pro eis sanctifico meipsum, ut sint & ipsi sanctificati

Propiciatoria sacrificia in lege.

Sacrificium uere propiciatorium solum unicum, Christi mors.

cati in ueritate. Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro ijs qui credituri sunt per uerbum eorum in me. Ecce hæc sunt nostri Pontificis ac sacerdotis uerba, quibus se pro tota Ecclesia offert, ac pro ea orat, quæ semper in conspectu & in animo habere debemus. Esaias etiam interpretatur legem, ut sciamus mortem Christi uere esse satisfactionem pro peccatis nostris, seu expiationem, non ceremonias legis. Quare inquit capite 53. Postquam dederit animam suam hostiam pro delictis, uidebit semen longæuum, & c. quasi dicat, Alia hostia restat, quæ uere tollet peccatum & mortem. Ergo istæ usitatæ ceremoniæ non tollunt peccatum & mortem. Paulus hanc sententiam reddidit, cum inquit, Factus est maledictum. Item, De peccato damnauit peccatum: id est, peccatum puniuit et deleuit per hostiam pro peccato. Ipsam enim hostiam Ebræi peccatum seu delictum uocant, sicut Latini piaculum. Teneamus igitur hoc: fuisse unicum tantum in mundo sacrificium propiciatorium. Nam illa quæ in lege dicebantur propiciatoria, ut dixi, propter similitudinem sic uocabantur: ideoq; abolita sunt, postquam Christus appa-
ruit. Porro cum Euangelium ideo promissum sit, ut exhiberet ueram propiciationem, necesse est ceremonias Leuiticas non fuisse ueras propiciationes, quia cessauerunt reuelato Euangelio.

Hostia ipsa
peccatum, &
piaculum.

DE EVCHARISTICO
sacrificio.

NVnc reliqua sunt sacrificia Eucharistica, Eucha istica
sacrificia quæ quæ uocantur sacrificia laudis, prædicatio Euangelij, fides, inuocatio, gratiarum actio, confessio, afflictiones sanctorum, imò omnia bona opera sanctorum. Hæc sacrificia non sunt satisfactiones pro facientibus, uel applicabiles pro alijs, ut mereantur eis ex opere operato remissionem peccatorum, seu reconciliationem. Itaque præter unum sacrificium propitiatorium, scilicet mortem Christi, cætera sacrificia in nouo Testamento tantum sunt *ἑσχατίζουσα*, sicut docet Petrus 1. Pet. 2. Sacerdotium sanctum, ut offeratis hostias spirituales. Opponuntur autem hostiæ spirituales non tantum pecudibus, sed etiã humanis operibus ex opere operato oblati, hoc est, sine fide & Spirituale, bono motu cordis. Quia spirituale, significat motus spiritus sancti in nobis. De his sacrificijs loquitur et epistola ad Heb. cap. 13. Per ipsum offeramus hostiam laudis semper Deo. Et addit interpretationem, Fructum labiorum confitentium nomini eius: id est, inuocationem, gratiarum actionem, confessionem, & similia. Hæc ualent nõ ex opere operato, sed propter fidem. Id monet particula, Per ipsum offeramus: hoc Per ipsum of-
feramus. est, fide in Christum. Est autem insignis consolatio Christianæ mentis, scire quod omnia bona opera, & omnes afflictiones, sint sacrificia, id est opera Deo placetia, & quibus Deus sibi honorem haberi pronunciat.

Et

Et de hoc genere sacrificiorum plurimæ extant sententiæ in Psalmis & Prophetis. ut Psal. 49. *Immola Deo sacrificium laudis: Inuoca me in die tribulationis, &c.* Item Psal. 50. *Sacrificium Deo spiritus tribulatus, &c.*

Cultus in nouo testamēto spiritualis tantum.

Secundo sciendum est, cultum in nouo Testamento spirituale esse, hoc est esse iustitiam fidei, & fructus fidei. Quia nouum testamentum adfert iustitiam & uitam spiritualem, & æternam: iuxta illud, *Dabo legem meam in corda eorum.* Et Christus ait, *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & ueritate: hoc est, uero cordis affectu.* Ideoq; sunt abrogati Leuitici cultus, quia debent succedere cultus spirituales mentis, & horum fructus & signa.

Iudæorū cultus.

Ex his sequitur, nullum esse sacrificium aut cultum noui Testamenti, qui ex opere operato mereatur facienti, uel alijs, remissionem peccatorum. repugnat enim sententia, *Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & ueritate, &c.* Imò Pharisaica persuasio est, quod aliquis cultus mereatur remissionem peccatorum ex opere operato. Cumq; hac persuasione Iudæi suos cultus cumularent, ut uidelicet multa mererentur, gratiã & reliqua beneficia, propter cumulata sacrificia, Prophetæ acerrime reclamant. Damnat hanc persuasionem Psalmus 49. qui repudiatis uictimis requirit inuocationem: *Nunquid manducabo, inquit, carnes taurorum, &c.* Et Esaiæ 1. *Quò mihi multitudinem uictimarum uestrarum?*

Et

Et Ierem. 7. Non sum locutus cū Patrib. uestris, & non præcepi eis de holocaustis & uictimis. At constat legem præcipere de sacrificijs. Verum propheta damnat persuasionem de opere operato, talia sacrificia nõ requirit Deus. Prorsus in Ecclesia simili opinione cumulatae sunt missæ, quia sint sacrificia, quæ Deo placeant ex opere operato, & mercantur facienti & alijs remissionem peccatorum. Docuerunt enim per missam fieri applicationem sacrificij Christi. At unusquisq; propria fide applicat sibi sacrificium Christi, & quidem gratis, id est non propter alienum opus.

Missarum cui
mutatio unde

Ceterum unius operis possunt esse plures fines. Cœna Domini utimur tanquam sacramento, quatenus est testimoniũ, quo erigitur fides. Deinde hæc ipsa fides cū externo opere, est quoddam sacrificiũ, quia Deus pronunciat hanc fidem, & talia exercitia in nouo Testamento esse sacrificia laudis, & esse cultus. Ita hæc ipsa obedientia spiritalis fit quoddam sacrificium, quo tribuitur Deo honos, quem requirit & approbat. Deinde cum hac fide necessario coniuncta est gratiarum actio pro illo summo beneficio, & nobis et uniuersæ Ecclesiæ collato, unde & nomen est *eucharistias*. Præterea idem opus & cõfessio est. nõ ostendimus nos credere Euãgelio, & inuitamus nostro exemplo alios. Hæc omnia sunt sacrificia *eucharistias*. Ideo ueteres hanc cæremoniam appellarunt Sacrificium.

Cœnæ Domini
plures fines

Quare Cœna
ueteribus sa-
crificiũ dicta.

E Quod

Quod autem disputant nonnulli de natura cuiuslibet sacrificij esse, ut pro alijs applicetur: falsum est. Nam afflictiones nostræ sunt sacrificia, & tamē non sunt applicandæ pro alijs. Iuxta illud, Unusquisq; mercedem accipiet iuxta suum laborem. Itē, Probet unusquisq; suum opus, & sic gloriam habebit in seipso. Item, Iustus fide sua uiuet. Probat idem parabola de satuis uirginibus, &c. Præterea cum opera nostra sint cultus, qui debentur à nobis ipsis, sicut Paulus inquit, Debitorum sumus. Item, Væ mihi si non euangelizo: deinde cum per sese sint insufficientia, & habeant opus fide, quæ petit, ne impetetur nobis infirmitas nostra: qualis erit arrogantia, si talia opera ducemus esse non solum præcia pro nobis, sed etiam pro alijs? cum dicat Christus, Cum feceritis omnia, dicite serui inutiles sumus. Itē Psal. 49. Sacrificium uocat inuocationem in tribulatione: Item, Gratiarum actionem. Porro id opus, cum gratias agimus, non est opus, quod nos ipsi pro alijs applicare possumus, ut eis propter operis dignitatē profit. Est igitur falsa persuasio, de natura cuiuslibet sacrificij esse, ut applicetur pro alijs. Tantum enim propiciatorium sacrificium Christi fuit applicandum pro alijs: cætera sacrificia nostra, quæ sunt *in* *Christo*, ita prosunt faciētib; sicut quodlibet proprium bonum opus facienti prodest: nec sunt applicanda, ut mereantur alijs remissionē peccatorū, etc.

Cæterum oratio pro alijs, aliter se habet, quàm
natura

Non esse de
natura sacrificij,
ut applicetur
pro alijs.

natura operū. Non enim offert Deo opus aliquod, quod sit precium pro alijs, sed tantum cupit accipere à Deo. Promisit autem Deus, se daturum & nobis & alijs, pro quibus petimus. Hæc facile discerni possunt. In oratione non opponimus, neq; offerimus Deo nostrum aliquod opus ac precium pro alijs, sed tantum accipere uolumus à Deo & quidem propter mediatorē Christum. sicut scriptum est, *Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis.* Aliud est fide agere cum Deo, non propter nostrum aliquod opus: aliud est Deo opponere alicuius certi operis meritum, & quidem pro alijs. Quare applicatio operum nostrorum pro alijs, præsertim pro remissione peccatorum, nequaquam concedenda est: quia scriptum est, *Iustus fide sua uiuet.*

Oratio pro alijs.

Operum nostrorum pro alijs nullum meritum, ad iustificationem.

Præterea de operibus illud sciendū est: sicut propter aliquorum peccata plectuntur alijs, ita & paucorum iusticia impetrat multa bona alijs. Vtriusq; sententiæ multa sunt testimonia in scripturis, & exempla. Vt Iere. 49. *Ecce quibus non erat iudicium ut biberent calicem, bibentes bibent.* De beneficijs publicis & priuatis inquit Esa. cap. 33. *Qui ambulat in iusticia, et loquitur ueritatem, qui proijcit auricam & iniurias, & excutit manus suas ab omnimunere: Qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem, et claudit oculos suos ne uideat malū: iste in excelsis habitabit, munimēta saxorū sublimitas eius, pennis ei dabitur, aquæ eius nō deficiēt: Regē in decore*

suo uidebunt oculi eius, & prolatos fines terræ. Hic inter cætera præmia promittit publicum statum tranquilliorē, id est, commune beneficiū ad multos pertinens. Sunt & exempla. Propter peccatum Davidis plectebatur populus. Propter paucos iustos uoluit Deus parcere Sodomis. Propter Naaman benefecit Syriæ. Discamus ergo pœnas et præmia late patere, ut ad bene operandum excitemur.

Operum nostrorum pœnas & præmia late patere.

Iniustis non prodesse aliōrū bona opera.

Sed tamen in talibus locis hæc duo meminisse oportet. Primum, quod hi loci non pertineant ad iustificationem, hoc est, iniustis nō profunt aliena opera sanctorum ad iustificationem, sed iusti impetrāt multa communia bona, quia sumus membra unius corporis. Alterum est, quod non est nostrum applicare alijs nostra merita, quia hæc esset fiducia quædā nostri operis: sed Deo debemus permittere, quæ præmia communia uel peculiaria nobis daturus sit. Oratio autem applicatur pro alijs, quia nititur non dignitate propria, sed gratuita Christi promissione. Ex his facile iudicari potest, quid sit de applicatione sentiendum. Quod enim ad iustificationem attinet, nulla est applicatio sine fide propria. Fides autem instrumentis utitur, uerbo & sacramentis, quæ testantur ad nos pertinere beneficium Christi, nec pendet hoc beneficium ex dignitate alieni operis humani. Hæc satis sit de missa uerecunde dixisse.

Fidei instrumenta,

DE POENITENTIA.

CUm Christo narrassent quidam crudele facinus Pilati, qui aliquod Galileos interfecerat, & ceteros coegerat in sacrificijs intersectorum sanguinem bibere: respondens Christus, non accusat nominatim Pilatum, sed potius suos auditores commonefacit, ac testatur ipsos quoque reos esse, eosque ad poenitentiam hortatur, inquit: Nisi poenitentiam egeritis, omnes simul peribitis. Ita scianus, omnes mundi calamitates nobis omnibus esse conciones poenitentiae. Manent in hac uita etiam in sanctis multa peccata, quae assidua poenitentia agnoscenda & deploranda sunt.

Calamitates
poenitentiae
conciones.

Deinde sunt alij qui habent lapsus contra conscientiam, & sunt extra gratiam Dei: qui nisi in hac uita conuertantur ad Deum, uent in aeternas poenas, & erunt aeterni hostes Dei. Ideo praecipua uox Dei est in Ecclesia: Agite poenitentiam, et credite Euangelio, ut aliqui liberentur ab aeterno exitio.

Haec fuit prima concio in Paradiso, cum Deus oburgat primos parentes post lapsum, & addit absolutionem edita arcana promissione de uenturo liberatore. Ita postea semper in Ecclesia patres, Prophetae, Christus, Apostoli, & omnes fideles ministri uocis diuinae, haec duo genera doctrinae complexi sunt: declarauerunt iram Dei aduersus peccatum, ostenderunt genus humanum tot ingentibus calamitatibus subiectum esse propter peccatum, et uenturas aeter-

nas pœnas omnibus, qui cōuerterentur ad Deū. Deinde & remissionem proposuerunt conterritis, & fide amplectentibus filium Dei, & inchoantibus obedientiam iuxta uerbum Dei.

Vt igitur nos ipsi excitemus ad pœnitentiam, discamus integram doctrinam de hoc articulo, et eam assidue meditemur. colligamus omnia testimonia iræ Dei aduersus peccatum: priuatas & publicas calamitates omnium temporum, comminationem æternarum pœnarum, deniq; & mortem filij Dei. nam hæc est omnium maxime illustre testimoniū iræ Dei aduersus peccatum. Non existimemus eam ociosum spectaculum esse, neceße est seriam, ingentem & inenarrabilem esse iram Dei aduersus peccata, cum nō potuerit placari, nisi filius intercessisset, & factus esset uictima pro nobis. Hoc testimonium si uere intelligeret genus humanum, subito terrore omnes extinguerentur, & tamen interim mundus prophana securitate hæc omnia testimonia contemnit.

Dei irā aduersus peccatum inenarrabilis.

Dei misericordia quibus rebus expendenda.

Sed nos excutiamus hanc securitatē, & his terribilibus operibus Dei moueamur: & rursus magnitudinem misericordiæ consideremus, quod Deus noluit totum genus humanum perire: quod se patefecit nobis, ut agnoscatur & inuocetur: quod dedit filiū pro nobis, ut sit Emanuel, id est nobiscum Deus, & inter nos, adiutor noster, et saluator noster: quod dedit promissionē gratiæ et uitæ æternæ, quod donat spiritū sanctum gubernatorē petētibus. Hæc omnia

omnia considerantes, duriciem nostram agnoscere & deplorare debemus, ac petere, ut Deus nos ad se conuertat, qui certò promisit se daturum spiritum sanctum petentibus, & mandat ut credamus nos recipi propter filium, ut infra dicemus.

Hæc præfatus sum, ut ad assiduam huius articuli cogitationem nos ipsos excitemus. Nunc de nomine dicam. Nolo rixari de uocabulo. Voco pœnitentiam, ut in ecclesia loquimur, conuersionem ad Deum: & huius conuersionis partes, seu diuersos motus, docendi causa discerno. Dico partes esse, contritionem & fidem. has necessariò sequi debet noua obedientia: quam si quis uult nominare tertiam partem, non repugno. Non moueamus rixas de uerbis, sed uigilantes simus in tuendis rebus quæ sunt Ecclesiæ necessariae, & refutandis erroribus qui ueræ doctrinæ caliginem inducunt.

Pœnitentia
quid.

Eius partes.

Sed ante explicationem partium breuiter refutandi sunt duo errores fanaticorum hominum, qui finxerunt renatos non posse labi: & quamuis labuntur contra conscientiam, tamen iustos esse. Hæc amentia damnanda est, & opponenda exempla & dicta scripturæ Prophetiæ & Apostolicæ, ut Saul & David placuerunt Deo, fuerunt iusti, & donati spiritu sancto: tamen postea lapsi sunt, ita ut alter prorsus perierit, alter rursus ad Deum conuersus sit. Dicta multa sunt.

Testimonia
de lapsu reuocatorum.

Matth. 12. Cum immundus spiritus egressus fue-

rit ab homine, uadit per loca deserta, & inquit, reuertar, & inuenit domum ociosam, & fiunt posteriora hominis peiora prioribus.

Similis est concio tristissima 2. Petri 2. Qui cum effugissent inquinamenta mūdi per agnitionem Domini, rursus intricantur, his fiunt posteriora deteriora prioribus. Et 1. Cor. 10. Qui uidetur stare, uideat ne cadat. Et Apo. 2. Memor esto unde lapsus sis, & pœnitentiã age, & facito priora opera. Hæc & similia dicta de renatis, testantur posse eos labi: et lapsos contra conscientiam non placere Deo, nisi rursus conuertantur. Quare non ita blandiamur nobis ipsis, ut securi imbecillitatem nostram non regamus, & lapsus negligamus: sed simus uigilantes & intenti, repugnemus nostre infirmitati, & acerrima cura caueamus insidias diaboli. sicut Petrus monet: Aduersarius noster diabolus tanquam leo rugiens circumit, quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide.

Nouitiani,
Cathari,

Econtra non confirmemus desperationem, quæ odium aduersus Deum gignit. Sicut Nouatiani, & Iudæi fecerunt, qui negarunt lapsos post baptismū iterū consequi remissionem peccatorū. Ac mirū est hunc crassum & uenenatū errorē uetustissimis temporibus, in illo ecclesiæ flore tam late grassatū esse.

Meletius,

Narrat Epiphanius, Alexandriæ, cum Petrus episcopus, quem postea tyrannus Maximinus interfecit, præesset, fuisse quendam Meletium, qui quamli-

bet

bet reclamante Petro sparsit hoc delirium, negandam esse ueniam lapsis. & addit, tanta in admiratione hanc hypocrisin fuisse, ut magna pars populi in Aegypto & Syria hunc Meletium secuta sit, contempta Petri sententia. Estq; memorabile quod narrat, Petrum in defensione ueritatis citasse & scripturas, & exempla superioris temporis tradita ab Apostolis, & eorum discipulis.

Extat adhuc exemplum in Ioannis Apostoli historia apud Eusebium libro 3. pagina 60. de adolescente lapsa, quem Ioannes reuocat ex sodalitate latronum. Porro satis apparet, delirium Catharorum ortum esse ex inscitia doctrinae de iustitia fidei. Nam postquam finxerunt hypocrita, homines propria dignitate iustos esse, & sine peccato esse, affinxerunt, amissa hac puritate, non superesse spem ueniae.

Lapsi reuocati exemplum.

Opponamus autem ex scripturis testimonia. Dauid, Manasse, Petrus, post lapsus horrendos iterum consecuti sunt remissionem peccatorum. Lapsa fuit & Galatarum Ecclesia, & à Paulo reuocatur ad poenitentiam. Item Paulus ipse Corinthium incestum iubet recipi post poenitentiam, 2. Corinth. 2.

Exempla alia.

Addamus & dicta scripturae, Ezech. 33. Vivo ego, dicit Dominus: Nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. & sunt similes aliae conciones apud Prophetas, ut Esa. 1. Haec autem Ezechielis eo est memorabilior, quod iusurandum additur, Vivo ego: ut conscientiae eo magis erigantur, cum au-

Testimonia scripturae.

diunt non solum promissionem, sed etiam confirmatam iureiurando. Hanc igitur consolationem infigamus animis, & cogitemus quanta uis sit amoris diuini erga nos, quàm ardentem desideret nostram salutem. sicut uere dicitur in Tobia: Non delectaris Deus perditione nostri. & hac cogitatione nos ad poenitentiam & ueram inuocationem excitemus.

Ecclesia semper eadē, omnium temporū.

Nec ualet hoc loco cauillatio, quod uetus Testamentum habuerit beneficium de conuertendis lapsis, in nouo dissimile esse. Nam concio Ezechielis ad uniuersam Ecclesiam omnium temporum pertinet, & eadem semper est Ecclesia omnium temporum, & idem Euangelium.

Sed sumamus probationes ex nouo Testamento. Christus inquit Matth. 19. Si peccauit in te frater tuus, corripe eum: si audierit te, lucratus es fratrem. Cum dicat, lucraberis fratrem: clare pronunciat se de his loqui, quibus illa emendatio prodest. Et quod de fratribus loquatur, hoc est lapsis post iustificationem, id quoque testatur, quod tunc demum uult eijci eum ex ecclesia, cum non auscultat. Loquitur ergo de his qui antea fuerunt in Ecclesia. & deinde cum Petrus interrogat, Quoties dimittā? Christus respondet, Septuagies septies. Ergo lapsi post iustificationem possunt ueniam consequi. Nam cum iubet ecclesiam remittere, uult & ipse remittere petenti & credenti. Ideo suprā dixit, Lucraberis fratrem.

Scio disputari à quibusdam, Vtrum hic locus de recon-

reconciliatione fraterna, an uero de ministerio publico, quod remissionem diuinam annunciat, loquatur. Sed ualet argumentum aduersus Nouatianos, etiam si textus tantum ad fraternam reconciliationem accommodaretur. Dicit enim, *Lucraberis fratrem: Quicquid solueritis super terram, erit solutum & in caelis.* Cæterum & hæc ipsa uerba testantur, hunc locum de ministerio concionari. Voluit enim Christus instituere Ecclesiæ disciplinam, & labentium correctionem: & aiunt hunc morem fuisse uetus synagogæ institutum.

Voluit item Christus discernere correctionem Ecclesiæ propriam à politica. uult præcedere admonitionem, ut primum saluti hominis consulatur. Politica est iracundior, properat ad pœnã, nec prius de salute hominis deliberat. Deinde cõstituit Christus pœnæ modũ, uult eijci contumacẽ extra ecclesiã: nec addit politicas pœnas, sed has relinquit magistratibus.

Correctionis
ecclesiasticæ
& ciuilis dif-
ferentia.

Sed redeo ad testimonia. Ad Gal. 6. dicitur, Si præoccupatus fuerit homo aliquo peccato, uos qui spirituales estis, corrigite eum spiritu lenitatis. Hic præcipit reuocari lapsos ad pœnitentiam. Apoc. 2. Memor esto unde lapsus sis, & pœnitentiam age, & facito priora opera. Luc. 15. Gaudium est angelis super uno peccatore pœnitentiam agente. Et in ea concione loquitur Christus de pœnitentia filij perditionis, id est de talibus qui antea fuerant pij.

Nouatianorũ
obiecũo.

Sed Nouatiani duos locos ex epistola ad Hebræos

bræos obijciunt, Hebræ. 6. Impossibile est eos qui se mel illuminati sunt, reuocari ad pœnitentiam, &c. Quamlibet durus uidetur hic locus, tamen si conscientia communita est ueris testimonijs supra citatis, non potest hoc loco perturbari. sed postquam ex superioribus testimonijs certò constat, lapsis non negandam esse ueniam, facile potest iudicari, non posse hic retineri τὸ πῶτον, sed addendam esse commodam interpretationem. Alij aliter mitigant hunc locum, ut fit in obscuris & ambiguis. Græce non sonat usq; adeò incommode. ait enim: Non est possibile renouari eos, qui Christum crucifigunt, et ludibrio habent.

Pauli ad Heb.
locus.

Hoc simplicissime intelligo in hanc sententiam: Tales non possunt renouari, qui non auscultant amplius Euangelio, sed contemnunt, nec illa initia pietatis, de quibus dixit, retinere student, scilicet baptisimi & pœnitentiæ doctrinam. Hæc est, ut mihi quidem uidetur, germana eius loci sententia, et nihil habet incommodi: tantisper non possunt renouari, dū non auscultant Euangelio, sed crucifigunt Christū, & ludibrio habent.

Peccatum irremissibile, quodnam & in quibus.

Fatendū est etiam, esse aliquod irremissibile peccatū, quia id expresse affirmat Christus, ad id accomodetur et hic locus epistolæ ad Hebræos. Sed hic aliqui obijciūt, fieri incertā remissionē, si aliquod irremissibile delictū sit. Sæper enim angitur animus, disputās se fortasse habere tale peccatū: et exercuit hæc quæstio multos, sed pijs plana & facilis est explicatio.

Est

Est aliquod irremissibile, sed quod sit, tantum à posteriori iudicandum est: id est, illis tribuendū est, qui ad extremum perseuerant in suis furoribus aduersus Deum, in Epicureo contemptu, aut odio Pharisaeico, aut desperatione, ut Neroni, Pharaoni, Sauli, Iudae, & similibus: nec aliter nisi hoc modo de peccato irremissibili, à posteriore iudicandum est.

Quia nos in nostris cordibus, antequam illud iudiciū patefactū est, debemus semper retinere haec tria, Promissionē gratiae, mandatū quod iubet credere filio, et mandatū soluendi ecclesiae traditū, Quicquid solueris super terrā, &c. Promissio his uerbis dulcissimis illustrata est à Paulo, Gratia exuberat supra delictum. Summa blasphemia est, Christū infra peccatū abijcere, et diminuere eius meritū. Deinde mandatum aeternum & immutabile, ac longe supra legē est, Credere Christo, & haec sunt uniuersalia. Promissio et mandatum ut dicitur, Venite ad me omnes. In hanc uniuersalem se quisq; includat.

Tria semper
retinenda in
animo.

Postquam praemunitus est animus, & scit mandatum Dei esse, ut credamus nobis omnia peccata remitti: deinde discat, non esse de peccato irremissibili iudicandum, nisi à posteriore, uidelicet postquam iudicium Dei declaratum est, Pharao, Iudis, habuerunt tale peccatum, quia res ostendit eos non rediisse ad Deū. Ideo satis commode dixit Augustinus, Blasphemiam esse finalem impoenitentiam seu desperationē: quia haec peccata extreme pugnant cū gratia.

Nam

Peccatum in
spiritum san-
ctum, quomo-
do non remit-
tatur.

Nam cætera peccata, cum ad gratiam confugimus, remittuntur. Contemptus uero Epicureus, aut despectio, repudiat gratiam. Ideo sic interpretatur dictum Christi. Qui dixerit uerbum contra spiritum sanctum: id est, qui uerbum prædicatum & confirmatum testimonijs spiritus, pertinaciter ad extremis repudiat, is habet irremissibile peccatum. Hæc sententia Augustini satis commoda est.

Non enim omnis lapsus post agnitam ueritatem, iudicari debet peccatū irremissibile, sicut Nouatianī contenderunt. Suprà enim recitauimus exēpla & testimonia, quæ docent tales lapsus condonari posse: nec omnis persecutio Euangelij iudicari debet peccatū irremissibile, quia Manasses, Nabuchodonosor, Paulus, Iustinus, Augustinus, deniq; innumerabiles persecutores sanati sunt. sicut & Petrus dicit, Quæ uos crucifixistis. Sed quorundam singularis est furor, qui ueritatem agnouerunt, & admoniti ac conuicti contra conscientiam, sine fine tamen damnant ueras sententias, & exercent aut confirmant seuitiam. De talibus dicitur Rom. 11. Reliqui indurati sunt, dedit eis spiritū exacerbatū, oculos ne uideant, dorsum eorū semper incurua. Hoc dicto & similibus describuntur perseuerantes in Euangelij persecutione, qui cæcitate puniuntur, postquā sæpe admoniti non redeunt ad Deū. talis fuit furor anabaptistarū Monasterij. Quare talibus dictis & exemplis admoniti caueamus, ne pertinaciter propugnemus errores. La

Monasterien-
sis Anabapti-
starum furor.

bi & errare commune est omnibus hominibus: sed
 pertinacia, quæ gignit sophisticos prætextus sine fi- Pertinacia
 ne, peccatum maius & multiplex est, ex quo nõ mul-
 ti eluctantur. Ideo & Paulus inquit: Hæreticũ homi-
 nem post unã atq; alterã admonitionem uitabis, quia
 proprio iudicio damnatus est: id est, sua pertinacia
 declarat se implicitum esse laqueis diaboli.

Cæterum nobis semper in conspectu sit hæc do-
 ctrina, debere nos obtemperare mandato & promif-
 sioni Euangelij. Aeternum & immutabile mandatũ
 est, quod præcipit agere pœnitentiam: item audire
 filium, & credere nos propter filium Dei recipi. Te-
 nendum est & Pauli dictum, Gratia exuberat supra
 peccatum. Iuxta hæc mandata iudicare nos debe-
 mus, & eis obtemperare: quod cum facimus, certum
 est nos non habere peccatum irremissibile.

Citatur & altera sententia ex epistola ad Hebræ Pauli ad Heb.
locus.
 os: Voluntarie peccantibus post acceptam noticiam
 ueritatis, iam nõ relinquitur pro peccatis hostia, sed
 terribilis expectatio iudicij. Si dextrè uolumus iudi-
 care, hic locus non negat lapsos posse resurgere, sed
 facit immediatam collationem beneficij Christi, &
 pœnarum, in hanc sententiã. Hæc duo extrema sunt,
 & immediata: Retinens beneficium Christi salua-
 tur, non retinens ruit in exitium. Hic non negat la-
 psos posse ad beneficium Christi redire, sed excludit
 alias hostias, & noua sacrificia. In lege erãt crebræ
 expiationes immundiciarum, & Pharisei docebant

tas mereri remissionem peccatorum. Ita postea in ecclesia multi finxerunt satisfactiones & missas, nec solū falsi cultus excogitati sunt, sed etiam persuasio de illa expiatione, per talia sacrificia aluit securitatē & indulgentiā. Has pharisaicas imaginationes grauiissime taxat epistola ad Hebræos. Vult certe retineri beneficium Christi, sicut postea dicit: non uult cōculcari sanguinem Christi, nec contumelia affici spiritum gratiæ. Hæ grauiissimæ adhortationes iubent cauere, ne amittamus beneficium Christi: neq; tamē interim uetant, lapsos ad Christum redire. Hæc est simplex & germana sententia.

DE CONTRITIONE.

Irae Dei agnitio.

ET si nulla creatura magnitudinem iræ Dei aduersus peccatum satis intelligere potest, ac ne posset quidem sensum iræ Dei perferre, sicut dicitur Deut. 4. Deus ignis consumens est: tamen uult Deus in Ecclesia sua aliquo modo agnosci iram suam aduersus peccatum, non uult contemni peccatum, non uult corda esse ferrea & sine dolore, ut Eph. 4. de impijs dicitur. Ideo semper in Ecclesia hoc fuit exordium concionum: Agite pœnitentiam. Sic Christus exorsus est, & ante ipsum Baptista. Sic Paulus inquit, Reuelatur ira Dei de cœlo super omnes. Sic Prophetæ exorsi sunt Esaiæ 1. Væ gente peccatrici. Imò in Paradiso hæc post lapsum prima concio fuit, arguens peccatum & declarans iram Dei.

Postremò omnes calamitates generis humani,
mors,

mors, morbi, inopia, fames, cædes, bella, excidia, & Calamitates,
 elades multiplices, sunt reuera conciones de ira Dei conciones
 aduersus peccatum. ut Psal. 38. Propter iniquitatē esse de ira
 corripis homines. Dei

Postremò testimoniū omnium maximū iræ Dei est, quod filiū oportuit fieri uictimā. Hanc iram certe uult Deus aliquo modo à nobis agnosci et nos moueri ipsius iudicio & indignatione. Neceſse est igitur, in nobis aliquam existere contritionē. Ac uocamus contritionem, ut Ecclesia usitate loquitur, pauores conscientie agnoscentis iram Dei aduersus nostra peccata, & dolentis propter peccatū. Hanc contritionem præcipiunt hæc dicta, Agite poenitentiam. & 2. Corinth. 7. Contristati estis ad poenitentiam. 1. Corinth. 11. Si nos iudicaremus ipsi, non iudicaremur à Domino: id est, si uero dolore afficemur, agnita ira Dei. Ioel. 2. Scindite corda uestra, et non uestimenta uestra. Iere. 31. Postquam ostendisti mihi, percussi femur meum, confusus sum, & erubui. Nahum 1. Ante faciem indignationis eius quis stabit? Quis resistet in ira furoris eius? indignatio eius effusa est, ut ignis, et petrae dissolutæ sunt ab eo. Item Esaiæ 66. Ad quem respiciam, nisi ad humiliatum & contritum spiritu, & trementem sermones meos? Esaiæ 1. Desinite peruerſe agere. Psalmo 37. Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum. Item, Initium sapientie timor Domini. et passim cōiungunt Psalmsi timorem & fidem. Beneplacitum

Contritiōnis
 præcepta.

est Domino super timentes eum, & erga eos qui sperant in misericordia eius. Eodem pertinent multa dicta Pauli: Vetus noster homo simul crucifixus est, ut aboleatur corpus peccati.

Exempla.

Addantur exempla: ut Adam, Eua, obiurgati à Deo, David obiurgatus à Nathan, horribiliter perterresunt. Dolet & mulier peccatrix Lucæ 7. & Lucæ 22. Petro acerbæ lachrimæ erumpunt. Hæc & similia testimonia ostendunt, necessariam esse aliquam contritionem, quæ quidem etiam crescere debet, ita ut non solum externa delicta, sed etiam interiorum immunditiarum agnoscamus, videlicet dubitationem de Deo, securitatem, admirationem nostri, seu superbiam, despectionem aliorum, malevolentiam, auariciam, flammam prauis amoris, & alios vitiosos affectus.

In hypocritis
nulla pœnitentia.

Nec est pœnitentia in hypocritis, qui nullo sensu doloris aut pauorum afficiuntur: quos describens Iere. inquit, Erubescere nescierunt. et Paulus ad Ephesios, uocat dolore carentes.

Vt autem hanc prauam securitatem animis excutiamus, sæpe & multum dicta de contritione, de ira Dei, de pœnis presentibus & æternis, exempla ipsa pœnarum, calamitates proprias & alienas, imo & mortem filij Dei nobis proponamus, ut miseriam nostram & iram Dei agnoscamus, et expauescamus. Estq; ministerij in Ecclesia, quod instituit Christus, pars necessaria, arguere peccata. Sic Paulus clare inquit: Nunc reuelatur ira Dei de cælo super omnem impie-

Peccata arguere, necessaria ministerij ecclesiastici pars.

impietatem. Utendum est autem uoce legis moralis, ut uocant, ad hanc ministerij partem. Est enim lex illa, æterna & immutabilis sententia Dei, declarans iram Dei aduersus peccatum. Etsi enim Deus recipit hominem confugientem ad Christum, tamen peccatum non adprobat. Ideo Paulus inquit, Per legem cognitio peccati. & semper sonuit in Ecclesia inde usque ab initio post lapsum. ut Gen. 4. apparet, & deinceps.

Ac prorsus falsa absurda & perniciosa imaginatio est, fingere legem nihil esse, aut non prædicandam esse. Quia ideo prædicata est per patres, & deinde terribili uoce in Sina reuelata, & assidue repetita per Prophetas, Christum, & Apostolos, ut sciamus esse æternam et immutabilem sententiam Dei, declarantem iram aduersus peccatum. Sciamus item, omnes homines in hac corruptione naturæ, hac sententia Dei condænatos esse, atq; ita sub lege esse. Sicut Paulus inquit, Causati sumus omnes sub peccato esse, id est condemnatos & reos coram Deo. Sicut semper manet mens diuina, ita semper manere legem necesse est. Et huius legis noticia manet in nostris conscientijs, et est explicata uoce Dei, Patrum, Prophetarum, Christi, & Apostolorum. Ideo & Christus toties inculcat legem, ut Matth. 5. & quidem addit declarationem, ut sciamus accusari lege non solum externa delicta, sed etiam interiora uitia, cæcitatem, iniuria odia, flammæ libidinum, &c. Vult ergo Deus in

Lex non negligenda.

Lex æterna & immutabilis Dei sententia, &c.

Ecclesia semper sonare uocē huius legis, quæ concio-
natur de obedientia cordis.

Peccata ar-
guens prædi-
catio quam
longe pateat.

Vtendum est uoce Euangelij, quæ accusat in mū-
do contemptum iræ & misericordiæ, quæ cernitur
exhibito filio. Ideo inquit Christus: Spiritus sanctus
arguet mundū de peccato, quod non credunt in me.
Iam cogitemus, quā late pateat hæc prædicatio,
accusans & condemnans peccata. Totum genus hu-
manum complectitur, omnes sumus pleni dubitatio-
ne, securitate, negligentibus, aut errantes in inuocatio-
ne, contaminati prauis cupiditatibus, leuiter cura-
mus iram Dei, abutimur beneficijs, omnes sumus in-
grati filio Dei. Ideo non miremur uniuersum mundū
opprimi fatalibus pœnis, quæ sunt signa iræ Dei.
sed cogitemus, ut Paulus inquit, Omnes sub peccato
esse, & totum mundum reum esse Deo, et sua quisq;
peccata accuset & deploret.

Hæc omnia sepe et multū cogitemus. Nam quod
dicitur, Spiritus sanctus arguet mundum: id fit per
uerbum declarans iram Dei, & in huius uerbi cogi-
tatione Spiritus sanctus est efficax. & 2. Timoth. 2.
Paulus clare iubet, doceri & erudiri aduersantes,
quis scit an Deus det aliquibus pœnitentiam? Et a-
pud Iere. Postquam ostendisti mihi, confusus sum &
erubui. 1. Reg. 2. Dominus mortificat & uiuificat.

Verbi Dei uis

Hæc fiunt per uerbū Dei, ut Heb. 4. dicitur: Viuū
est uerbum Dei & efficax, & penetrantius gladio,
&c. Quare in ijs qui negligent et contemnūt uerbū

Dei,

Dei, non est efficax Spiritus sanctus, sed confirmatur ferocia. Sicut in Gen. dicitur: Non iudicabit spiritus meus in homine. quasi dicat, posteaquam contemere uerbum incipiunt, desijt iudicium spiritus, agnitio peccati, inuocatio, &c.

D E F I D E.

Sed ad contritionem, hoc est ad hos terrores, ne Consolatio per fidem.
cesse est accedere consolationē, scilicet fidem,

quæ statuat nobis remitti peccata propter filium Dei, & tantæ misericordiæ agnitione rursus erigat nos, ne oppressi desperatione ruamus in æternum exitiū. Nisi enim accederet fides, cōtritio fieret mors æterna. Est igitur altera pars, Fides, quæ est non tantum historiæ uel legis noticia, sed fiducia qua credit unusquisq; sibi uere remitti peccata à Deo propter Christum gratis, id est, nō propter nostram dignitatem, aut nostra merita. Fides cuiusmodi esse debet.

De hac parte, hoc est de fide accipiēte remissionē peccatorum, libri monachorum muti sunt. Sed nos sciamus, hanc esse præcipuam, & propriam Euangelij uocem, & hanc doctrinam de fide prorsus necessariam esse ecclesiæ, et simul complectendam quā docunque de pœnitentia dicitur.

Multi hic disputant, quod sit discrimen contritionis Petri & Iudæ, Dauidis et Saulis. Et sunt spiritose disputationes de amore iustitiæ, & timore pœniæ. Sed hoc discrimen planum & illustre est. Ad cōtritionem Iudæ non accessit fides, ideo oppressus ter- Petri & Iudæ contritio quid differat.
roribus

roribus ruit in æternum exitium. Econtra ad contritionem Petri accessit fides, ideo reuixit ex suis ingentibus doloribus. Et cum fide erigimur, accedit agnitio bonitatis Dei, & non tantum metu pœnarum angimur, sed etiam puriore dolore, quod Deum offenderimus, cui debetur obedientia & gratitudo. Sed non est opus hos affectus subtiliter diuellere. Vult Deus iram suam metui, & hanc in pœnis uult cõspici. Accedat autem & fides, ne fugiamus Deũ, sed ad eum redeamus, petamus nos recipi, & statuamus æternam et immutabilem Dei uoluntatem esse, quod uelit recipere perterrefactos, qui credunt sibi ignosci propter mediatorẽ. Hoc præcipit nobis certò credere & statuere.

Timor seruilis & filialis quid differat.

Hæc fides illustre discrimen facit inter timorem seruilem, et filialem. Timor seruilis est pavor sine fide, & reipsa fugit Deum. Sed timor filialis, est pavor, ad quem accedit fides, quæ inter pauores erigit & consolatur animum, & accedit ad Deum, petit & accipit remissionem. Hæ descriptiones sunt planæ, et in exercitijs nostris intelligi possunt. Cõtritio sine fide, est horribilis pavor & dolor animi fugientis Deum, ut in Saule, Iuda: quare non est bonum opus. Sed contritio cum fide, pavor et dolor est animi non fugientis Deum, sed agnoscantis iustam irã Dei, & uere dolentis, quod neglexerit aut contempserit Deũ: et accedentis tamen ad Deũ, et petentis ueniã. Talis dolor fit bonũ opus, & sacrificium. ut loquitur

loquitur Psal. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatū Deus non despiciet.*

Contritio, quo modo sacrificium.

Et tamen necesse est taxari & abijci opinionem, quæ finxit homines contritione mereri remissionem peccatorum, seu dari remissionem propter dignitatem contritionis. Sed retinenda est vox Evangelij, quæ clamat gratis remitti peccata propter filiū Dei. Hæc exclusiua retinenda est, ut Christo debitus honos tribuatur. item, ut mentes perterrefactæ teneant certam consolationem. Adigerentur ad desperationem, si sentire deberent, se non habere remissionē, nisi dolor satis dignus & sufficiens esset. Hæc simplex sententiā multos labyrinthos disputationū tollit.

Contritione non mereri peccatorū remissionem.

Constituamus igitur, necessariam esse aliquā contritionem, ueros pauores ac dolores, sed tamen remissionem peccatorum non dari propter contritionem, seu dignitatem ullam nostram: sed propter solum filium Dei, qui pro nobis admirando consilio uisita, mediator, & deprecator factus est.

Remitti peccata propter solū Christū.

Ac ut teneamus in conspectu doctrinam contritionis, hæc capita nobis proponamus.

Legem Dei. Iram Dei.

Poenas æternas. Mortem.

Calamitates præsentis, publicas & priuatas.

Amisionem donorum. Inopiam.

Morbos. Infamiam.

Infaelicitates consiliorum.

Infaelicitatem studiorum. Errores et furores.

Infœlicitatem liberorum.

Diaboli tyrannidem impellentem in plura peccata, & maiores miseras.

Pœnas interiores, uidelicet quod peccata peccatis puniuntur, cœcitate, & furoribus sequentibus.

Scandala. Discordias publicas. Bella.

Beneficiorũ
Dei capita,

Eregione beneficia Dei considerentur, ut ingratitude nostram accusemus.

Creatio. Patefactio Dei.

Missio filij. Donatio uerbi & Euangelij.

Donatio spiritus sancti.

Promissio uitæ æternæ.

Nutritio, defensio corporis & animæ.

Depulsio diaboli.

Literarum & ueræ doctrinæ ostensio.

Gubernatio diuina in moribus & consilijs.

Fœlicitas consiliorum.

Fœlicitas studiorum, & reſtitudo iudicij.

Fœlicitas liberorum.

Bona exempla, & uitatio scandali.

Bona fama. Concordia publica.

Pax & mediocris status politiæ.

Constitutio salutaris Ecclesiæ.

Exempla,

Exempla cogitemus Saulis & Dauidis, qui & beneficia quæ recensui tenuerunt ante lapsum, & post lapsum, exuti tantis bonis pœnas senserunt quas recitauimus. Et Saul prorsus periit, oppressus æternis pœnis: Dauid uero rursus ad Deum conuersus, sed tamen

tamen sensit onus poenarum corporalium & scandalorum tota uita. Et quantam ruinam trahat unus lapsus, consideremus in Adæ & Euxæ exemplo. item in Dauidis adulterio, & Salomonis delirio: propter cuius idolum postea regnum Israel diuulsum est, & hæc diuulsio peperit infinita mala, religionis dissipations, & bella ciuilia. Hæc cõsiderantes, nõ existimemus nostros lapsus leuia & parua mala esse, & ad paucos pertinere. Ac simus in regēdis moribus diligentiores. Hæc expendere utilius est, quàm illas nugas agitare, An actui finito iuste respõdeat de poena infinita. Tales friuolas quæstiones fugiamus, ac sciamus in delicto esse cõtemptũ infiniti boni. Hic cõtemptus & uiolatio infiniti boni, dignus est infinita poena. Postquã autē de contritione dictũ est, explicemus & alterã partem. Nã ministeriũ in Ecclesia nõ solũ arguit peccata, sed etiã annunciat remissionem peccatorũ, per terrefactis & credentibus in Christũ. Statuant igitur per terrefactæ mētes, certò se sequi remissionem peccatorũ gratis fide propter Christũ. Nec intelligatur fides tantũ de historie notitia, sed intueatur hũc articulũ in symbolo, Credo remissionẽ peccatorũ. Nec satis est in genere credere, quod Deus aliquibus ignoscat, sicut & diabolus credit: nõ enim ignorat, in Ecclesia reconciliationem esse. Sed singuli statuere debemus, nobis ipsis ignosci, nos ipsos à Deo recipi. Hac fide speciali, ut sic dicam, quisque sibi applicare beneficium Christi debet.

Infiniti boni
contemptus
infinita quoque
poena dignus.

Remissionis
peccatorum
prædicatio.

Non absurdū
statuere quod
placeamus
Deo.

Videtur hoc absurdum humano iudicio, de re tanta nos statuere debere, uidelicet quod placeamus Deo. Sed discamus, ideo Deum se patefecisse, ut hanc suam uoluntatem nobis reuelaret. ideo promissiones traditas esse, ideo missum filium, ac sparsum Euangelium in mundum, ut hæc sententia, quam nulla creatura cernere poterat, patefieret. Immensum bonum est reconciliatio diuina, ideo difficulter assentimur. Sed excitemus nos ad credendum Euangelio, et cogitemus nos in hac uita uerbo Dei inuolutos sustentari oportere, sicut foetus in utero materno sedet inuolutus aluo, seu secundina: nec rumpamus hoc nostrum inuolucrum, scilicet Euangelium, quod affirmat de uoluntate Dei. Postea uero egressi in uitam, & lucem æternam, coram cernemus uoluntatem Dei, & admirandum consilium.

Testimonia.

Act. 10. Hinc omnes Prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum. Hæc est plana et clara sententia, in qua testatur Petrus se enarrare summam Propheticae scripturae: & opponit hanc sententiã uulgari persuasioni, quam populus habuerat de Messia, ac affirmat ideo à Patre missum esse, ut uictima fieret pro peccato, & propter ipsum datur remissio peccatorũ, ijs qui credũt in eũ: id est, qui sic amplectũtur Messiam, ut credant se propter eum recipi. Et quia hoc dictũ allegat omnes Prophetas, sciamus hic uerũ cõsensum catholicae ecclesie citari.

Rom.

Rom. 5. Iustificati fide, pacē habemus erga Deū. id est, habemus certo Deum propiciū, sumus recepti in gratiā, & liberati ab ira et aternis terroribus.

Sed hæc dicta eludunt aduersarij. Fatentur fidem, id est professionem historiæ necessariā esse, quæ scilicet est in diabolis: sed negant gratis remitti peccata, & iubent dubitare an sint remissa. Hi errores supra refutati sunt, in loco de iustificatione: quare hic breuiter tantum commonesciam lectorem. Vtile est enim in quotidiana inuocatione, nosse hæc exercitia fidei. Nemo ignorat Deum misericordem esse, nec quærunť homines an uelit Deus aliquibus remittere peccata: sed cogitant, dignis remitti, nō in dignis. & deprehendimus singuli in nobis multiplicem indignitatem. Deinde altera quæstio fatigat animos, de particularitate. Neesse est igitur in conspectu habere testimonia, quæ confirmant nos, ut sciamus hæc duo, scilicet promissionem uniuersalem esse, & gratuitam.

Aduersariorū
obiecta.

Rom. 3. de utroq; extant testimonia. De promissione uniuersali dicitur: Iustitia Dei in omnes, & super omnes credentes, &c. Deinde addit: Iustificamur gratis ipsius gratia, per redemptionē quæ est in Christo Iesu, quæ proposuit Deus propiciatorē per fidē in sanguine suo. Tenēda est igitur exclusiua & opponēda tētationi assidue de dignitate. Sēper enim obstrepit nobis uox legis, quæ deterret nos ne statuamus nos recipi quia simus indigni. Aduersus hanc ipsam

Promissio uniuersalis, et gratuita.

ipsam uocem sciamus Euangelium reuelatum esse ex sinu aeterni patris, quod testatur recipi nos propter filium mediatorem, non propter dignitatem nostrā.

Hæc quotidie in inuocatione cogitanda sunt, & sciendum non excludi contritionem & cæteras uirtutes ne adsint. Nam certa pœnitētia necessaria est, sed causa remissionis peccatorū non transferēda est in nostram dignitatē, sed in Christum. Statuendū est igitur, remissionem peccatorum non propter dignitatem nostræ contritionis, aut nostrorū operum contingere, sed tantū fiducia beneficij Christi. Eph. 2. Gratia saluati estis, Dei donum est, non ex uobis.

Pauli locus.

Rom. 4. Tractatur principale argumentum, ex causis & ui promissionis ortum. Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio: id est, Si penderet reconciliatio ex dignitate contritionis nostræ, aut operum nostrorum, cum nunquam legi satisfaciamus, fierent incerta, & promissio reconciliationis fieret irrita. Syllogismus hic est tractatus à Paulo:

Oportet promissionē reconciliationis esse certā:
Promissio pendens ex conditione legis, fit incerta:
Ergo

Promissio reconciliationis non pendet ex conditione Legis.

Minorem probat Paulus, inquiens: Lex iram efficit, semper accusat, &c. Et considera summam disputationis Paulinæ. Ideo tantopere contendit Christum esse uictimam pro peccatis nostris, ut hac ipsa

anti-

antithesi stabiliat exclusiuam, quod nostra opera nō sint meritum remissionis peccatorum. Cætera testimonia sumantur ex loco de iustificatione, ubi etiam de uocabulo fidei dictum est, quod quidem in ipsa lucta clarius intelligi potest, ubi pia mens experitur se acquiescere in misericordia propter Christum promissa, & intelligit hanc misericordiam fide, id est fiducia apprehendendam esse. Hic fides non tantū historiam, sed hunc articulum etiam intuetur, Credo remissionem peccatorum: & amplectitur promissionem, ut Rom. 4. clare dicitur. Porrò fides quæ assentitur promissioni, est fiducia misericordiae.

Postremò in his testimonijs conferamus Apostolorum & Prophetarum dicta, ut uideamus perpetuum consensum uniuersæ ecclesiæ inde usq; ab initio. Ideo & Paulus citat ex Psalmis quædam, & plurima quæ huic sententiæ suffragantur, passim occurrunt. Psal. 31. Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remittis iniquitatem peccati mei. Psal. 142. Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuēs. Psal. 51. Tibi tantū sum peccator, ut tu iustificeris in sermonibus tuis. Hæ sententiæ, et similes testantur nos accedentes ad Deum nō afferre nostram iustitiam, nec posse opponere iudicio & iræ Dei nostra merita, sed cōfugiendū esse ad mediatorem Christū, & statuendum uere propter ipsum gratis ignosci nobis, & nos recipi in gratiam.

Ideo autem hanc partem de fide omiserunt multi scri-

Perpetuus u-
niuersæ eccle-
siæ cōsensus.

scriptores, quia iudicio humane rationis uidetur absurditas, affirmare quod Deus tibi sit propicius. Discedendum est autem hic à iudicio rationis nostre, et querenda uoluntas Dei in ipsius Euangelio. Cum legimus Dauidi annunciatam esse remissionem peculiari mandato Dei, miramur illud singulare beneficium: & cogitat quisq;, ita se libenter crediturum esse, si sibi talis uox è cœlo afferretur. At scire debemus, tam esse allatam hanc uocem nobis, tam certò tibi remittitur, si credis Euangelio, quàm certò Dauidi remittebatur: & tam à te postulatur ut credas uoci Euangelij annuncianti remissionem, quàm postulabatur à Dauide, ut uoci Nathan crederet.

Noua obedientia inchoanda

Hactenus de contritione & de fide dixi. Necessè est autem & simul inchoari nouam obedientiam, ut Rom. 6. dicitur, Non regnet peccatum in mortali corpore uestro. Rom. 8. Nulla nunc condemnatio est his qui in Christo Iesu ambulant. & Ioannes inquit, Facite fructus dignos pœnitentiæ, id est cõuenientes pœnitentiæ. Hæc noua obedientia usitate uocatur,

Bonũ propositum.

Bonum propositum. Estq; uere & sine hypocrisis statuere, & uelle Deo obedire, & retinere iustitiam bonæ conscientie. Ac ut firmitas ista uoluntatis fiat, adiuuamur à spiritu sancto, qui datur cum fide, nos sustentamus: ut Gal. 3. dicitur, Ut promissionem spiritus accipiamus per fidem. Item Rom. 8. Accepistis spiritum adoptionis filiorum, quo clamamus Abba pater, cum enim fide assentimur promissioni,

agno

agnoscimus misericordiam & presentiam Dei, respicientis, curantis, & recipientis nos, & incipimus eum uere inuocare, & nos ei subijcere, timere eum, & obedire ei.

Ideo in Zach. duæ particule eruditissime coniunguntur, Gratia & Inuocatio. Effundam super domum David spiritum gratiæ & precum: scilicet primum spiritu sancto mouemur, ut agnoscamus & statuamus nos recipi in gratiam. Est autem præcipuus cultus Dei, & solius ecclesiæ opus, uera inuocatio, quæ oritur ex agnitione gratiæ. Nam mens ignara reconciliationis, fugit Deum, non inuocat. Sed recepti in gratiam, accedunt & inuocant, ut Rom. 5. dicitur, Per hunc habemus accessum fide. Eph. 3. per quæ habemus fiduciam & accessum confidenter per fidem. Quomodo autem placeat noua obedientia, cum procul à perfectione legis absit, & reliquiæ peccati in hæc uita in reconciliatis mancant, dictum est supra.

Zachariæ locus.

DE CONFESSIOE.

Diligentia digna est eruditus, uidere quam uariis usus sit uocabuli Confessionis. Vulgus intelligit nomen confessionis plerumque de enumeratione singulorum delictorum, quæ fit coram ministris Ecclesiæ, à quibus absolutio petitur. Et fortassis initio mos ille enumerationis singulorum delictorum ortus est ab ijs, qui delicta publica coram ministris aut ecclesia confitebantur. Tales enim olim non recipiebantur, nisi coram ministris professi essent se delicta agnoscere,

Confessionis uocabulum uarie capi.

scere, petere ueniam, & promittere emendationem.

Sæpe autem repetitur nomen confessionis, etiam apud Apostolos & Prophetas, ut Matth. 3. Bap-
tizabantur in Iordane, confitentes peccata sua. Item
Nehemiæ 9. Filij Israel conueniebant in ieiunio, &
confitebantur peccata sua. Et Leuitici 16. Aaron
confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel. ubi
mos publicus describitur, in quo uoce summi sacer-
dotis tota Ecclesia fatebatur se ream esse. In his lo-
cis, Confessio non tantum significat arcanam agni-
tionem culpæ coram Deo, sed etiam publicam pro-
fessionem in genere coram Deo & ecclesia, profiten-
tium se reos esse, & ueniam petentium.

Confessionis
ritus uetustis-
simus.

Apparet igitur hanc publicam et generalem pro-
fessionem, admodum ueterem morem esse.

Sed cum Dauid inquit: Dixi, confitebor aduersum
me iniustitiam meam Domino. hic confessio signifi-
cat arcanam agnitionem culpæ coram Deo, quæ agni-
tio est ipsa contritio, cõiuncta cum petitione ueniæ.

Iacobus & nomine confessionis usus est, loquens
de recõciliatione: Cõfitemini mutuò peccata uestra.
id est, hi inter quos fuerunt simultates, fateantur u-
trinq; sua delicta, & redeant in mutuã gratiã. Sicut
dicitur in Salomone, Iustus primũ sese accusat, po-
stea inquit alterũ: id est, Deus nõ uult nos conuiue-
re ad nostra errata, et in alios acerbã censurã agere:
sed uult nos in nostrã conscientiam primum inqu-
rere, nostra errata fateri, & emendare, ut Matth. 7.

dicitur

dicatur, Eijce primum trabem ex oculo tuo, &c.

Postquam igitur uarius usus uocabuli animadu-
uersus est, discernantur ueteres significationes à re-
centi more enumerationis.

Est autem duplex confessio. Altera iudicij publi-
ci, cum coram Ecclesia accusantur rei manifestorū
criminum: ibi de manifesto delicto palàm fateri debe-
mus nos lapsos esse, & dolere quod Deum offende-
rimus, & Ecclesiam polluerimus. Hic satis constat,
cum crimen sit manifestum, enumerationem seu reci-
tationem criminum non omitti. Sed altera est con-
fessio priuata, seu arcana. Hic dicimus enumeratio-
nem nō esse necessariam, et quanq̄ multi ualde uocife-
rantur, hoc uinculo laxato, disciplinā solui: tamē et
in altera parte uidendū est, ne lux fidei obscuretur,
& ne conscientijs laquei iniiciantur. Et tamen quo-
modo disciplinæ ratio habenda sit, postea dicemus.

Tres sunt autem causæ, propter quas necesse est
extare doctrinam, quod enumeratio non sit necessa-
ria. Prima: quia monachi finxerunt enumerationem
esse cultum & meritum remissionis. Secunda: quia
postulant eam, ut possit indici satisfactio. Tertia:
quia conscientia adducitur in dubitationem & de-
sperationem, scrupulosa enumeratione. Hi errores
taxandi sunt. Nam remissio non pendet ex condi-
tione enumerationis, et retinenda est uox Euangelij
de gratuita condonatione. Deinde deliramenta de sa-
tisfactione magis etiam taxanda sunt. Postremò enu-

Confessio du-
plex.

Enumeratio
peccatorum
in confessio-
ne, non ne-
cessaria.

Nugæ de sa-
tisfactione.

merationem constat fuisse pijs duram carnificinam, qui cum uiderent se non posse omnia delicta colligere, nunquam acquiescebant, & dubitatione illa fides extinguebatur. Huic malo necesse fuit pios doctores mederi.

Quod igitur in arcana confessione enumeratio omnium uel paucorum delictorum, non sit præcepta in iure diuino, manifestum est: quia Christus aut Apostoli nusquam eam præcipiunt. Deinde impossibilis est enumeratio omnium: iuxta illud, Delicta quis intelligit? Multa sunt enim errata ignorantie in maximis deliberationibus, ut Iosue mouentis bellum nõ necessarium. Item in alijs negocijs: ut quædam errata doctrinæ, ut qui stipulas extruunt supra ueras sententias, quas obscurant. Item plurima sunt peccata omissionis, quæ non intelligimus. Absurdum est igitur, dicere necessariã esse enumerationem omnium, cum sit impossibilis. Ideo autem præcipue hæc illustrètur, ne obscuretur doctrina de remissione gratuita, & de fide.

Abolutio
priuata in Ec
clesiis retinē-
da, eiusq; uti
litas.

Cæterum propter abolutionem priuatam, quæ in ecclesijs retinenda est, mos etiam petendæ abolutiois retinendus est. et sunt aliæ utilitates multæ retinendi illius colloquij priuati, etiamsi non accedat enumeratio.

1 Prima est, ut petatur abolutio.

2 Secunda, ut Pastor interroget suos auditores de doctrina nam utrunq; mandatum est: Pastori, ut exploret

ploret auditorum iudicia de doctrina, & cognoscat an proficiant, castiget & erudiat segniores: Populo uero, ut exponat, quid sentiat.

Tertia: Certe priusquam rudes admittantur ad³ Sacramenta, de doctrina audiendi sunt, & hoc colloquium uice Catechismi est.

Quarta: Etsi cogere Pastor non debet, ut quisquam dicat arcana facta, tamen pro aetate & uitae⁴ genere quaedam de moribus interrogare, & utiliter monere potest, ut si quis audiat mercatores, interrogare potest, quales contractus exercent?

Quinta: Sicut in Nehemia & Matthæo dictum⁵ est, Confitebantur peccata, id est fatebantur in genere se reos esse, subijciebant se Deo, ostendebant dolorem suum: sic in petitione absolutionis, etiam cū recitatio singulorum omittitur, tamen necesse est significari in genere, quod fateamur nos reos esse, et subijciamus nos Deo, uere doleamus quod Deum offenderimus, quod ecclesiam polluerimus, quod cumauerimus poenas publicas. Cum hoc modo prudenter et grauius hic mos retinetur, prodest ad disciplinā.

Sexta: Omnium maxime hæc causa prudentes omnes mouere potest. Mos petendæ absolutionis, testimonium est huius articuli, quod lapsi emendantes se, recipiatur à Deo, et sint ab Ecclesia recipiendi. Vtile est autem, hoc illustre testimoniū in Ecclesia conseruari. nam & Petrus Alexandrinus refutauit Melitiū, serentē Catharorū deliria, citato more usitato

⁶ Absolutio
petendæ moris

Rituū uis in
mouendis ho
minū animis.

in Ecclesia, & protulit exempla Absolutionis. Valde mouetur animi omnium hominum ijs ritibus qui assidue sunt in conspectu, & incurrunt in oculos, confirmati non solum antiquitate, sed usu etiam taliū gubernatorum, quorum pietatem & doctrinā certa testimonia comprobarūt. Quare & tunc profuit mos ad cōfirmationē ueræ sententiæ Petri, et nobis prodesse huius perpetui moris cogitatio potest.

Absolutionis
mandatum.

Deinde cum clare dicat Christus, Quicquid solueritis in terra, erit solutū in cælo, certe mandatum datur absoluēdi. Etsi autē absolutio, seu receptio lapsorū fieri intelligitur, cū admittūtur rursus ad Synaxin, tamen hæc expressa absolutio nō abolēda est.

Euangelij ob
liuio.

Apud ethnicos prorsus fuit amissa doctrina de remissione peccatorum propter mediatorem filium Dei, sed doctrina legis utcunq; retenta est. Natura enim hominum facile obliuiscitur Euangelium, cū sit doctrina non nata in humana mente. sicut & monachi oppresserunt Euangelij lucē de gratuita remissione, confectis delirijs de satisfactione, & alijs. Iam igitur si mos absoluēdi aboleretur, rursus secuturæ essent tenebræ, & obscurior fieret doctrina de recipiēdis lapsis. Quare utile est retineri morem, cum quidem semper in Ecclesia fuerit. Sciātq; pij, in hoc more retinendo non solum suæ necessitati, sed etiam posteritati seruire.

Hanc tam piam & utilem causam spero ualituram apud multos, ut morē petendæ absolutionis &
magis

magis ament, et libentius retinere studeant. Cum accedis ad petendam absolutionē, hæc tria cogites. Ut semper fuit in Ecclesia confessio generalis, qua pii ostendunt se agnoscere suos lapsus, & se reos esse iræ Dei professi sunt: ita tu quoque deplores tuam culpam, te quoque reū esse fatearis. ut Daniel inquit, Nobis confessio. Deinde uocē Euangelij, qua annunciat remissio peccatorum, tibi applicari petas. Et hac uoce te ipsum consoleris, & ad fidem excites. Tertio, hunc morem cogites retinendum esse, ut etiam posteritas sciat, lapsos cum se emendant, à Deo recipi, & ab Ecclesia recipiendos esse.

Tria in petenda absolutione cogitanda

Vtile est autem rudiores ad aliquam generalem enumerationem, iuxta ordinem Decalogi institutam, assuefacere. Hæc diligentia prodest, non solum eo quod tanquam Catechesis commonefacit recitantes, qui morbi & qui lapsus sint peccata, & qui sint gradus peccatorum, & quid intersit inter fœrense iudicium & iudicium Euangelij de peccatis: sed etiā quia cogit homines seipsos considerare & agnoscere suos morbos et lapsus, de quibus multi petentes absolutionē ne cogitant quidē. Quomodo autē potest existere cōtritio, aut dolor aliquis, sine mediocri cogitatione de nostris lapsibus, de ira Dei, de pœnis presentibus & æternis?

Rudiores ad generalem enumerationē assuefaciendi

Præterea magna pars populi, peccata tantum intelligit illa atrocia delicta esse, quæ publicis supplicij puniuntur: de falsa inuocatione, de uitij cordis

Ad decalogū
assuefaciendi
homines.

nihil norunt. Assuefaciendi sunt igitur homines ad Decalogum, qui etsi aliàs sæpe declarandus & illustrandus est à docentibus, tamen melius intelligetur à populo, cum unusquisq; suam uitam ad illud speculum confert, & animaduertit propria errata. ut de primo præcepto:

Examen sui
ad primum
Decalogi præ-
ceptum.

Deberem equidem recte cogitare de Deo, & firma fide statuere, hunc unum esse Deum creatorem omnium rerum, & futurum iudicem omnium hominum, quod se patefecit dato uerbo suo, et misso filio: deberem uero timore ei obedire, & metuere iram eius, et iudicium: uera fide eum inuocare propter filium, et diligere eum, et sentire aliquem grati pectoris motum erga Deum.

Deberem affici magnitudine misericordiae, quod se nobis patefecit, quod uere diligit genus humanum, uere uult nos saluos fieri: deberem filij beneficijs moueri, quod pro nobis passus est, quod dedit Euangelium, quod promisit spiritum sanctum gubernatorem, & uitam aeternam.

Sed hæc omnia leuius mouent animum meum, quæ debebat fieri, non satis timeo, sæpe dubito, & quadam perpetua dubitatione frigidus peto bona à Deo, frigidius inuoco: confido interim rebus presentibus, & quero præsidia uitæ, neglecto ordine quæ Deus præcipit. Sæpe etiam falsa inuocatione errans offendi Deum, inuocaui homines mortuos, putavi magis ad hanc statum inuocandum esse Deum, aut sanctum, quæ alibi. Sæpe nunc quoque aberro, ne cogitem de uero

Deo

Deo qui se patefecit per filium, nec cogitem de filio, & de promissione: deniq; non ardeo in inuocatione, ut oportet.

De secundo præcepto.

Deberem Euangelium diligenter discere, celebrare sermone, & ornare exemplis, agnosco autem meam negligentiam in hac re: imò sepe prætexo priuatæ cupiditati Euangeliū. Sæpe meis exemplis & scandalis præbeo occasionē alijs maledicendi Euangelio, aut alieno aliquos. Interdum erraui in aliquo dogmate, & eo errore deformaui doctrinā cœlestē.

De tertio præcepto.

Sæpe negligo publicas conciones & ceremonias in die festo, non impeditus alijs causis, & meo exemplo alios abduco: non ago gratias Deo, pro instituto ministerio, pro conseruatione ecclesiæ, pro cōseruatione Prophetiæ & Apostolicorum scriptorum: non adiuuo ecclesiam, precantem pro publico statu in cœtu: nimis leuiter afficior cura miseriarum communium, quod inscitia, discordijs, bellis, dissipantur ecclesiæ & politiæ, & multorum animæ & corpora pereunt: non adiuuo ipse ministerium ecclesiasticum meis officijs, non ueneror ut debeo pi os ministros, interdū eis maledico, & meo exemplo confirmo contemptum aut odiū eorum, nō soluo eis debitas mercedes. Sæpe dies festos male colloco, & in res turpes, & irrito Deum aduersus multos.

De quarto.

Sum negligens in mea uocatione, in studio, in regenda familia: sum ingratus Deo pro beneficijs ordinis politici: interdū irascor iniuste magistratibus, & maledico eis, nec tribuo eis debitam reuerentiam ex animo: interdum rixas excito contra leges, & uiolo politicum ordinem cum scandalo & aliorum detrimento, meis stultis tumultibus impedio alia publica negotia necessaria: non sum intentus, ut in meo ordine me coherceam, & caueam ne turbem communem harmoniam publici status: sum *πλεονεκτης*, & mea utilitati magis seruiō quā publicæ, aut capto occasiones turbandi.

De quinto.

Sæpe incendor iniusta indignatione & cupiditate uindictæ, addo malas execrationes, quæ ex cupiditate nocendi erumpunt: moueor emulatione: doleo alterius potentiam aut auctoritatem crescere, & premere eum cupio. Sum superbus, despicio pares, & me eis anteferri postulo. Sum suspicax, & ex falsis suspicionibus interdum iniusta odia concipio, sero & confirmo discordias: sæpe perfero rumores & sermones, qui sauciant animos, & accendunt odia: habeo aliquid liuoris & maleuolentiæ, delector obtrektatione, interdum calumniose deprauo aliena dicta & facta: non studeo sanare offensiones & conciliare uoluntates, sino crescere odia priuato liuore uel alia priuata causa: maledico absentibus interdū,
afficio

afficio contumelia præsentes : impedio inuocationē
meam & aliorum excitatis odijs, aut disidijs.

De sexto.

Habeo errantes motus, & flammās uarias libidi-
num, indulgeo oculis & cogitationibus impudicis,
cōtaminatur & corpus. Hæc mala augeo intempe-
rantia & crapula. His incendijs & crapulæ fasti-
dijs impedio pias meditationes & preces, &
accerso beluinā feritatem: cumulo mea impuritate i-
ram Dei aduersus me, meam familiam & ciuitatem.

De septimo.

Fruor liberalitate parentum, aut stipendio publi-
co, & non bene colloco: defraudo meos fratres, aut
alios pauperes: sum iniustus in contractibus, non stu-
deo propter Deum seruare æqualitatem, maligne
soluo debita precia, exerceo aucupia pecuniæ que-
rendæ iniusta, sumo mutuū uarijs prætextibus, ac
ne curo quidem soluere: retineo res alienas, non sum
fidelis & diligens in mandato labore, res uitiosas uē-
do, res locatas corrumpo.

De octauo.

Non præsto candorem & ueritatem, quam De-
us requirit in dictis & factis: admisceo sophisticam
consilijs & negotijs, aut doctrinæ: interdum propi-
gno falsa ex odio, iracundia, aut iniusta pertinacia,
aut adulatione, aut metu. In moribus etiam est hypo-
crisis, simulatio uirtutis, & falsa iactantia.

Deniq; agnosco me miserum in hac cæcitate &

securitate horribiliter negligere iram Dei, & multis modis aberrare ab eius præceptis, ac multis scandalis alios lædere, & accersere mihi & alijs pœnas: nec posse me magnitudinem, aut multitudinem meorum uitiorum aut lapsuum intelligere, sed fateor me meritum esse præsentis & æternas pœnas. ac uero dolore clamo, Tibi tantum sum peccator, coram te male feci, ut iustificeris, &c. Vere doleo Deum à me offensum esse, & lædi ac pollui Ecclesiam & reliquum genus humanum. & confugio ad filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, propiciatorem: propter hunc oro, ut Deus æternus pater Domini nostri Iesu Christi, bonus. sapiens iudex, & fortis, iram suam à me auertat, & mihi peccata remittat propter filium, & me sua immensa misericordia recipiat, sicut dixit, Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Ac polliceor me repugnaturum esse peccato, & nihil facturum contra conscientiam, & oro Deum ut me regat spiritu sancto suo: & à uobis tanquam ministro Christi peto, ut uocem Euangelij mihi annuncietis, cui credo, & simul Ecclesie promitto, me mores emendaturum esse, & scandala uitaturum.

Ad talem aliquam formam generalem rudiores assuescendi sunt, ut cogitent quid agant, cum petunt absolutionem, seq; ipsi scrutentur, agnoscant se magnos & multiplices lapsus habere, & gradus considerent: discant ex ipsa Decalogi serie intelligere latentem

tentes morbos, ut repugnare suis uitijs, et se moderari incipiant. Denique quomodo existere dolor in animo potest, sine aliqua cogitatione nostrae miseriae? Non frustra dixit Christus, Spiritus sanctus arguit peccatū. Id autem fit cogitatione uerbi, & irae Dei, et nostrae immūdiciae. Vt igitur spiritus sanctus arguat te, & tibi ueros terrores incutiat, ac corrigat securitatem et superbiam, ut expauescas, et te Deo subicias, & abijcias te infra ceteros homines: aspice utrumque, scilicet uerbum Dei, & tuos furores, ne accedas ad petendam absolutionem securus, & sine gemitu, sicut Pharisaeus Luc. 18. qui inquit, Non sum sicut ceteri homines. & utile esset tale aliquam generalem confessionem, saepe in concionibus aut Catechesi proponere.

Spiritus sanctum arguere peccata.

Nunc redeo ad disputationem de enumeratione singulorum, quam his duobus praetextibus quidam necessariam esse contendunt.

De enumeratiōne singulorū

Non potest fieri absolutio sine cognitione: Hic petenda est absolutio: ergo cognitio est necessaria.

Respondeo ad maiorem. Differunt iudicium & ministerium Euangelij. In iudicio necesse est fieri cognitionem. at ministerium Euangelij est mandatū certum impertiendi beneficij, scilicet annunciandae remissionis peccatorū, siue nota sint, siue ignota. Plurima enim remittuntur, quae nec meminit nec intelligit ille ipse qui absoluitur, & fide uox absolutionis accipienda est. Non hic disputandū est, an forma iudicij satis seruata sit: nec nitatur fides illo opere sacerdotis,

Iudicij & ministerij Euangelij discriminē

dotis, sed intueatur Christum propiciatorem, propter hunc sciat iram Dei à nobis auerti, & hanc uoluntatem Dei sciat in uoce Euangelij nobis patefieri & annunciari.

Dauid pauore & mœrore extinctus esset, cum obiurgaretur à Nathan, nisi postea etiam absolutionem audiuiisset, Dominus abstulit peccatum tuum. Hac uoce diuina audita, rursus acquiescere, reuiuiscere, & Deum inuocare cœpit. Sic autem quisque nunc cogitat: Si singulari uoce tali Deus significaret se mihi ignoscere, bene mecum ageretur. Hæc imaginatio corrigenda est, considerata uoce Euangelij, seu absolutionis. Hoc ipsum tibi & unicuique nostrum annunciat uox Euangelij, seu absolutionis, quod Dauidi de remissione dictum est. Nec minus Euangelio sonanti per ministros credi oportet, quam tunc Dauidem credere oportebat.

Euangelij seu
absolutionis
uoci creden-
dum.

Hæc est igitur uera & firma responsio ad argumentum, Absolutio non fit sine cognitione. Verum est in iudicio, sed non in hac functione ministerij Euangelici, quo tribuitur nobis beneficium, & illustratur uis ministerij, cum homines admonentur de discrimine iudicij & ministerij. Nam ministerium ad conscientiam pertinet, & est testimonium diuine absolutionis. Sed iudicium alia res est, & ad manifesta crimina pertinet. Nemo sine cognitione excommunicandus aut recipiendus est: sed ibi fit cognitio non de conscientia, sed de externis moribus, & ea abso-
lutio

lutio coram Ecclesia ualet, etiamsi is qui absoluitur, simulat tantum pœnitentiam.

Quod autem Euangelium publice multis, & priuatum singulis applicari possit, testatur hæc sententia: Quorum remiseritis peccata, remittentur eis. Item: Quoties peccabit in me frater, & remittam ei? Loquitur enim de remissione, quam Deus approbat.

Quod uero aliqui obijciunt, Homines non posse remittere peccata: id uerum est, sed annunciare uerbum Dei, & possunt, & debent, quo Deus testatus est sese remittere. Remittit enim Deus per ministerium Euangelij & Sacramentorum. Ac satis apparet eos non attendere, quid sit uox Euangelij, aut ministerium, qui non uolunt expresse annunciari remissionem. Ideo autem misit Deus filium, ut hanc arcanam uoluntatem de remissione peccatorum ex sinu Patris prolatam patefaceret, & annunciari eam in Ecclesia iuberet. Et sacramenta sunt applicationes remissionis, id est testantur beneficium Euangelij ad singulos pertinere: Ego baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. id est ego mandato Dei profiteor te iam recipi ab hoc uero Deo, qui est æternus pater Domini nostri Iesu Christi: & à filio eius Domino nostro Iesu Christo, qui pro te passus est: & à spiritu sancto, qui datur in corda reconciliatorum. ut eos regat, & inchoet uitam æternam. Remitti igitur tibi peccata, & te fieri heredem uitæ æternæ testor.

Euangelium & publice multis, & priuatum singulis adhibendum.

Obiectio.

Remissio expresse in ecclesia per ministerium annuncianda.

Quidā

Obiectio alia. Quidam nouo commento defendunt Canonem de enumeratione hoc modo: Consensus perpetuus ecclesie uidetur esse dogma à Spiritu sancto traditum: Semper autem fuit mos enumerationis in Ecclesia: Necessè est igitur eum retineri.

Respondeo ad minorem. Mos fuit manifesta peccata recitandi & deplorandi. Sed uetustas non mandauit singulis arcana recitare. Sicut clare Chrysostomus inquit in enarratione Psalmi 50. Si pudet alii cui dicere peccata, dicito ea quotidie in anima tua, non dico ut confitearis conseruo tuo, ut tibi exprobrat: dicito Deo, qui sanat ea. Et citantur similia dicta ab alijs, quæ opponi possunt ijs qui allegant perpetuum consensum, ut superstitiosissimi Canonis acerbiter defendant, qui conscientijs laqueos iniicit. Est autem pijs pastoris, prospicere & cauere conscientiarum pericula, & doctrinæ corruptelas: & tamen uidere, quomodo pie retinenda sit disciplina.

DE SATISFACTIONE.

Vetus mos in Ecclesia fuit, non recipere lapsos, qui defecerant ab Euangelio metu suppliciorum, aut polluti fuerant cæde, aut manifestis libidinibus, nisi prius castigatos. & hic mos cum exempli causa initio sic seruabatur, ut alij admoniti diligentius regerent mores: tum uero ut explorarentur animi, an serio redirent ad ecclesiam. Fuitq; tota res politicus ritus, non pertinens ad conscientiam, seu remissionem peccatorum coram Deo.

Satisfactionis ritus cuiusmodi olim in ecclesia obseruatus.

Sed

Sed postea, ut fit, multæ superstitiosæ opinio-
nes accesserunt, ex quibus deinde inextricabiles la-
byrinthi orti sunt. Quare necesse est & de hac par-
te Ecclesias recte doceri, præsertim cum in refuta-
tione errorũ simul multæ grauissimæ res explicandæ
sint. Illustratur doctrina de remissione peccatorum,
monstratur discrimen remissionis culpæ & remissio-
nis pœnarum temporaliũ, recitantur pœnæ tempo-
rales, in quibus uult Deus iram suam aduersus pec-
cata conspici: ut in pœna Dauidis, Manassæ, etc. tra-
ditur discrimen uerorum & commenticiorum cul-
tuum. Has tantas res complecti necesse est.

Ac ut de externo ritu harum castigationũ initio
dicam, arbitror morem à primis patribus sumptum
esse. Nam uestigia manserunt etiam apud Græcos,
ubi aliquis eadem iniustam fecerat, aut commiserat
incestum, excõmunicabatur: hoc est, excludebatur
ex consuetudine omnium officiorum, & addebatur
signa quædam in uestitu, quæ significabant eum ho-
minem, reum, pollutum, & uitandum esse: ac nemo
unà cibũ capiebat, donec illa signa reatus gerebat.
Erant etiam certæ imprecationes, & diræ, quæ con-
tra pollutum dicebantur.

Excõmunicã
di pollutos,
cuiusmodi ri-
tus apud Græ-
cos.

Sic Phoenix apud Homerũ narrat, contra se pro-
pter stupratã coniugem patris, diras recitatas esse.

Et Orestes discurret in Græcia, abstinens ab alio-
rum conuictu, ac gerens signa reatus. & passim mul-
ta exẽpla inueniuntur, ut Pelei, Antilochi, Adrasti,
qui

qui ad Cræsum uenit gerens signa reatus. Hæc exempla satis apparet à primis patribus sumpta esse, qui hos ritus disciplinæ causa obseruarunt, ut homines cogitarent magnitudinem iræ Dei aduersus pollutos, & eo magis abhorrerent à talibus sceleribus.

Qualis in ecclesia obseruari solitus.

Huius uetusti moris imago, etiã in ecclesia in excommunicatione seruata est. Excludebantur lapsi ex cõmuni consortio, ac denunciabatur eis ira Dei. nec denunciatio illa fuit irrita, sed diuinitus sequebantur pœnæ: & cum petebant se recipi lapsi, aliquot diebus ante absolutionem explorabantur. stabant extra locum cœnæ Domini, cum signis reatus, id est plorantes & sorditati, & publice petebant absolutionem. hac promulgata, rursus admittebantur ad cœnã Domini, & recipiebantur in consortium.

Castigationis publicæ ritus in ecclesia nõ improbandus

Hunc ritum publicæ castigationis & exploratiõnis nequaquam improbanus: imò optarem eum grauius sine falsis opinionibus, sine superstitione, sine immodicis oneribus seruari. et prodesset exemplũ ad disciplinam, ut laudat ecclesiam Corinthiam Paulus 2. Cor. 7. quod grauius hanc censurã contra incestum exercuerat, quod eum excluserat, postea uero publice declarantem pœnitentiam receperat. Tristitia, inquit, uestra quantam excitauit indignationẽ, zelum & uindictam, id est pœnam, uidelicet ipsam excommunicationem polluti stupro nouerã.

Sed post Apostolos superstitione creuerũt canones multarum. indicebãtur aliquot anni ieiuniorũ,

DE SATISFACTIONE. 381

Et accedebat falsa persuasio, Hæc opera mereri remissionem peccatorum, & compensationes esse pro peccatis. Ideoq; satisfactiones uocabantur. Ita obscurabatur lux Euangelij, de fide accipiente remissionem propter Christū. Tandem canones illi cū iam intolerabiles essent, relictī et neglecti sunt, nomen mansit & umbra, de qua disputant monachi, & multas corruptelas Euangelij hic gignunt, de quibus breuiter dicam.

Satisfactionū
superstitionū
quomodo
ortæ.

Primum autem sciendum est, Satisfactiones hic non intelligi ciuiles satisfactiones: ut qui defraudauit alios, compensare furtum debet: qui alterum iniuria affecit, qui conuiciatus est, aut iniustā uolentiam exercuit, læso satisfacere debet, & retractare cōuicia, ac pro uolentia pœnam subire. hæc sunt opera debita, & ad contritionem pertinent, iuxta illud, Desinite malefacere. Qui alterius uxorem raptam detinet, non habet contritionem, donec eam retinet. Sunt igitur ciuiles illæ satisfactiones, rerū & famæ restitutiones, opera debita, mandata lege Dei, necessaria ad ueram contritionem, & bonum propositum, ac bonam conscientiam.

Ciuiles satis-
factiones.

At monachi hic definiūt satisfactiones, opera nō debita, quibus uolūt redimi pœnas purgatorij, aut certe alias pœnas tēporales. Sic enim docēt: Deū, cū sit misericors, remittere culpā. sed cū sit etiam iustus, & iudex, mutare pœnā æternam in tēporalem purgatorij. deinde addunt, partē pœnarum

Monachorū
definitio.

H remitti

remitti potestate clauium, partē redimendam esse satisfactionibus. Hæc est summa commenti. Recte autem fatentur, non remitti culpam propter satisfactionem: sed postea de cōpensatione pœnæ æternæ hallucinantur. Error est enim sentire, quod æternæ pœnæ remittantur propter nostram cōpensationē: & multo absurdus est, quod fingunt propter opera non debita remitti. de quibus dictū est, Frustra colunt me mandatis hominum.

Sic ergo sentiendū est. Iūgantur remissio culpæ, & mortis æternæ: id enim unū & idem beneficium Culpā tollere. est Christi gratuitū. Ac tollere culpam, est placare Mors æterna. iram Dei: nec aliud est mors æterna, quàm sentire horrendam & inenarrabile iram Dei manentem. sicut Ioannes inquit, Ira Dei manet super eū. Sciamus igitur, culpam & mortē æternam simul tolli propter Christū, non propter ullam nostram cōpensationem. Ideo Paulus inquit: Aculeus mortis peccatum est, Deo autem gratia, qui dat nobis uictoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. Et Rom. 6. Donū Dei uita æterna per Iesum Christum. & Osee 13. Ero mors tua o mors, & pestis tua inferne. Ideo sentiendum est, fide propter Christum, gratis nos liberari à culpa, & à morte æterna. Sicut Paulus inquit, Iustificati fide pacem habemus erga Deum. Christi beneficia hæc sunt, Tollere culpam & mortē æternam: id est, placare ingentem iram Dei. Quare Christum contumelia aspicit.

ficat, si quis remissionem mortis æternæ transfert in nostram compensationem.

Secundo: Quanquam non diuelli debent remissio culpæ, & remissio mortis æternæ: tamē necesse est discerni remissionē culpæ, à remissione pœnarum temporaliū huius uitæ. Imò quoties de pœnitentia cogitamus, magnitudo iræ Dei cōsideretur etiam in pœnis temporalibus huius uitæ. Etsi enim multæ causæ sunt cur ecclesia cruci subiecta sit, tamen præcipua causa est, peccatum hærens in carne. Totum genus humanum oppressum est ingentibus calamitatibus, & morte, sed magis etiam ecclesia. quia uult Deus in ecclesia intelligi iram aduersus peccatum, quam mundus contemnit. Ideo ecclesiam duriore sarcina onerat, ut agnoscamus nos circumferre pœnas, esse reos, & Deum uere irasci peccato, sed propter filiū nos recipi. Adam & si agnouit se recipi in gratiam, quia filius Dei pro genere humano deprecatus erat, & illud mirabile decretum de redemptione humani generis in consilio æterni patris, filij, & spiritus sancti factum erat: tamen subiectus est corporalibus pœnis, ut agnosceret suum lapsum. & secutæ sunt tristissimæ castigationes, in quibus uidit Adam uere sibi circumdari signa reatus, ut ingentem luctum propter scelus Cain, & necē Abel, & similia multa, quæ tot annis uiderunt miserimi parentes.

Præterea præter communes ærumnas, sancti sunt

H 2 gularibus

Ecclesia cur
potius cruci
subiecta.

Sanctorū poenae peculiare
 gularibus poenis, propter priuata quaedam peccata puniuntur. Dauid propter adulteriū quantas erumnas sustinuit longo tempore? Primum stuprata est filia, stuprū cædes filij secuta est. deinde mota seditio à filio, stupratae cōiuges, interfecti ciues, pater pulsus est. & minus fuit Dauidē regno spoliari, quàm exui ingenti gloria uirtutis & fauoris Dei. Hic se uere sensit excommunicari, et sibi has tantas misérias & dolores tanquā signa reatus circumdari, non ab homine, sed à Deo: ut agnosceret Deū uere irasci peccato, sese Deo subijceret, non arrogaret sibi laudē iustitiæ, nec efferreret se supra ceteros peccatores: itē ut alij hoc exemplo moueretur. Sic puniti sunt peculiaribus supplicijs Samson, Salomon, Othias, percussus lepra, Iofias, Nabuchodonosor, & alij sancti innumerabiles quotidie tales aliquas poenas peculiare sustinent.

Deus politicae iustitiæ custos.
 ra enormia Deus, cum sit custos politicae iustitiæ & societatis, regulariter insignibus supplicijs in hac uita punit: ut de Catilina, Nerone, & quotidianis latronibus. Sed de ecclesia, & de sanctis loquor, horum multi lapsus omnibus temporibus peculiaribus poenis puniuntur. Iuxta hoc dictū Psalmi 88. Visitabo in uirga iniquitates eorum. Item, Iudicium à domo Dei incipit.

Tertiò sciendum est: & si sustinent conuersi poenas temporales, tamen hæc prorsus nihil pertinent ad

ad potestatem clauium, nec imponuntur nec remittuntur potestate clauium: ut res ipsa ostendit, nec mortem, nec morbos, nec bella imponi aut tolli posse à ministris Euangelij. Sed his ærumnis finit nos.

Temporales
pœnæ nihil
pertinent ad
potestatem
clauium.

Deus tanquam signis reatus circūdari, cum certa peccata punit, ut nos ipsos & alios de iudicio suo aduersus peccatū admoneat. Et quoniam hæ pœnæ plerumq; sunt exempla, multi insignibus calamitatibus onerati, tanquā in spectaculo monstrantur. Nam Davidis expulsio, quàm triste spectaculum fuit? quàm atrox tragœdia est, Mauricij imperatoris interitus. Hunc cum Phocas ex fuga retraxisset, iubet ad se cum coniuge, filiabus, & filijs adduci. Hic primum filias, inspectantibus patre Mauricio, & honestissima coniuge, interfici mandat, postea filium adolescentem. Aberat autem minimus natu apud nutricem: hunc cum afferre iussisset, nutricis maritus affert non alumnium, sed suum filium. Tanta erat fides in eo amico. Sed cum aspexisset puerū Mauricius, interpellat Phocam, monens hunc alienum esse, nec se uelle calamitatem suam in amicum deriuare. Adfertur igitur Mauricij filius, ac interficitur. Postea misera mater trucidatur. In tanta calamitate nulla uox impia ex Mauricio audita est. Sed astitit spectator harū ingentium ærummarum, & confessionem suæ culpæ edidit, inquiens: Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. Postremo & ipse occisus est.

D. Mauricij
Imp. interitus.

Fuit autem Mauricius & alij magnis uirtutibus præditus, & Christianæ religionis cultor. Sed cum esset iracundior, quædam fecit asperius. Ideo in has pœnas incidit, ante quas admonitus egit pœnitentiam. Sed Deus hac calamitate & in ipso augere pœnitentiam, & alios de suo iudicio admonere uoluit. Satis autem intelligi potest, has pœnas nihil pertinuisse ad potestatem clauium.

- 4 Quarto: Nec sunt hæ pœnæ compensationes purgatorij, aut pro morte æterna. Imò multorum calamitates, ut Ioannis baptistæ, Ieremiæ, Esaiæ, longe alias causas habent, nec sunt pœnæ propter ipsorum delicta aliqua irrogatæ: sicut Deus ipse Iob excusat.

Causæ igitur aliæ, cur ecclesia subiecta est cruci, cognoscendæ sunt, quas quidem prodest sepe cogitari. Possunt autem hoc ordine numerari.

Causæ, cur ecclesia sit cruci subiecta. I. est, Peccatum commune generis humani, propter quod omnes homines uniuersaliter subiecti sunt morti.

II. Cum mundus non agnoscat illum morbū & contemptum Dei, et iram Dei aduersus hoc malū, Deus magis premit ecclesiam, ut agnoscat hæc mala, & uocemur ad pœnitentiam.

III. Quia diabolus rabiosus sæuit in ecclesiā.

IIII. Vult Deus crescere in nobis agnitionem infirmitatis nostræ, & deponere nos fiduciam nostri, & accendi inuocationem Dei: ideo magis exercet

erect sanctos. ut Paulus inquit, Responsum mortis in nobis habuimus, ne essemus confidentes nostræ uirtuti, sed inuocaremus Deum.

V. Ut afflictiones sint testimonia immortalitatis, & futuræ gloriæ. Quia enim hic non est discriminē inter Neronem & Paulum, postea futurum esse necesse est.

VI. Ut afflictiones sint testimonia doctrinæ. Quia enim sancti anteferunt confessionem suæ uite, apparet eos seriò sic sentire.

VII. Ut efficiamur similes imaginis filij Dei. sic Abel, Isaac, Baptista, Ieremias, Esaias, fuerunt typi Christi.

VIII. Sæpe afflictiones sunt poenæ certorum delictorum: ut Dauidis, Manasse exilia, regis Babylonici morbus.

IX. Ut appareat sanctos obedientiam præstare, non suæ uoluptatis causa, sed propter Deum.

X. Ut ecclesia sciat se non humanis præsidij niti, sed habere custodem Deum. Ideo exercetur Abraham periculis peregrinationum, in quibus circumfert doctrinam. Sic populus retinetur in deserto, &c.

Hæc tota doctrina de præcipuis fontibus calamitatum humanarum, ignota est philosophiæ: quæ putat mortis humanæ causam esse materiæ fluxibilitatē, sicut beluine mortis: et cumulari miseriis so-

Calamitatum
causa præci-
pua, philoso-
phiæ ignota.

humana imprudentia. Sed ecclesia monstrat alias potiores causas. Omittantur ergo fabulæ de compensatione purgatorij, quæ nulla habent testimonia in scriptura prophetica & apostolica: & cogitentur aliæ maiores causæ calamitatum, ut iram Dei agnoscamus & expauescamus, & rursus ueram consolationem nobis proponamus. Denique sciamus hunc extremū finem esse omnium calamitatum, ut crescant fides & inuocatio. iuxta illud, *Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te.*

Calamitatum
omniū finis.

Pœnitentia
mitigari pœ-
nas, ac re-
mitti.

Quintò: Etsi Deus sæpe punit certa peccata certis pœnis, tamen sciendum est pœnas mitigari nostra pœnitentia, aut prorsus remitti, ut testatur historia Ionæ. Et Esaïæ 1. dicitur: Si fuerint peccata uestra ut cocceinū, erunt candida ut nix. Item: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos. Ierem. 3. Cōuertimini filij, & sanabo auersiones uestras. & 20. Castigabo te in iudicio, ne tibi innocens uidearis: id est, admonebo te de tuo peccato castigatione aliqua, nec tamen perdam te. Ioel. 2. Conuertimini ad Deum, quia misericors est, & c. & remittens pœnam. 1. Corinth. 11. Si nos ipsi iudicauerimus, nō iudicauerimur. Pertinent huc & illa dicta, quæ petunt mitigationē in pœnis, & simul testantur peccata mereri maiorē pœnam, sed Deū parcere infirmitati nostræ. ut, Si iniquitates obseraueris Domine, quis sustinebit: id est, Si pœnas omnes exequi uelles, subito omnes extingueremur.

Item,

Item, Domine ne in furore tuo arguas me. Misere-
re mei Domine, quoniã infirmus sum. Ierem. 10.
Corripe me Domine, uerũ in iudicio, et nõ furore
tuo, ne ad nihilũ redigas me. Osee 11. Quomodo
dabo te Ephraim, quomodo affligã te Israel? Iuste
te delerẽ sicut Adama & Seboim. Cor meum mu-
tatum est intra me, exarsit commiseratio mea.
Non faciam furorem iræ meæ, non delebo Ephra-
im. Quia Deus ego sum, & non homo, in medio
tui sanctus. id est, Cum inter uos me patefecerim,
meum uerbum uobis tradiderim, nolo uos prorsus
deleri. Reliquias inter uos seruabo. Habacuc ter-
tio: Cum irasceris, misericordie recordaris.

Postremò semper in conspectu sit dictum Eze-
chielis 33. quod etiã de mitigatione pœnarũ con-
cionatur: Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed
ut conuertatur, & uiuat. Pertinent huc & pluri-
ma exempla eorũ quos sanat Christus, quibus præ-
sentes pœnæ remittuntur.

Has sententias, & similes, quotidie nobis in præ-
catione proponamus, cum de publicis & priuatis
pœnis cogitandũ est, et petẽda mitigatio. Ipsæ nos
ærumnæ de his sententijs admoneant. & memine-
rimus utrunq; castigari nos præsentibus pœnis, et
mitigari eas nostra pœnitentia & inuocatione.

Hanc esse sententiam multorum aliorum dicto-
rum etiam iudico. ut Eleemosynæ liberant à pecca-
to, uidelicet quod ad præsentis pœnas attinet. id

Quomodo e-
leemosynæ li-
berent a pec-
cato.

est, merentur mitigationem calamitatum huius uitae. Haec doctrina de poenis praesentibus, & earum mitigatione, utilis est, ac pias mentes de multis magnis rebus admonet, de ira Dei, de causis multarum magnarum calamitatum, de promissionibus diuinis, de exercitio fidei & bonorum operum. Docemus enim, tota poenitentia mitigari poenas hominum, non illis ritibus satisfactionum, de quibus monachi loquuntur, quos dicunt esse opera indebita, & ualere etiam cum fiunt in peccato mortali. Sed multa sunt deliramenta in opinione monachorum, quorum aliqua satis est refutasse.

VI. Satisfactiones monachorum obscurant legem & Euangelium, & amplificanc dignitatem traditionum humanarum. Fingunt enim in satisfactionibus aliquid amplius fieri, quam legem Dei. Monachorum satisfactiones somniant reliquis operibus legi Dei satisfactum esse. Necessesse est autem in ecclesia extare hanc doctrinam, quod in hac uita procul absint etiam renati a perfectione legis.

Deinde obscurant Euangelium, quia fingunt mortem aeternam nostra compensatione aboleri: imò indocti facile transferunt satisfactiones etiam ad remissionem culpae.

Tertio amplificanc traditiones humanas. definiunt enim satisfactiones esse, opera non debita: hoc est ceremonias humanas, certorum dierum ieiunia, certorum ciborum abstinentiam, certarum precum

cum lectionem. Necesse est autem, in ecclesia extare hanc uocem: Frustra colunt me mandatis hominum. id est, obseruationes humanæ non sunt cultus Dei, ac multo minus æstimationis tantæ ut sint compensationes pro morte æterna.

Obseruationes humanæ non esse Dei cultum.

Ex his omnibus cõstat, etiamsi uetustas ritus aliquos habuit, quo polluti à cæteris discernebãtur: tamẽ opiniones monachorũ de satisfactionibus & compensationibus, cõmentitias & inanes esse. Falsum est enim, mortem æternam aboleri nostra compensatione. Sed piæ mētes deducendæ sunt ad Christum propiciatorem, & lux fidei retinenda est, ut meritũ Christi agnoscat. Hæc docet, gratis, non propter nostra opera tolli culpam & mortẽ æternam. Et tamen interim sciendũ est, ecclesiam cruci subiectam esse, & sæpe puniri certa delicta certis pœnis temporalibus: has uero mitigari tota pœnitentia nostra, & debitis operibus. Quare ut pœnitentia crescat, accendatur studium proficiendi in bonis operibus uocationis, & uniuersa obedientia Deo debita, & discernantur ueri cultus ab obseruationibus humanis.

Clament alij de ceremonijs Canonicarum satisfactionum quantum uolent: tamen hæc quæ dixi, uera, perspicua, firma, & pijs utilia sunt, & in ecclesia sæpe proponenda.

Nec ego ignoro, quæri nũc uarios prætextus ad defensionẽ eius ceremoniæ. Sophistica enim infi-

nitæ

nita est. Allegant Cyprianū, qui de censura loquitur, quæ erat mos politicus, ad exemplū pertinēs, nō ad remissionē peccatorū. Deniq; opiniones monachorū de compensatione pœnarū purgatorij, &c. nondum natæ erant Cypriani tempore.

Excōmunicatiōnis futmē.

Quidam contendunt, satisfactionem castigatorem retinendam esse, sicut incestum castigauit Paulus. Ea castigatio erat excommunicatio, quæ cum fit uero iudicio, est graue fulmen. addit enim Deus pœnas: ut scriptum est, Maledicam maledicentibus tibi. Toties autem diximus, contumaces excommunicatione feriendos esse. si uult ecclesia etiam exempli causa cū quadam grauitate & moderatione addere notā, in recipiendis lapsis: talis mos nō improbatur, modo non misceantur opiniones de compensatione. Nec fingatur mos ille necessarius esse propter compensationem pœnarum æternarum, aut purgatorij: sicut olim superstitione ritus satisfactionum creuerunt.

Obiectio.

Obijciūt aduersarij hæc argumēta. Sicut misericordie Dei est remittere peccata, sic iustitie est punire. Neesse est igitur fieri cōmutationē pœnarū, sicut non remisit Adæ & Dauidi sine pœna.

Respondeo. Verum est antecedens. Est iustitie Dei punire, et principalis pœna, ac placans iram Dei, translata est in filium. Deinde in conuersis etiam uniuersaliter punit Deus peccata in contritione, sicut inquit Ezechias: Sicut leo contriuit omnia

omnia ossa mea. Hic dolor in Adam, in Dauide, et alijs pijs multo acrior est, quàm mors ipsa. Deinde punit & pleraq; delicta certis pœnis presentibus, sæpe tamẽ etiam parcit, nec omnes pœnas exequitur. nam hæc infirma natura tantam iram sustinere non potest. sicut dicitur: Si iniquitates obseruaueris Domine, quis sustinebit? Et Psalmo 77. Et non accendit omnem iram suam. Ideo promittit mitigationem harum pœnarum, agentibus pœnitentiã. uult enim non subito extingui homines, sed manere ecclesiam, & multos esse idoneos ad labores uitæ & ecclesiæ necessarios. Parcit igitur multis, ut hanc militiam tolerare possint.

Obijciunt & illud: Si nos ipsi iudicaremus, non iudicaremur.

Alia obiectio.

Ne igitur Deus castiget, recte facit ecclesia imponens pœnas, ut anteuertat diuinas. Hoc argumentum cum sit speciosissimum, diligenter considerandum est. Nam hic in re maxima fit insignis confusio hypocriticæ & ueræ castigationis.

Pauli dictũ salutaris doctrina & consolatio est. Ac loquitur de tota pœnitentiã: si nos iudicaremus, id est, si nos ipsi accusaremus et castigaremus uero dolore, & conuerteremur, non obrueremur pœnis à Deo. Sicut sententiæ supra citatæ docent, pœnitentiã tolli uel mitigari pœnas, Esaiæ 1. Et Ioel. 2. Conuertimini ad Dominũ, quia bonus est, & remittens pœnam. Et aliæ similes sententiæ.

Pauli locus.

Et

Et recte sequitur, castigante ecclesia mitigari castigationē diuinā. Sed hæc non intelligentur hypocritice de ceremonijs, sed de uero ministerio ecclesie, quæ pœnitentiā proponit non in ceremonijs, sed in conuersione ad Deum. Est igitur uera castigatio, uerus dolor cordis, & morū emendatio. Nō est spectaculū certi ritus excogitati ab hominibus, ut fuerunt spectacula satisfactionum. Ecclesie ministerium spirituale est, & de conuersione cordis ad Deum, de uero dolore, de uera renouatione spiritali concionatur. Hæc merentur mitigationem pœnarum. Est enim cultus Deo placens.

Ecclesie ministerium spirituale.

Nec uero castigationes, aut ulla opera sine alijs partibus pœnitentiæ, id est sine contritione et sine fide, merentur mitigationē. Quia opera sine timore & sine fide, nō sunt cultus Dei, quantumuis splendida sunt. Nā lex Dei de corde præcipit: Diligas Dominū Deum tuū ex toto corde, &c. Et Rom. 7. dicitur, Seruiamus in nouitate spiritus, non in uetustate literæ: id est, uera conuersione cordis ad Deum, non externis tantum officijs & ritibus. Diligenter ergo in hoc loco obseruetur hæc confessio, quod pro uera castigatione, id est integra pœnitentiā, proponunt umbram, scilicet externas ceremonias satisfactionū: cum dictū Pauli, Si nos iudicaremus, &c. transferūt ad sua spectacula satisfactionum. Estq; fallacia à dicto secundū quid ad simpliciter, iuxta exemplū: Est homo pius, ergo est

est homo. ubi umbra pro rebus ostenditur.

Ornant satisfactiones & titulo mortificationis. Cum præceptum sit de mortificatione carnis, recte (inquiunt) ecclesia imponit aliquas mortificationes agentibus pœnitentiam. Hic iterum admonendi sunt pij, ut discernant hypocrisin, seu opera indebita, à mortificatione debita. Mortificatio non simulata est, aut uerus dolor in contritione, aut patientia sustinens ueras afflictiones: ut Dauid obiurgatus à Nathan, cū uere expauisset agnitione iræ Dei, & esset in uero dolore. Item deinde, cum calamitates quæ secutæ sunt, perferret, sustinuit mortificationem: de qua dicitur 2. Corinth. 4. Vndiq; mortificationem Domini Iesu in corpore circumferentes. & Rom. 6. Vetus noster homo simul crucifixus est. & Rom. 12. Exhibete corpora uestra hostiam uiuentem, rationalem, &c. Hæc dicta non de simulata toruitate, sed de uero dolore & uera tolerantia loquuntur, de quibus in Psalm. dicitur, Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Et apud Petrum, Humiliamini sub potenti manu Dei, etc. Hæc patientia debitum opus est, & uerus cultus Dei. de quo aliàs dictum est.

Et cū ecclesia cruci subiecta sit, intelligit hunc cultum Deo necessario præstandum esse, & longe discernit à simulatis externis exercitijs, aut commenticijs satisfactionibus.

Nec sunt mortificationes, sine mandato Dei accersitæ

Mortificatio
uera quæ.

Cruciatuſ ul-
tro accerſiti,
an mortifi-
cationes.

cerſitæ corporis lacerationes, ſicut ſacrificuli Ba-
al ſibi ipſi uulnera faciebant. Tales ultro accerſiti
cruciatuſ, pertinent ad regulam, Fruſtra colunt
nō mandatis hominum. Item pugnant cū hiſ præ-
ceptis, Non occides. Item, Habete honorem corpo-
ri, &c. Vult enim Deus nos agnoſcere hanc no-
ſtram uitam, & mirificam omnium partium ac ſen-
ſuum naturam et harmoniam, ſuum opus & donū
eſſe: imō & Dei imaginem continere. Ideo reue-
renter tractari & conſeruari uult hominum natu-
ram: non uult contaminari ſcleribus, nō uult cor-
rumpi eam ſeu uoluptatibus, ſeu cruciatu. Sed
quia peccatum hæret in nobis, alioqui ſatis erit ca-
lamitatum, quæ cito hanc mortalem naturam ab-
ſumunt. Haſ ferre iubet cū inquit, Sufficit dici af-
fliſtio ſua: id eſt, Nō accerſite uobis ultro maiores
calamitates, ſed recte tolerate illas quæ propter
mundi miſeriam uos attingunt, etiam non accerſi-
tæ. Hæc de uocabulo mortificationis utile eſt mo-
nere, ut ab hypocrifiſi diſcernantur ueri dolores.

Carnis coher-
cendæ offi-
cium.

Deinde eſt alia quædam uoluntaria diligentia
coercendi carnem, uidelicet temperantia in cibo,
potu, ſedulitas in laborib. acris intentio in ſtudiis,
precaſionem, & alia negotia uocationis, reprimere
errantes motus libidinum, frenare iracundiam.
Hæc omnia ſunt opera debita, & uirtutes, de qui-
bus ſæpe præceptū eſt. Luca 21. Cauete ne cor-
da ueſtra grauentur crapula. Rom. 6. Non exhi-
bete

hibete mēbra uestra arma iniustitiæ. 1. Corinth. 9.
 Captiuo corpus meum, & in seruitutem redigo.

Hæc exercitia cohercendæ carnis docenda, præcipienda & præstanda sunt, non ut sint compensationes pro præteritis peccatis, sed ut deinceps arceant peccata. Nam luxus, ocium, & negligentia, inuitant multa uitia, ut dicitur: Sedit populus manducare & bibere, & surrexit ludere, & quotidiana uita declarat uerissimè dictū esse, Luxuriant animi rebus plerunq; secundis. Item:

Pectora dum gaudent, nec sunt astricta dolore,
 Ipsa patent, blanda tunc subit arte Venus.

Ac potest esse diligentia cohercēdi carnem, etiā in non renatis: ut in Socrate, Pomponio Attico, & similibus fuerunt multæ uirtutes, temperantia, continentia, mansuetudo. Sed in renatis aliæ sunt cause adiuuantes, & alij fines. In Ioseph hæc concurrunt: ipse regit oculos suos, & fugit adulterium: simul autem petit auxilium Dei, ut adiuuetur, ne uincant illecebræ. deinde suam continentiam refert ad gloriam Dei, non uult doctrinam scandalis deformare. Hanc luctam pios intelligere oportet, & quia res difficilis est, ideo Paulus nomine mortificationis & hanc luctam cōprehendit: ut cum inquit, Si actiones carnis spiritu mortificabitis, uiuetis. Non enim tantum coherceri præcipit, ut Socrates cohercuit: sed spiritu, id est intuentes Deum, deplorantes infirmitatem naturæ, petentes auxiliū Dei,

Non eadem cause cohercendæ carnis in renatis, & alijs.

Mortificatio quid Paulo.

repugnantes diabolo. sic & alibi dicit, Mortificate
membra uestra, expauescite cogitatione iudicij Dei,
& frenate prauos affectus.

Hæc exercitia sciamus & debita esse, & oportere esse perpetua, non ut satisfactiones certi temporis & modi erant. Ideo ecclesia perpetuò ea præcipit in concionibus.

Sed quæ singulis forma conueniat, cuiusq; conscientie & opportunitati relinquendū est, ne laquei conscientijs iniiciantur. & præscriptio certæ formæ, certorum ciborū ac ieiuniorum, cum sit traditio humana, pertinet ad regulam, Frustra colunt mandatis hominum: & ad temperantiam non multum conducit. Nos uerò memores simus perpetui mandati de temperantia et continentia: Ebriosi, fornicatores, non possidebunt regnum Dei.

Continentiæ
mandatū per
petuum.

DE PRAEDESTINATIONE.

CVM nulla sit politia humana, nullus cætus magnus sine multis uitijs, & omnes gentes aliæ alijs calamitatib. exerceantur, sæpe quæ runt animi hominum, an aliqua pars generis humani peculiariter curæ Deo sit, & quæ sit illa pars: An Deus aliquos audiat, aliquibus opẽ ferat: an aliquid agat cum ullis, nisi ut mouent causæ secundæ.

Deinde accedit difficilior quæstio, cum res ipsa loquatur, nulla imperia perpetua esse, & magnas accidere omnium gentium dissipationes, ubi mansura sit Ecclesia Dei in hoc mundo. Vidit eã Ioan-

nes

nes Ephesi, Smyrnae, et in locis uicinis. Nunc in istis dem locis omnia plena sunt Turcicis furoribus damnantibus Euangelium, nec sedes ulla perpetua est Ecclesiae Dei in hac mortali uita.

Ecclesiae nulla sedes perpetua in hoc mundo.

Aduersus has quaestiones firmis et illustribus testimonijs Deus ipse nos muniuit. ac primum esse aliquem coetum quem diligit, curet & aeternis bonis ornaturus sit, ipse manifestis miraculis declarauit: ad quae oculos referamus, ut nos confirmemus, ad seruationem Noe in diluuiio, ad educationem populi ex Aegypto, ad missionem et facta Prophetarum, ad restitutionem mortuorum factam a Christo. Prophetis, & Apostolis. Haec omnia testantur esse coetum illum Deo curae, cui exhibentur haec beneficia, & Deum uere illis adesse, & multa agere praeter ordinem & motum secundarum causarum.

Est igitur aliqua Ecclesia Dei, nec totum genus humanum ad interitum, & praesentes miserias, ac uices materiae pereuntis conditum est, ut poma aut pecudes, quarum materia ruit subinde, aliam formam in his uicibus generationum & corruptionum induens. Etsi uero oculi uident humana corpora nunc similiter obnoxia esse morti, tamen illa miracula et resuscitatio mortuorum testantur, humanum genus aliter & ad alios fines conditum esse: ac ecclesiae praefacta est origo hominum, & causa mortis, & restitutio humani generis.

Haec doctrina humanis opinionibus & illis de

400 DE PRAEDESTINATIONE.

materia speculationibus opponenda est: & cogitemus, non minus beneficium Dei esse, quod sese patefecit humano generi tam multis & tam illustribus testimonijs, quam ipsam rerum creationem.

Dei patefactio non minus beneficium quam ipsa creatio rerum.

Quaquam autem assidue & magne sunt regnorum ruinæ, tamen mansuram esse Dei Ecclesiam sciamus, ex ipsis Dei testimonijs. Ut hanc consolationem teneamus, utile est aliquid de electione seu de prædestinatione dicere.

Testimonia de electione.

Christus inquit Ioannis 10. Oves meæ uocem meam audiunt, & ego noui eas, & sequuntur me, & ego uitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & nemo rapiet eas de manibus meis. Et Eph. 1. dicitur: Elegit nos in Christo ante creationem mundi. Et 2. Tim. 2. Fundamentum Dei stat firmiter, habens hoc sigillum, nouit Dominus suos.

Mansura est igitur semper aliqua electorum Ecclesia, quam Deus mirabiliter etiam in hac uita seruat, defendit, & gubernat. Sicut Esaiæ 46. dicitur: Portamini in utero meo, gestamini in mea aluo, usque ad senectam ego portabo. id est, etiam ultimis tristissimis temporibus. ego senescentem Ecclesiam portabo, ego feci, ego feram, ego gestabo, & saluabo, etc. Talibus sententijs ac promissionibus. cõsolemur nos, cum in his confusionibus & ruinis imperiorum solliciti querimus ubi mansura sit Ecclesia.

De causa electionis sepe disputatum.

Semper autem disputatum est de causa electionis. sicut fratres duo Cain & Abel disputarunt, cur alter

alter alteri praelatus sit: disputarunt idem Esau et Iacob. Ac plerumque hi qui nihil nisi rationis aut legis doctrinam norunt, cogitant ut de iudice humano causam electionis legem esse, seu nostra merita et dignitatem: sic Iudaei sentiebant, sic scripserunt plerique sententiarum. Sed nos teneamus has tres hypotheses.

Prima est: Nec ex ratione, nec ex lege diiudicandum est de electione, sed ex Evangelio.

Hypotheses
de causa electionis.

Altera est: Totus numerus saluandorum propter Christum electus est: Quare nisi complectamur agnitionem Christi, non potest de electione dici.

Tertia est: Non aliam iustificationis, aliam electionis causam quaeramus. ideo Petrus est electus, quia est membrum Christi: sicut ideo iustus est, id est, Deo placens, quia fide factus est membrum Christi. Ut igitur cum de iustificatione loquimur ab Evangelio seu agnitione uocis Euangelij ordimur: sic de electione dicturi, complectamur uocem Euangelij. Sic nobis iudicandum est, qui à Christi agnitione & Euangelio ordiri debemus.

Quaeramus ergo promissionem, in qua uoluntatem suam expressit Deus: & sciamus non esse aliam uoluntatem quaerendam de gratia extra uerbum, sed mandatum Dei immutabile esse, ut audiamus filium: sicut dixit, Hunc audite. Haec uox promissiones omnes complectitur. Sit igitur infixum animis, & in quotidiana inuocatione semper cogitetur & in quotidiana inuocatione semper cogitetur mandatum Dei aeternum & immutabile esse, ut promissionem.

Hunc audite.

missioni gratiae credamus, quae est summa Euangelij, sicut perpetuo consensu docent Prophetae, Christus & Apostoli, ut Ioannis 3. dicitur: Sic Deus dilexit mundum, ut suum filium unigenitum dederit, ut omnis qui credit in eum, non pereat. Et Ioan. 6. Haec est uoluntas Patris, ut omnis qui credit in filium, habeat uitam aeternam.

Promissio
gratiae uniuersalis.

Deniq; haec propria & praecipua uox est Euangelij. Vt autem praedicatio poenitentiae uniuersalis est, et omnes arguit, ut Rom. 3. clare dicitur: Ita & promissio gratiae est uniuersalis, ut multa dicta testantur. Matth. 11. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis. Ioan. 3. Vt omnis qui credit in ipsum, non pereat. Rom. 3. Iustitia Dei per fidem Iesu Christi, quae est in omnes, et super omnes credentes. Rom. 10. Idem Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant eum. Rom. 11. Concluserit Deus omnes sub obedientiam, ut omnium miseretur. id est arguit omniu inobedientiam, omnes uocat ad poenitentiam. rursus etiam omnib. misericordiam offert. Sic & Esaias in utraq; concione ponit uniuersales particulas, Cap. 53. Omnes nos quasi oues errauimus, & posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrum. Act. 10. Huic omnes prophetae testimoniū perhibent, remissionem peccatorū accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum.

Act. 13. In hoc omnis qui credit, iustificatur. Sic intelligantur simpliciter & haec dicta, De
us uult

DE PRAEDESTINATIONE. 405

us uult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis peruenire. Actor. 10. Non est acceptor personarum Deus. Deut. 10. Deus potens & terribilis non accipit personam, & saepe a libi. Cum enim sit iustus Deus, est aequalis aequalibus. Omnes arguit propter peccatum: E contra, omnes qui confugiunt ad filium recipit.

Postquam constitutum est promissionem esse u- Promissio
gratuita,
niuersalem, illud etiam sciendū est, gratuitam esse: id est, recipi nos propter filiū Dei non propter nostram dignitatem, &c. Omnes sumus rei, & ut Pauli uerbo utar, Omnes conclusi sumus sub peccatum, & Paulus saepe ac diligenter inculcat particulam gratis. Tradidit igitur promissionem statim primis parentibus et saepe instaurauit, & late sparsit, imò per Apostolos circūtulit inter omnes gentes: quia uult Ecclesiam aeternam filio colligio.

Causam igitur reprobationis certum est hanc Reprobatio-
nis causa,
esse, uidelicet peccatum in hominibus qui profus non audiunt nec accipiunt Euangeliū, aut qui abijciunt fidem, antequam hinc discedunt. In his certū est causam esse reprobationis peccatum ipsorum, et humanam uoluntatem. Nam uerissima est sententia, Deū nō esse causam peccati, nec uelle peccatū. Deum peccati
causam non
esse.
Nota est enim uox Psalmi, Non Deus uolēs iniquitatem tu es. et Osee 13. dicitur, Perditio tua est Israel, tantum in me auxiliū tuum est. Saul uolens effudit Spiritū sanctum, uolens mouēti Spiritui sancto

repugnauit. Hæc de causa reiectionis, seu reprobationis certa sunt. Promissio enim requirit fidem.

Misericordia
electionis cau
sa.

Econtra uerò rectè dicitur, *Causam electionis esse misericordiam in uoluntate Dei, qui non uult perire totum genus humanum, sed propter filium colligit et seruat Ecclesiam.* Hoc uult Paulus, cum 9. Cap. ad Rom. citat dictū: *Misereor cuius misereor.* Negat propter legem, propter prærogatiuam generis, homines electos esse: ut fiat illustrius, propter filium electam & conditam esse Ecclesiam. Sed tamen in accipiente concurrere oportet apprehensionem promissionis, seu agnitionem Christi. Nam ideo electi sumus, quia effici mur membra Christi. Ergo ut in iustificatione diximus aliquam esse in accipiente causam, non dignitatem, sed quia promissionem apprehēdit cum qua Spiritus sanctus simul est efficax, ut Paulus inquit, *Fides ex auditu est: ita de electione à posteriore iudicamus, uidelicet haud dubie electos esse eos qui misericordiam propter Christum promissam fide apprehendunt, nec abijciunt eam fiduciam ad extremum.*

Electi qui.

Sic cum Ioannis 6. dictum esset, *Nemo uenit ad me nisi Pater traxerit eum.* Sequitur statim: *Omni qui audit à Patre, & discit, uenit ad me.* Orditur Deus, & trahit uerbo suo, & Spiritu sancto: sed au dire nos oportet, et discere, id est apprehēdere promissionem, et assentiri, non repugnare, non indulgere diffidentiae et dubitationi.

Etsi

Etsi autē multa disputantur durius, tamen quā-
 tacūq; moles disputationum cumulatur, necesse est
 in uero agone ad hanc arcem confugere, uidelicet
 quod de uolūtate Dei iudicandum sit ex uerbo ex-
 presso, & quod promissio sit uniuersalis, & quod
 sit mandatum Dei aeternum & immutabile, audire
 filium, & assentiri promissioni. Obtemperemus,
 igitur, nec uagentur animi, nec se mergant in tene-
 bras, quærentes electionem extra uerbum, & reli-
 cto Christo, & omisso mandato de amplectenda pro-
 missione: sed teneamus certa, nec dubitemus Deum
 uerè patefecisse uoluntatem suam in promissione,
 & uerè præstare quod promisit.

Statuamus promissionem gratiæ non inanem fa-
 bulam esse, sed uera fide erecti petamus beneficia,
 & præstari ea nobis statuamus, quæ in promissione
 proposita sūt. Hæc fides crescat in quotidiana inuo-
 catione, sicut scriptū est, Petite, & accipietis. Itē,
 Quanto magis Pater uester cœlestis dabit Spiritū
 sanctū petentibus: non ait, Contemnentibus aut re-
 pugnantibus, sed agnoscantibus miseriam, & quæren-
 tibus auxiliū. Itē, Habenti dabitur. Item, Confirma-
 hoc Deus quod operatus es in nobis. & Philip. 1.
 Qui cepit in uobis opus bonū, perficiet usq; ad diē
 Iesu Christi: id est, adiuuamur a Deo. sed nos oportet
 audire uerbū Dei, non repugnare Deo trahenti.

Sic & dulcissima promissio traditur ad Philip.
 2. Deus est qui efficit in uobis ut uelit, et ut perfi-

Fides crescat
 in inuocatio-
 ne quotidiana
 112.

Deo nos tra-
hēti assentien-
dum.

ciatis, ut ipsa grata fiant. Deus trahit mentes ut ue-
lint: sed assentiri nos, non repugnare oportet, &
promittit se affuturum nobis, ut perficiatur incho-
ata salus, ut aliqua bona fiant inter homines, ipsi
grata. quasi dicat: In mundo furenter ruunt diabo-
li, & eorum organa, ut faciant ingrata Deo, con-
firmant Epicureos furores, idola, oppressionem
Euangelij, iniusta bella, flagitiosas libidines, furta,
mendacia, quae iram Dei irritant: at ne totum ge-
nus humanum ad perniciem conditum sit, oportet
aliqua fieri Deo grata, & placentia. haec fiunt à
pijs in Ecclesia, uidelicet uera Dei inuocatio, fidu-
cia Christi, gratiarum actio, propagatio Euange-
lij, tolerātia in cruce, iustitia erga proximos, amor
castitatis, ueritatis, pacis, & aliae uirtutes. Et haec
bona fiunt à petentibus, ut dictum est, Dabit Spiri-
tum sanctum petentibus.

Piorum ope-
ra Deo grata
sumusmodi.

Pauli locus
consolationis
plenus.

Vocati qui.

Ad Eph. 1. dicitur. Elegit nos in Christo, ut do-
ceat nos causam electionis esse, non nostram digni-
tatem, sed Christum, ne remoto Christo & Euange-
lio, de electione cogitemus, sed causam electionis in
promissione Christi quaeramus. Item Rom. 8.
Quos elegit, hos & uocauit. Dulcem, salutarē &
multiplicem consolationem continet haec sententia,
quae tamē uelut inanis ab ociosis Lectorib. praeteri-
tur. Prima consolatio est, quod adfirmat nusq̄ esse
electos, nisi in coetu uocatorū. Vocati autē sunt so-
li qui audiūt, discunt, & profitentur Euangelium.

Hic

Hic uisibilis coetus est Ecclesia, in qua semper necesse est aliquos esse electos, & haeredes uitae aeternae. Plurimum autem prodest pijs scire, Ecclesiam electorum in hac uisibili Ecclesia collocatam esse, ut sciamus nos omnes ad uocem et ministerium Euangelij allegatos esse, nec alibi electionem aut peculiare reuelationes quaerendas esse. Commendat igitur nobis hoc dictum, curam audiendi & discendi Euangelij, colendi ministerij, & amandae societatis Ecclesiae, & adfirmat in hoc coetu uisibili electos esse.

Electorum ecclesia in hac uisibili ecclesia collocata

Secunda consolatio est, quod monet haec sententia, non remouendam esse uocationem a consilio electionis. Elegit Deus, quia uocare nos ad filij agnitionem decreuit, & uult generi humano suam uoluntatem et sua beneficia innotescere. Approbat igitur, ac eligit obtemperantes uocationi. Quare uocationem intueamur, adsentiamur Euangelio, & non repugnemus ei, per id enim trahit Deus, & adsentientes certo recipit, & adiuuat. Toties enim iam dictum est, Deum efficacem esse per Euangelium.

Ideo Augustinus, quamlibet durus est in hac disputatione, tamen in lib. De Praedestinatione et gratia sic scripsit: Eos qui uocationis munus congrua pietate susceperunt, & quantum in homine est, Dei in se dona seruantes adiuuat.

Tertia consolatio est, quod testatur huic uocato uisibili coetui uerem adesse Deum, & in hoc coetu uocato ac uisibili efficacem esse. Id enim haec uerba con-

nuncunt;

uincunt: Quos uocat, hos & iustificat: quos iustificat, hos & glorificat. Obseruet igitur Lector hic doctrinā de Ecclesia, de praesentia Dei in hac uisibili Ecclesia, de electione et uocatione cōiungenda.

Quare non deflectamus oculos atq; animos à promissione uniuersali, sed in hanc nos ipsos includamus, & sciamus uere in ea uoluntatē Dei expressam esse. Sicut Paulus deducit nos ad uerbum inquit, Ne dixeris, quis ascendet in caelum? ne uagentur animi quacūq; sine uerbo Dei, uoluntatē eius: sed prope est uerbum in ore tuo, & in corde tuo.

Nec caput nonum ad Romanos dissentit ab hac sententia quam recensui, quod dextre intellectū dulcissima consolatio est pijs mentibus, ut enim tunc Iudaici Pontifices, propter ordinariam successionem & legem damnabant Apostolos: Ita, nunc Pontifices, & ceteri qui defendunt eorum errores, propter titulum seu successionem ordinariam, ut uocant, iactitant se esse ueram Dei Ecclesiam, & promissiones ad se transferunt, & dicunt Ecclesiam non posse errare, damnant & occidunt alios qui Euangelij puritatem amplectuntur, & tanquam seditiosos dicūt bellum inferre Ecclesiae. Aduersus hanc speciem de successione ordinaria, necessaria est doctrina & consolatio tradita in Cap. 9. ad Romanos.

Ecclesia que
uere.

Ac duplex consolatio proponitur. Docemur quae sit uera Ecclesia, uidelicet cœtus credens in Filium

lium Dei: & praemonemur, hanc ecclesiam ueram non alligatam esse ad titulum, seu successionem ordinariam Pontificum & collegiorum. Deinde docemur, nec legē esse, causam electionis, sed propter filium Dei offerri misericordiam omnibus apprehendentibus. & quidem aperte dicit, causam reprobationis esse pertinaciam aduersus filium: Quare Israel sectando legem iustitiae non peruenit ad legem iustitiae? Quia, inquit, non ex fide, sed tanquam ex operibus legis, id est, ideo reiiciuntur, quia nolunt audire filium, & assentiri promissioni, & praetextunt causam, quia defendant iustitiam legis, quod uideatur laxatio disciplinae fieri cum detrahatur gloria operibus.

Reprobationis causa.

Cum igitur fascinati errore suo aduersantur Euangelio, causa reprobationis in ipsis est, sicut & postea in capite 10. clare dicitur: Tota die expandi manus meas ad populum contradicentem. Hic affirmat Deus, offerre se beneficiū omnibus, sed contradicentes non accipere.

Econtra dulcissime dicit: Non est uolentis, neque currentis, sed Dei miserentis, id est, misericordia est causa electionis, sed hanc oportuit in uerbo reuelari, et uerbum accipi oportet. ideo expresse proponit uniuersalē, repetita eadem sententia in utroque Capite: Omnis qui credit in filium, non confundetur. Vult igitur, cum misericordia concurrere apprehensionem in accipiente promissionem.

Non est uolentis & c.

Sciatis

Ego indurabo, &c. pluralis Ebraica.

Sciant etiam studiosi, phrasin Ebraicam in illis uerbis, Ego indurabo cor Pharaonis, significare permissionem: Ego sinam indurari, & in quotidiana preceatione, Ne nos inducas in tentationem. et occurrunt exempla passim, quæ testantur hac phrasi Ebraica sepius permissionem significari.

Humanæ cogitationes de Deo quales.

Magna caligo est in animis hominum in cogitatione de Deo, ac sine luce diuina homines plerumque aut habet Epicureas imaginationes, aut Stoicas, id est, magna pars imaginatur homines non curari à Deo. Alij fingunt Deum sedere in cælo, & scribere fatales leges, quasi in tabulis Parcarum, secundum quas uelit uirtutes & uitia, sicut Stoici de fato suo sentiebant, & cogitant in fatali motu impelli Paridem, & similes. Sed nos abiectis his deliramentis humanæ caliginis, referamus oculos & mentem ad testimonia de Deo proposita, sciamus Deum esse agens uere liberum, & tantum uelle bona, nec uelle peccata, & hanc uoluntatem suam expressisse, ac se patefecisse perspicuis & ingentibus testimonijs, resurrectione mortuorum & alijs, et alligasse nos ad Euangelium suum, in quo dicit Christus: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, ego reficiam uos. Liberè & uerè iuxta promissionem recipit confugientes ad filium, & sinit ruere in horrendam iram aspernantes filium.

Remoueamus igitur à Paulo Stoicas disputationes quæ fidem et inuocationem euertunt, quomodo enim

DE PRAEDESTINATIONE. 411

enim potest Saul credere, aut inuocare? cum dubitat promissionē ad se pertinere, aut cum obrepit illa tabula Parcarū. Iam decretū est te reiiciendū esse, non es scriptus in numero electorū, &c. Aduersus has imaginationes discamus uoluntatem Dei ex Euangelio, agnoscamus promissionē esse uniuersalem, ut fides & inuocatio accendi possit.

Ceterū de effectu electionis teneamus hanc consolationē. Deum uolentē non perire totū genus humanum, semper propter filiū per misericordiā uocare, trahere et colligere Ecclesiā, & recipere assentientes, atq; ita uelle semper aliquā esse suam Ecclesiam, quam adiuuat & saluat. sicut Christus inquit: Oues meae uocē meā audiunt, & ego noui eas, & sequuntur me, & uitam aeternā do eis, & nemo rapiet eas de manu mea. Hæc de effectu electionis prodest scire, ut statuamus nos exaudiri & inuari, & sciamus Ecclesiā à diabolo nō posse deleri. Magnū certamen significat hæc uox, Nemo rapiet eas de manu mea. Excitemus igitur fidem, & inuocemus filium Dei seruantē oues suas, quia simul dicit: Audiunt me, & sequuntur me.

De effectu electionis consolatione.

DE REGNO CHRISTI.

Euangelium clarè docet, regnum Christi esse spirituale: hoc est, Christum sedere ad dexteram patris, & interpellare pro nobis, & dare remissionem peccatorum & Spiritum sanctū Ecclesiæ, hoc est credentibus in ipsum, & in uocantibus

Christi regnū spirituale

**Euangelij mi-
nisterium.**

**Anabaptista-
rum error.**

cantibus Deum fiducia ipsius, eosq; sanctificare, ut resuscitet eos in nouissimo die ad uitam & gloriam eternam. Et ut hæc beneficia cõsequamur, ordinatum est ministerium Euangelij, per quod uocantur homines ad agnitionem Christi, Spiritus sanctus per Euangelium est efficax, &c. Interim uerò ante nouissimum diem, Ecclesia in mundo patietur persecutionem, & erunt mali bonis admixti in Ecclesia. Hæc est uera & germana sententia Euangelij, de regno Christi & Ecclesiæ. Estq; execrandus & damnandus error ille Iudaicus anabaptistarũ, qui fingunt Ecclesiam ante nouissimum diem, politiam quandam mundanam futuram esse, in qua regnent pij, & armis deleant omnes impios, & occupent omnia imperia, &c.

Colligemus itaq; testimonia, de spiritali regno, non solum ad refutandos fanaticos spiritus, sed etiã quia prodest has sententias habere in conspectu, ut nos consolentur, & exuscitent ad exercitia spiritalia, ad fidem, ad orationem, ad patientiam. Nam error ille Iudaicus præter cætera incommoda hoc quoq; habet, quod obscurat & prorsus obruit cõsolationes spirituales, & delet exercitia spiritalia: quia mentes humanæ expectantes tantum illa noua imperia, obliuiscuntur rerum spiritalium, & opprimuntur desperatione, cum non cõtingat illud speratum ocium quod somniarunt.

Ioan. 17. Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis,

his, ut omne quod dedisti ei, det eis uitā aeternā. Hæc est autem uita aeterna, ut agnoscant te solum Deum uerum, & quem misisti Iesum Christum. Hic Christus testatur, suum beneficiū, & regnum suum esse uitam aeternam, & definit quid sit uita aeterna, uidelicet non aliqua mundana dominatio, sed uera notitia Dei, & Domini nostri Iesu Christi.

Quod regnū
Christi spirituale,

Vita aeterna
quid.

Rom. 8. Qui est in dextera Dei, & interpellat pro nobis, &c. Et Esa. 11. Stabit radix Iesse, ipsum gentes deprecabuntur, et c. Hæ sententiæ describunt sacerdotium & regnum Christi, et testantur utrumque spirituale esse. Hoc est, Christiū non constituere aliquod mundi imperium, sed apud patrem pro nobis interpellare, ita regnare ut uelit inuocari, exaudire, sanctificare, custodire Spiritu sancto eos qui ipsum inuocant. Sicut & aliās scriptum est, Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei. Item, Dabo legem meam in corda eorū. Hæc beneficia obscurantur, cum expectamus regnum corporale, &c.

Sacerdotiū
Christi.

Rom. 8. Cohæredes Christi, siquidem simul partimur, simul etiam glorificabimur. Item, Spe salui facti sumus. Item, Quos præsciuit, hos uult conformes fieri imaginis filij sui. Item, Propter te mactamur tota die, reputati sumus uelut oves occisionis, &c. Hæ sententiæ testantur, quod glorificatio non contingat in hac uita, sed oporteat nos in hac uita afflictiones & persecutionē pati. Matth. 16. Si quis uult me sequi, abneget se ipsum, et tollat crucē suā,

Glorificatio-
nem non con-
tingere in hac
uita.

Ecclesia in
hac uita cru-
ci subiecta.

Et me sequatur. Ioan. 16. In hoc mūdo pressurā habebitis. Et 2. Tim. 3. Omnes qui pie uolūt uiuere in Christo, persecutionē patientur. Hæ sententiæ clarissime docēt, Ecclesiā in hac uita subiectā esse afflictionibus. Col. 3. Vita uestra abscondita est cum Christo in Deo: quādo Christus manifestabitur, qui est uita uestra, tunc et uos cum eo manifestabimini in gloria. 1. Ioan. 3. Nunc filij Dei sumus, sed nondum manifestum est quales erimus: scimus autē cum manifestabitur, similes nos ei futuros esse, quia uidebimus eum quemadmodū est, &c. Docet et hic locus, gloriam regni Christi non esse imperiū mundanum, sed spirituale: hoc est, ut resuscitati habeamus nouam et æternam iustitiam ac uitam, qualis est Christi resuscitati gloria.

Ecclesiam ue-
ram nō occu-
pare imperia.

Item, Paulus clare dicit, Antichristum dominaturum esse usq; ad nouissimum iudicium, in quo ueniens Christus destruet regnum Antichristi. Igitur uera ecclesia non occupabit imperia, sed multo magis uersabitur in maximis pecculis et afflictionibus. Et 2. Pet. 3. dicitur, Venturos esse postremis temporibus illusores, qui palam derideant religiones. Erunt ergo qui persequentur Ecclesiā. Et Daniel clare dicit, Bestias, hoc est imperia conijci in ignem, cum apparet Christus ad iudicandum. Durabunt igitur imperia aliqua impia usq; ad nouissimū diem. Ioan. 20. Cum Christus mittit Apostolos, tantum dat mandatum docendi, et inquit: Sicut me misit Pa-

fit Pater, sic ego mitto uos. Constat autem Christū missum esse ad ministeriū Euangelij, non ad occupanda imperia mundi. Sicut ipse inquit, Regnum meum non est de hoc mundo. Et prohibet Apostolis imperia rapere, cum ait: Reges gentiū dominantur, uos autem non sic. Item, Matth. 5. Ego autem præcipio uobis, ne resistatis malo. Hoc est, ne prætextu Euangelij & noui regni constituendi arma capiatis. Sunt igitur missi Apostoli ad ministeriū Euangelij, hoc est ad docendū, non ad rapienda imperia mundi. Ideo & Paulus inquit, Euangeliū est ministerium spiritus. id est, In Euangelio offeruntur bona spiritalia & æterna, non constituimus noua imperia mundi. Et 2. Cor. 10. inquit, Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Deo, ad demolendas cogitationes. Item 2. Corinth. 5. Pro Christo legatione fungimur, commendantes nos tanquā Dei ministros in afflictionibus. Item, Non dominamur fidei uestre.

Euangelium
ministerium
spiritus.

Cum igitur Apostoli tantum habeant mandatū docendi, impium est sentire, quod doctores Euangelij debeant armis constituere noua quædam imperia, sicut Iudæi & anabaptistæ somniāt, postremis temporibus regnum Dei in terris tale constituendum esse, in quo sancti dominantur, & armis deleant omnes impios, nec in Ecclesia hypocritas ullos futuros esse. Atq; hoc Iudaicum delirium sæpe in Ecclesiam irrepsit. Fuerunt enim & olim fana-

Chiliasæ.
Pepusiani tici spiritus Chiliasæ & Pepusiani, qui tale regnū anabaptisticum somniarunt.

In ecclesia
promiscue fu-
turos malos
& bonos usq;
ad mundi finē Reliquum est ut testimonia colligamus, quæ docent in Ecclesia usq; ad nouissimū diem promiscue futuros bonos & malos. Lucæ 17. Sicut factum est in diebus Lot, sic erit qua die filius hominis reuelabitur. Item: In illa nocte erūt duo in lecto uno, unus assumetur, & alter relinquetur. Matth. 13. de zizanijs, Sinite utraq; crescere usq; ad messem, &c. Et paulo post: Messis consummatio seculi est, mittet filius hominis angelos suos, et colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatē, etc. Item: Sic erit in cōsummatione seculi, exhibunt angeli & separabunt malos à iustis, & mittent eos in castrum ignis, &c. Hæ sententiæ testantur, non futuram esse separationem sanctorum ab hypocritis, nisi in nouissimo iudicio.

Præterea & hoc considerandum est: Pastores habent mandatū excōmunicandi uerbo, sine ui corporali, reos manifestorum scelerum. Non est humani iudicij corda inspicere, & de illis iudicare, qui nō habent manifesta delicta. Ideo Paulus dicit, Aduersus presbyterum non recipias accusationem nisi tibi adhibitis. Ergo qui non possunt conuinci testimonijs, nō debent humano iudicio separari. Impossibile est igitur, talem Ecclesiam constituere ante nouissimam diem, in qua nulli sint hypocritæ. Sed pastores faciant suum officiū, pure & fideliter doceant;

ceant, & Ecclesie glorificatione comendent Christo. Interim in hac uita semper erunt Ecclesie admixti mali, & multi impij tenebunt imperia mundi, & crudeliter persequentur Ecclesiam usq; ad gloriosum Christi aduentum. Et tamen in his persecutionibus, Christus suo consilio aliquas reliquias seruat, ne penitus deleatur ecclesia. Tale est regnum Christi in hac uita.

Ecclesie glorificatio commendanda Christo.

Constat & illud, Etiam si noua aliqua talis ecclesia futura esset, tamen doctores proprio consilio sine manifesto mandato Dei, non debent arma capere ad talem Ecclesiam constituendam, &c. Quamquam nec ullum nouum mandatum expectandum est. non enim edet Christus mandatum contrarium Euangelio.

Ecclesia non constituenda armis.

Quod uero Iudaei & anabaptistae citant prophetas, qui cum de regno Christi loquuntur, saepe figuris utuntur, sumptis ab imperijs mundi. Ad hoc primum respondeo. Euangelium est interpretatio Prophetarum. Cum igitur Euangelium clare doceat, regnum Christi esse spirituale, asserre bona spiritualia et aeterna, nec occupare dominationem in mundo, sed magis pati persecutionem, debemus & prophetas intelligere iuxta Euangelium. Itaque apostoli in Actis, sententias de regno promisso Dauidi, clare transferunt ad hoc regnum spirituale, subiectum persecutioni, &c. Et Christus reprehendit ipse apostolos, cum haberent Iudaicam persuasionem, ac pu-

Euangelium interpretatio prophetarum.

tarent se occupaturos esse mundi imperia.

Christi regnū
spirituale.

Secundo, Prophetæ ipsi quanquam uarijs utuntur figuris, tamen interim etiam disertè testantur, regnum Christi fore spirituale. Daniel clarè dicit, Christus occidetur. Et Esaias, Ponet animam suam pro peccato. Ergo non habebit dominationem corporalem in hac uita. Præterea affirmant regnum Christi esse æternum: nulla autem corporalis politia est æterna in hac uita: ideo figuræ corporalis politia, quas interdū accōmodant ad regnū Christi æternum, necesse est allegorice intelligi.

Ecclesia in
hac uita per-
secutionibus
obnoxia.

Atq; id regnum æternum in hac uita, in spiritu & fide inchoatur, & postea durat perpetuò post hanc uitam. Ideo Prophetæ interdum ita loquuntur, ut non discernant tempora huius uitæ & futuræ uitæ. Interdum uerò discernunt, & palàm uaticinantur, Ecclesiam in hac uita passuram esse persecutiones. Sicut docet Psal. 2. Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in unum, aduersus Dominū, & aduersus Christum eius. Et Psal. 115. Preciosa in conspectu Domini mors sanctorū eius. Et Psal. 71. Preciosus sanguis eorum coram ipso. Et uenuste describit Esaias Ecclesiam in hac uita, Cap. 30. Dabit uobis Dominus panem arctum, et aquam exiguam, & non auferet ultra à te doctorem tuum, & c. Hic testatur Ecclesiam conseruandam esse, sed tamen inter afflictiones. Daniel aperte uaticinatur de persecutione ante nouissimū diem:

diem: Et docti in populo docebunt plurimos, & riant in gladio. Et postea statim sequitur: In tempore illo saluabitur populus tuus omnis, qui scriptus est in libro: et multi de his qui dormiunt in terra puluere, euigilabunt, alij in uitam æternam, alij in opprobrium sempiternum. Hi loci & similes tenendi sunt, ut habeamus consolationem in cruce, & uere intelligere discamus regnum spirituale: hoc est, querere consolationes spirituales, & exercere fidem. Et satis perspicue refutant hi loci Iudaicam & fanaticam persuasionem, de corporali dominatione Sanctorum in hac uita.

DE RESURRECTIONE
mortuorum.

NON solum doctrina quæ adfirmat futuram esse hominum mortuorum omnium resurrectionem, futurum postea iudicium, æternam uitam, piorum gloriam æternam, & impiorum poenas æternas, in Euangelio seu prædicatione noui Testamenti clare & perspicue sine ullis inuocris tradita est, sed res etiam inchoata est, & initia illius nouæ uitæ in qua erit noua lux, sapientia & iustitia, sine peccato & sine morte, Apostolis & reliquo cœtui coniuncto cum Apostolis monstrata sunt, et palam ob oculos posita, cum Christus post mortem reuixit, & alij multi patres & Prophetæ resuscitati sunt. Id tam mirandum opus non frustra propositum est ecclesiæ. Voluit Christus hanc suam & aliorum resu-

Christi resur-
rectio, & alio
rum, cuiusmo-
di.

scitationem, & hos familiares congressus & colloquia dierum quadraginta, apud apostolos & reliquum coetum ipsis coniunctum, illustre & evidens testimonium esse de Resurrectione & uita aeterna. Quod si saepe cogitaremus, non solum assensus, seu fides in animis nostris de hoc Articulo confirmaretur: sed etiam facilius ferremus ærumnas huius uitæ breuissimæ & fugacissimæ, intuentes in illud iucundissimum sodalitiū Christi & resuscitatorum. Sublata est enim dubitatio, tot dierum, quadraginta uidelicet, conuersatione, & tot hominum congressibus, oculis, complexibus & colloquijs. Non enim cogitemus Christum & cæteros resuscitados, ut fugacia spectra, si quando Apostolos adierunt, subito euanuisse: sed crebri, ac diuturni congressus fuerunt, & familiares sermones de hoc tanto Dei opere, de instauratione humanæ naturæ, de tantæ gloria donata nobis per filium, de propagatione Euangelij inter gentes, denique exhibita sunt certa uitæ & lætitiæ testimonia. Nihil simile aut maius ullo unquam tempore mûdi accidit. Et cum rem tantam Deus non frustra spectandam exhibuerit, semper hanc scholam horum quadraginta dierum intueri nos animo oportebat. Hinc igitur & de multis alijs rebus, & de Resurrectione ac uita aeterna testimonium petamus. Teneamus etiam per spicua dicta in concionibus Christi, ut Matth. 25. Venite benedicti Patris mei, possidete paratum uobis re-

gnum. Et Ioannis 5. item 6. Hæc est autem uoluntas patris mei qui misit me, ut omnis qui uidet filium, & credit in eum, habeat uitam æternam. et ego resuscitabo eum in nouissimo die. Et Paulus 1. Corinth. 15. acriter propugnat, & splendide illustrat hunc Articulum. Cum autem dicta in scriptis Apostolicis nota sint, colligemus uetusta Prophetarum testimonia, ut perpetua Ecclesiæ, patrum, prophetarum, & apostolorum sententia de hoc Articulo, & cõsensus uniuersæ Ecclesiæ Dei conspiciatur.

Esaias 46. *Viuent mortui tui, interfecti mei resurgent: Expergiscimini & letamini, qui habitatis in puluere: Quia ros tuus erit uelut ros pratorum, & terra mortuos eijciet. Vade populus meus intra cubicula tua, claude ostia tua, abscondere modicum ad momentũ, donec trãseat indignatio mea. Ecce enim Dominus egredietur de loco suo, ut dissipet iniquitatem habitantium terram contra eos, & reuelabit terra sanguinem suum, & non operiet ultra interfectos suos.*

Hæc concio clarissimè loquitur de resuscitandis mortuis, de gaudijs sanctorum, de pœnis impiorum, & de presenti afflictione Ecclesiæ. quare diligenter consideranda est. Mortui tui, inquit, uiuent. Vocat sanctos, mortuos Dei, ut significet Ecclesiam hic affligi propter Deũ. Quasi diceret, Filij tui & interfecti propter te, et qui tibi cura sunt,

Vita æterna
sanctorum qua-
lis.

iterum uiuent. Qualis autē erit uita æterna? Letamini, inquit. Hoc est, p̄ij perpetua letitia, perfecta agnitione Dei, & perfecta iustitia sine peccato & morte semper uiuebunt & florebut, sicut prata re uirescunt rore. Deinde aspergit consolationem de afflictionibus. Sed aliquantisper oportet ecclesiam affigi, et mortem perpeti. Erunt inclusi uelut in cubiculo, scilicet quia seruabuntur in ecclesia & uerbo usq; ad iudiciū. Postea concionatur de p̄enis impiorū, & repetit sententiā de resurrectione: Non operiet terra ultra interfectos suos, &c.

Esaías 66. Sicut cœli noui & terra noua, dicit Dominus: sic stabit semen uestrum, & nomen uestrum coram me, & erit mensis ex mense, sabbatū ex sabbato, et ueniet omnis caro, ut adoret coram facie mea, dicit Dominus. Et egrediētur et uidebūt caduera uirorū, qui pr̄uaricati sunt in me. Vermis eorum nō morietur, et ignis eorū non extinguetur, & erunt usq; ad satietatē uisionis omni carni.

Describit & hic locus utrunq; , p̄enas æternas impiorum, & gaudia iustorū. Et qualis sit uita æterna docet, cum ait, Perpetuos menses & perpetuum sabbatū fore: hoc est, perpetuū festum diem, ut perpetuò adorēt Dominū omnes sancti. Erit ergo uita æterna, perpetua adoratio: id est Dei cognitio, & iustitia sine peccato & sine morte.

Esa. 65. Ecce ego creo cœlos nouos, et terram nouā, & non erūt in memoria priora, & nō ascendent

dent super cor, sed gaudebitis & exultabitis in sempiternū, cum his quæ creo. Quia ecce ego creo Ierusalem exultationē, & populum eius gaudium. Et exultabo in Ierusalem, & gaudebo in populo meo, & nō audietur in ea ultra uox fletus, & uox clamoris. Non erit ibi amplius infans, qui non adolescat: aut senex, qui nō perueniat ad maiorē etatē. Nam puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit.

Aliæ sententiæ alijs planiores sunt: sed tamē hæc quoq; testatur futuram renouationē totius creaturæ, & pios habituros esse perpetua gaudia. Nō audietur in ea ultra uox fletus, &c. Ergo erunt sine peccato & morte. Item, infantes & senes perpetuō uiuent. Sed pueri centum annorum, & peccatores centū annorū: hoc est, illi qui perseverauerūt in impietate, dabunt pœnas. Et quia hi loci docēt, Ecclesiam futurā esse in afflictionibus ante resurrectionem, & primum glorificandā post resurrectionem, & post renouationē uniuersæ creaturæ, clarē testantur Prophetæ, regnum Christi spirituale esse nec esse politiam mundi ante resurrectionem, qualē Iudei & anabaptistæ fingunt.

Esaías 15. Et deuorabitur in monte hoc facies inuolutorum, qua omnes populi inuoluti sunt, & operimentum, quo omnes gentes coopertæ sunt. Et mors deuorabitur omnino, & absterget Dominus Deus omnem lachrimam ab omni facie, & opprobrium

Creaturæ totius renouatio.

Ecclesia post resurrectionē demum glorificanda.

Mors abo-
lenda.

probrium populi sui auferet de uniuersa terra.

Docet & hic locus clarè, mortem abolendā esse, & populum Dei liberandum esse ab opprobrio & lachrimis: hoc est, à peccato, morte, & persecutio- nibus. Quod autem initio dicit, Facies inuolutorū: etiam intelligit mortem, quia mortui solebant in- uolui pannis cum sepeliebātur. Hæc inuolucra tol- lentur: id est, mors tolletur.

Esaïas 24. Et erit in die illa, uisitabit Dominus super militiam cœli, & super reges terræ. Et congregabuntur congregatione unius fascis in lacum, & claudentur ibi in carcere. Et post multos dies uisitabuntur, & erubescet luna, & confundetur sol, cum regnabit Dominus, &c. Esa. 35. Qui liberati fuerint, & redempti à Domino, ueniēt in Zion cum laude & letitia sempiterna. Esa. 9. Christus uocatur pater æternitatis, hoc est, autor perpetuæ uitæ. Daniel. 12. Et multi de his qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt, alij in uitā æternam, alij in opprobrium, ut uideant semper.

Osee 13. De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos. Ero mors tua, ô mors, morsus tuus ero inferne, etc. Ezech. 37. Ecce ego aperiam tumulos uestros, & educam uos de sepulchris uestris, populus meus, &c. Huc pertinet & hæc sententia Ezechielis 33. Viuo ego: nolo mortem peccato- ris, sed ut conuertatur, & uiuat.

Pertinent ex Prophetis huc omnes sententiæ, de
æterno

æterno regno Christi & sanctorum.

Sententiæ de
æterno Chri-
sti & sanctorum
regno.

Ex Psal. 15. Caro mea requiescet in spe. Non derelinques animã meã in inferno, nec dabis sanctũ tuum uidere corruptionẽ. Cum enim Propheta de Christo loquitur, etiã membra Christi cõplectitur. Scit enim per Christũ destrui regnũ peccati et mortis. Psal. 21. Edent pauperes & saturabuntur, & laudabunt Dominũ qui requirunt eum. Viuent corda eorum in seculũ seculi. Psal. 33. Mors peccatorum pessima. Ergo etiam cum peccatores in hac uita non puniuntur, necesse est eos postea puniri.

Et contra Psalmo 115. Preciosa in cõspectu Domini, mors sanctorum eius. Ergo sanctis bene erit post hanc uitam. Eõdem pertinet locus, Multæ tribulationes iustorum, sed ex his omnibus liberabit eos Dominus. Psal. 48. Conseruntur impij fortunati, & pij afflicti. Hic docet, in morte mutari utrorũq; conditionẽ. De impijs dicit: Velut oues in fouea ponuntur, & mors depascet eos, usq; in æternũ nõ uidebunt lumẽ. Ecõtra de pijs dicit: Veruntamẽ Deus redimet animã de manu inferni, cũ acceperit me. Eõdẽ pertinet collatio in Psal. 4. Ipsi abundant frumẽto et uino. In pace in idipsum dormiã et requiescã.

Huc etiam pertinent omnes sententiæ de æterno regno Christi. Iob. 19. Scio quod redẽptor meus uiuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea uidebo Deum quem uisurus sum ego ipse, &
oculi

oculi mei conspecturi sunt, & non alius. Hic est insignis locus, qui testatur uere nos eadem corpore recepturos esse, sed renouata: sicut Paulus docet, &c. Item docet, qualis sit uita æterna, scilicet notitia Dei, &c.

Ex Moyse argumētatur Christus: Ego sum Deus Abraham, &c. Ergo Abraham uiuit: quia Deus nō curat ea quæ nihil sunt.

Et ratiocinari similiter ex promissionibus et exemplis firmissimè possumus, in quibus hic articulus de æterna uita quasi inuolutus est. Vt Deus promisit se seruaturū esse Abraham, & alios sanctos: Ego sum protector tuus, &c. At sancti in hac uita sunt afflictissimi, & uidentur deserti: cum tamen uere cura sint Deo. Ergo restat alia uita, & ingēs gloria, qua glorificabuntur post hanc uitam, in quam intuentes cogitant omnes iniurias, ærumnas, calamitates contemnendas esse, & nullo modo conferendas ad illud ingens præmium.

Item in prima cōcione dicitur Gen. 4. Si benefeceris, recipies: si male egeris, peccatū tuum quiescet, donec reuelabitur. Ergo necesse est restare aliā uitā, in qua Abel recipiat præmiū. Sequitur et hoc restare aliquod iudiciū omnium peccatorū, atq; illorum etiā quæ in hac uita nō sunt punita. Et huius uniuersalis iudicij exemplū est diluuiū: item Sodomorū conflagratio, & similes historiae, quod Deus haud dubie puniturus sit omnium peccata.

Sancti Deo
curæ, etiā cū
affliguntur.

Iudicij uniuersalis
exemplum, Diluuium.

Item

Item prima promissio, Genesis 3. uaticinatur de abolendo regno diaboli: hoc est, de abolendo peccato & morte. Ergo natura hominis renouabitur. Et Iacob uaticinatur de saluatore omnium gentium, quem intelligebant Patres, auctore fore non alicuius corporalis regni, sed iustitiæ & uitæ æternæ. Videbant Ecclesiam in hac uita futuram in reliquijs peccati, & afflictionibus: sicut uiderant interfici Abel, & Abraham iussus est filium tanquam hostiam mactare. In hoc hoc typo satis intellexit illud semen, quod promissum erat, futuram esse hostiam.

Enoch & Elias uiui translati sunt ad Deum, ut Textus de Enoch clare dicit. Hæc facta certe sunt manifesta testimonia uitæ æternæ, nam si extinguerentur, non essent apud Deum. Versari enim apud Deum est uiuere quadam diuina uita apud Deum. Versari apud Deum quid. Hæc igitur exempla plus ualent, quam si promissio uerbis tantum sine exemplis proposita esset. Nec dubium est, quin sancti patres copiose explicarint, cum promissiones, tum hæc exempla.

Testantur & angelorum colloquia cum Abraham & cæteris patribus, aliam esse uitam. Et significant angeli, nos socios esse illius æternæ uitæ, in qua sunt ipsi, quia nos curant & defendunt, &c.

In Numeris 23. dicit Balaam. Moriatur anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea horum similia. Et 24. Videbo eum, sed non modo: intuebor eum, sed non propè.

DE SPIRITV ET LITERA.

Cogitantibus de discrimine ueteris & noui Testamenti, de Litera & de spiritu, omnia sunt illustriora, cum mente intuemur cōsummationem liberationis nostræ, ut supra diximus. Cū cogitamus resurrectionem Christi & aliorum resuscitatorū, qui tunc noua & perpetua gloria donati sunt, in his ipsis resuscitatis uidemus Euangeliiū lucem, sapientiam, iustitiam & uitam perpetuā ad ferre, non ostendere umbras morituras.

Litera quid. Litera igitur significat doctrinā quamcunq; cogitationes, assuefactiones, disciplinam, & bonas intentiones, sine Spiritu sancto: id est, sine uero timore, & sine uera fide seu fiducia, consolante mentes agnitione & inuocatione Christi.

Spiritus quid Econtra spiritus significat uere Spiritū sanctū inchoantem, & deinde perficientem in cordibus nouam lucem, sapientiam, iustitiam, & uitam perpetuam placentem Deo, et motibus Spiritus sancti ardentem, uidelicet timore, fide, inuocatione, dilectione, & in uita æterna fruentem conspectu Dei, et celebrantem Deum, deniq; ut Petrus inquit, significat societatem diuinæ naturæ, sicut scriptum est: Effundam de spiritu meo super omnem carnem. Illustris enim emphasis est in particula, cum ait, De spiritu meo. Meo inquam, qui à uolūtate æterni patris & filij procedit, & accendit lucem, sapientiā, iustitiam, et uitam congruentem uoluntati diuinæ.

Sic de spiritu loquitur Paulus, cum ait: Nos reuelata facie spectantes gloriam Domini, in eandem imaginem transformamur, tanquam à Domini spiritu: Id est, cum expauescimus agnita ira Dei, & rursus erigimur consolatione, & fide acquiescimus, agnoscetes misericordiam propter Christum donatam, uere cum Deo agimus, sentimus iram & misericordiam, & luce noua à Spiritu sancto perfundimur. Cum Saul hypocrita, & David reatus, similia externa opera faciunt, seu moralia, seu ceremoniarum, seu politica, regia & forensia, tamen in mente dissimilitudo est. In Saule hypocrita cogitatio de bono opere & ipsa actio, sunt litera mortuae & umbræ, id est, mens est sine uero sensu timoris Dei, sine consolatione erigente animum fiducia presentiae, & auxiliij diuini. Sed dubitat an à Deo respiciatur, exaudiatur, iuuetur. Hæ cogitationes sunt sine luce diuina, & pugnant cum luce fidei. ideo sunt umbræ mortuæ. At in Dauide seu belligerante, seu sacrificante, semper est sensus timoris Dei, & fidei consolantis animû, ac statuentis uere Deum adesse, gubernare & adiuuare hanc uocationem. Hi motus oriuntur à Spiritu sancto, et uere agnoscunt Deum: nec sunt fugaces & mortuæ umbræ, sed sunt inchoatio uitæ æternæ. Et hanc lucem accendi & augeri petit, cum inquit, Cor mundum crea in me Deus: id est, cor recte de Deo sentiens, agnoscens iram Dei, & promissam misericordiam

Psalterij
locus.

diam, statuens uere nos respici, exaudiri, iuari, protegi & seruari. Et spiritum rectū, id est firmū, innova in uisceribus meis: id est, Sit firma hæc lux de Deo, non extinguatur diaboli præstigijs, cogitationibus Epicureis aut Academicis, sicut multi sapientes merguntur in æternas dubitationes.

Ne projicias me à facie tua, & Spiritum sanctum ne auferas à me: Id est, Spiritu sancto tuo gubernata consilia & omnes motus meos, & accède in me motus congruētes legi tuæ, timorē, fidē, dilectionem Dei, tolerantiam, industriam in inuocatione, etc.

Redde mihi letitiam salutaris tui: id est, sustenta me tua consolatione in ærumnis, ne pauoribus aut doloribus fractus peream. Spiritu spontaneo confirma me, id est largiaris mihi robur in afflictionibus, ut sustinere eas possim, & tibi uolēs obtemperem, non deficiam à te fremens, ac dubitans de tua misericordia, sicut Saul. Sic petit ordine primum lucem, qua uere agnoscat Deum, & eius agnitionis firmitatem. Deinde renouationem, & gubernationem in actionibus, postea consolationem & sustentationem in ærumnis.

Cum igitur hæc lux in mente Dauidis accensa est, omnes eius bonæ actiones, interiores & exteriores, morales, politicæ, & ceremoniæ, sunt actiones Spiritus sancti, non sunt literæ aut umbræ.

Econtra in hypocrita Saule, qui est sine luce Spiritus sancti, oppressus dubitationibus hypocriticis

ticis seu Academicis, omnes actiones interiores & exteriores, bonæ intentiones, & opera seu moralia, seu politica, seu ceremoniæ, sunt literæ & umbra morientes, nec inchoantes uitam æternam.

Hæc est Pauli sententiâ, 2. Corinth. 3. cum legem Pauli locus uocat literam ac ministerium mortis, Euangelium uerò ministerium spiritus. Sentit enim, sine notitiâ Euangelij, legē tantū aut disciplinā philosophicā, aut terrores efficere. At disciplina, id est iustitia humanae rationis, ut Pomponij Attici, aut hypocritarum, sine uero timore Dei, & uera fide inuocante Deum agnitione Christi, nihil est nisi litera, hoc est umbra non adferens uitam. De terroribus, ut in Saule, manifestum est, mentes perterrefactas agnitione iræ Dei, cum non eriguntur uoce Euangelij, fugere Deum, & ruere in desperationem, & æternum exitium.

At Euangelium est ministerium spiritus. hac Euangelij ministerium spiritus. uoce nihil dulcius aut gratius cogitari potest. Manifeste adfirmat, per Euangelij prædicationem dari spiritum sanctum: sicut ad Galatas dicit, ut promissionem spiritus accipiamus per fidem. Cum mentes perterrefactæ audiunt uocem Euangelij, & credunt propter mediatorē uere remitti peccata, concipitur spiritus sanctus, & noua lux & uita in cordibus accenditur, sicut apud Zachariā scriptū est: Effundam super eos spiritum gratiæ & precum. Id est, mea consolatione erigam eos, & adiuuabo

Spiritu sancto, ut agnoscant se receptos esse in gratiam, & recepti inuocent Deum, & ei obtemperet. Sed Paulus disertè dicit, dari Spiritū sanctū per fidem, seu credentibus. Quare ijs qui non expauescūt sensu iræ Dei, nec credunt uoci Euangelij, sed manent in contemptu Dei, aut dubitatione, Euangelium tantum est litera & umbra sine effectu.

Origenis
error.

Explodantur ergo deliramenta Origenis, qui literam ait esse sensum Grammaticum, in descriptione ceremoniarū & historiarū, Spiritum uerò, allegoricam interpretationē ceremoniarū & historiarum. Hanc secutus hypothesin, postea nimis magnā licentia, & profectò non concedenda in Ecclesia, lusit fingendis interpretationibus, ferè ut pictores ludunt cum pingūt Chimæras, Scyllas, Centauros.

Vna est sententia natiua orationis propheticæ & apostolicæ in singulis membris, quam phrasis dextre intellecta iuxta præcepta harum communium artium, quæ loquendi rationem monstrant, gignit, postea ipsi ritus aut historie sunt interdum imagines aliarū rerum, aut exempla: ut agnus paschatos fuit signū uenturæ mactationis Christi. Daniel seruatus inter leones, exemplū est multorum doctorū, & uniuersæ Ecclesiæ, quæ simili Dei beneficio inter grassantes tyrānos tegitur. Hæ collationes sunt allegoricæ interpretationes, quas apte & concinne instituire, magnæ eruditionis, prudentiæ & consilij est. & tamen ut leges non figuratæ, aut narrationes

nes Euangelij non figuratæ, sine ardentibus motibus à Spiritu sancto accensis, sunt literæ et umbræ: sic hæc allegoricæ interpretationes sine motibus illis, sunt doctrinæ ac literæ.

Quod enim Paulus dixit Rom. 7. Legem esse spiritualem, manifeste de morali loquitur: nec uult eam transformari in allegorias. Sed uocat spiritualem, quod sit iudicium Dei spirituale, non tantum politica disciplina. id est, Leges Solonis & similes concionantur de externa disciplina: at lex Dei postulat ardentem motum spirituales, agnitionem, timorem, fiduciã, dilectionem Dei, denique obedientiam perfectam. Et econtrà iudicium Dei est, & horribile misterium iræ diuinæ, opprimētis omnes homines, non tantum propter externa delicta, sed etiam propter interiores tenebras & immundiciem. De hoc horrendo iudicio loquitur Paulus, non de Origenis allegorijs, aut fabellis. Dolendū est, grauissimã doctrinam & Ecclesiæ propriam de usu legis, de misterio Euāgelij, de fide, de donatione Spiritus sancti, de ueris fidei exercitijs in inuocatione, deq; motibus à Spiritu sancto accensis, obscuratam & obrutam esse illis somnijs Origenis, non rectè interpretantis literam & spiritum.

Semper omnibus temporibus omnis doctrina seu legis seu Euangelij, non renascentibus tantum est litera, & fugax umbra: hoc est, non ad strencis nouam & æternam lucem, & uitam. At Euā-

Lex quomodo spiritualis dicitur Paulo,

Origenis somnijs præcipua Euangelij doctrina obscurata.

gelij promissio omnibus temporibus fuit ministeriū spiritus credētibus, seu fide renascentibus. quia cū accipitur donata reconciliatio propter mediatorē, & accenditur fides, Spiritus sanctus nouā et aeternam lucem & uitā in nobis inchoat, ut Rom. 8. dicitur: sensus spiritus uita est, & pax. Valde autem prodest in hoc ipso articulo considerare ministeriū Euangelici uim, et dignitatē. Clare adfirmat hic locus. 2. Cor. 3. per Euangeliiū dari Spiritū sanctum. Non igitur alias reuelationes aut enthusiasmos, siue Euangelio queramus, sed acquiescamus in ipsa Euangelij promissione, quod cum facimus, certum est Spiritum sanctum efficacem esse.

*Discipline
usus.* Ceterum de disciplina suo loco dictum est, omnes homines non renatos, aut imbecilles, coercendos, & ad uirtutem assuefaciendos esse disciplina, iuxta legem Dei quæ ad nos pertinet. Et causas a libi quatuor cōmemorauī: quarum prima est, quia necesse sit Deo præcipienti disciplinam, obedire. Secunda est, ut uitemus poenas: quia Deus uiolationem discipline horribiliter punit, ut omnes mundi calamitates ostendunt. Tertia est, quia reliquis hominibus opus est tranquillitate. non enim tantū nobis uiuere nos putemus. Quarta est grauiſſima, quod uidelicet lex est pædagogus in Christum. Est autem pædologi officiū, non solum coercere, sed etiam docere. Commendat igitur nobis hæc descriptio legem, uult eam proponi, ut doceat nos de ira Dei,

Dei, de bonis operibus, assuefaciat nos ad bonos mores, ad studium cognoscendæ doctrinæ de Deo, coherceat etiam teneros animos metu pœnarum. Sed illa magna laus est, quod hac disciplina ait uocari nos ad Christum, non quod mereatur disciplina remissionem peccatorũ, sed quod Christus nõ sit efficax in contemptoribus disciplinæ, qui perseuerant in uiolatione disciplinæ contra conscientiam. Hæc suprà copiosius exposita sunt.

DE CALAMITATIBVS ET
cruce, & de ueris consolationibus.

ET si omnium sapientum cogitationes & eloquentiam in Ecclesia & apud Ethnicos consumptam esse apparet in deploratione humanarum miseriarum, tamen omnes confessi sunt, magnitudinem huius tristissimi oneris, quod uniuersa humana natura sustinet, comprehendi non posse.

Quantum est horribilium exemplorũ in tragedijs & historijs, quæ quidem ideo recitantur, ut admoniti de nostra fragilitate, simus modestiores, nec accersamus nobis pericula & pœnas stultis cupiditatibus. Nec minus tamen exemplorum indoctis quotidiana uita monstrat. Ac de causa, cur hæc hominum natura, quæ antecellit cæteris animantibus, tantis miserijs subiecta sit, sapientes semper disputarunt, unde mors sit, unde tot morbi, unde corporũ exitia nõ accersita nostris cõsilijs, unde in im-

perijs tantæ confusiones, mutationes, ruinae, pestilentiae, fame necati populi, mersæ urbes dehiscente terra, diluuijs totæ gentes obrutæ, magnæ urbes sinitibus incēdijs prorsus deletæ, deniq; alia multa sunt tristia, quæ uel multis uel singulis accidunt sine ipsorum consilio.

Privatio
in materia.

Philosophi quæerunt causam in materia, quæ aiunt ruere æterno impetu ad alias formas, ac appetere uices. Hinc extruxit Aristoteles suum illud dogma, de priuatione in materia. Nec dubito motum esse primum, humanæ mortis & miseriarum cogitatione: deinde asiduis uicibus quas uidemus omnes generationum & corruptionum plantarum & animantium omnium. Has incomprehensibiles uices cogitauit ita ruere, ire & redire propter uagas in materia priuationes, seu appetitiones.

Causæ efficiētes.

Deinde accesserunt & alij Philosophi, qui addiderunt causas efficientes, scilicet stellarum concursus ac positus, qui materiam uarie temperant. Unde illæ sunt apud Manilium:

Omniaq; ad numen coeli, faciemq; moueri,
Sideribus uarijs mutantibus ordine fata.

Ita quæerunt Philosophi in densa caligine, mortis humanæ causas. Nec falsum est illud Menandri, quanquam *ἀδύνατα* mala infinita sint, tamen longe plura esse *ἰλιθία*: id est, quorum causa est aut error in iudicando, aut uoluntas recto iudicio contumax. Ut Pompeius errore accendit bellum ciuile,

Paris

Paris uolens rapit Helenā, atq; ita bellum attrahit in Asiam. Homicida uoluntario scelere accersit sibi pœnam. Dauid uolens rapit alterius coniugem, & sibi ac uniuersæ genti horribiles calamitates accersit. Huius generis exempla uelle numerare, perinde est, ac si uelis arenas omnium aquarum numerare.

Ac de uoluntarijs aliquo modo uident causam philosophi, sed de Automatis hominum malis non uident præcipuam causam. De hoc fonte concionatur doctrina Ecclesiæ ab initio uoce Dei, & propagata per patres, prophetas, Christum & Apostolos. Ideo obseruemus hic discrimen humanæ philosophiæ, & doctrinæ cœlestis. Nec fons tantum monstratur, sed etiam ueræ & firmæ consolationes & remedia proponuntur.

Principalis causa mortis & plurimarum calamitatum totius generis humani, piorum & impiorum, est prima contumacia primorum parentum, & illa ipsa labes propagata in posteros. Sic dicitur Roman. 5. Per peccatum mors intrauit in mundum, & in omnes homines peruasit mors, eo quod omnes sunt rei. Si natura humana non fuisset auersa à Deo, mansisset in ea uigor uiuificus à Deo, inditus naturæ humanæ, nec cõputruissent homines ut poma, ut flosculi, ut pecudes. Sed postquam amisit integritatē, materia languidior facta, pomorum & pecudum naturæ similis esse cœpit. Itaq; propter peccatum Deus iratus, sinit miseram naturā orbatam

Mortis & calamitatum causa principalis quæ.

suo dono, in mortem ruere, ut Psal. 89. Defecimus in ira tua, &c. Iam ad eandē causam morbi et omnia *ἀποβύματα* mala pertinent.

Deinde quia post hanc naturæ corruptionē magna est caligo in mentibus, & multi errores, magna imbecillitas, multæ cupiditates, & errantes impetus & contemptus iudicij diuini: Cain, Esau, etiam si ex generosis parentibus nati, & diligenter ad virtutē instituti sunt, tamen accenduntur prauis cupiditatibus, ambitione, inuidētia. Et quoti die accidit illud quod Græcè dicitur, *Ἄρα τῶν ἰουδαίων λέγουσιν ὅτι οὐκ ἔστιν ἄρα τῶν ἰουδαίων*. Absalō, Antonius, et innumerabiles alij similes somniāt se imperijs potituros esse. Erroribus igitur et prauis cupiditatibus quæ sequuntur naturæ deprauationē, ad eō cumulamus mala, ut etiā ethnicus Poeta exclamauerit, *λυγρῆς ἡ ἀνθρώπων ἐπιθυμία*, *λυγρῆς δὲ βλάψασις*

Accedit autem ad nostros errores, & ad cupiditates nostras incitator diabolus, spiritus inimicus Deo, & odio Dei seruiens in imbecillem naturā hominum. Cumulat igitur *ἀποβύματα* & *ἄβυσσος* mala. Auget furores Caligulæ, Neronis, & similiū, ut iritata ira Dei crescunt poenæ & miseræ.

Quis hos fontes malorum satis cogitare potest? uidemus in ipsis exemplis, & experimur in nostris miserijs, humanas arumnas tristiores esse, quàm ut earum magnitudinē cogitatione complecti, aut uerbis explicare homines possint.

Sed

Sed difficilius est cogitare causæ magnitudinē, quantum malum sit peccatum, quid sit ira Dei certa lege punientis scelera, quanta sit rabies diaboli augentis hominū miserias. Hæ causæ in genere cogitentur de malis grassantibus in tota natura hominum, in Ecclesia, & in impijs.

Sed hic multo difficilior quæstio oritur. Cum mors & ceteræ calamitates sint pœnæ humanorum peccatorum ac scelerum, cur multo magis Ecclesia Dei miserijs onerata est, quàm impia multitudo? cur Abel interficitur à fratre? cur Esaiam crudelissimè scindit serra tyrannus Manasse? cur Ieremiam interficit Apyres, cur Zachariā pontifices? cur Baptistam Herodes, cur Christum Pilatus? deniq; exempla nota sunt. Plerunq; ecclesia Dei est exiguus cætus ueræ doctrinæ professionem retinēs, & sustinens uarias & ingentes ærumnas, communes & peculiare. Iacob amittit coniugē in partu, amittit filium Ioseph, uagatur miser sine certa sede inter homines improbos & petulantes.

Et plerūq; imperia tenent prophani Principes, ignorantes & contemnentes doctrinam Propheti-
cam & Apostolicam, & antecellunt Ecclesiæ non solum opibus, gloria & uoluptatibus, sed etiam politicis uirtutibus, ut quot putemus fuisse Principes pios, uirtute Alexandro, Pyrrho, Scipioni, aut similibus conferendos?

Cum autem ecclesiæ miseriæ multos moueāt, ut
ualde

Cur pij fere
calamitatibus
magis obno-
xij q̄ impij.

ualde dubitent, an ulla pars humani generis cur sit Deo, an sit aliqua Dei Ecclesia, an hi soli sint populus Dei qui amplectuntur doctrinam Propheti-
cam & Apostolicam, an Deus hunc cœtū exaudiat in ærūnis: deniq; cū illa spectacula tristia Ecclesiæ impellant multos ut à Deo deficiant, ut amplectantur Epicureos furores: necesse est Ecclesiam aduersus hæc scandala præmuniri, & doceri cur Ecclesia tantis ærumnis subiecta sit, & quod tamen exaudiat, iuuetur, sustenteur, & tandem liberetur. Hæc est sapientia Ecclesiæ propria.

Causæ rerum
narum præci-
pue quæ.

Primum igitur causæ impulsivæ et finales recense, discendæ, sæpe cogitandæ sunt, hæc uidelicet.

1 Prima: Propter lapsum primorū parentū, et reliquias peccati hærentis in hac corrupta natura, ecclesia Dei subiecta est morti corporali, & cæteris ærumnis, ut reliquū totum genus humanū. Rom. 8. Corpus morti destinatum est propter peccatū, spiritus autem uita est propter iustitiam.

Secunda: Cum mundus hanc interiorē immun-
2 ditiæ humanæ naturæ, dubitationes de Deo, & neglectionem Dei nō ducat esse res à Deo damnatas, & contemnat iram Dei, magis premitur ecclesia, quia uult Deus iram suam aduersus peccata conspici, & uult in nobis pœnitentiā crescere. 1. Petri 4. Iudicium à domo Dei incipit. Et Ierem. 30. Castigabo te in iudicio, ne tibi uidearis innocens. Et Esaiæ ultimo: Ad quem respiciam, nisi ad contritum spiritum, &

tu, & tremement sermones meos?

Tertia causa: Quia diabolus ardet maiore odio 3
Christi & Ecclesie, insidiatur rabiosius Ecclesie,
& saepe magnas dissipationes facit, ut cum hereses
excitat. Sæpe euertit sanctos, ut Dauidem, & lon-
gam telam miseriarum textit, ut multos irreti-
tos adigat ad desperationem. De hac causa dicitur
in Genesi, Cap. 3. Serpens mordebit calcaneum eius.
Quanta uero miseria sint illi uenenati morsus, saepe
experiuntur pij: ut Dauid impulsus, uix iterum ex il-
lis tot peccatis & scandalis eluctatus est. Item Mat-
thæi 12. Redibo in domum meam unde egressus
sum. Item 1. Petri ultimo: Aduersarius uester dia-
bolus tanquam leo rugiens circumit, querens quem
deuoret.

Quarta: Sæpissime calamitates sunt pœnæ cer- 4
torum delictorum, quas Deus uere irascens peccatis,
irrogat hominibus, simul ut puniat scelera, et ut re-
trahat lapsos ad pœnitentiam. Et hæ pœnæ cum
propter ipsos lapsos irrogantur, tum uero etiã tan-
quam exempla proponuntur, ut ceteri commone-
facti Deum timere discant, et mores regant diligen-
tius. Sic Dauid propter adulterium & proditum
Vriam multis magnis ærumnis excruciatum & pu-
nitum. Filius interficit fratrem, postea mouet seditio-
nem, expellit regno patrem, polluit incestis stupris
coniuges patris. Denique nulla uox humana eloqui
potest magnitudinem calamitatum, quas Dauid mul-
tos an-

Dauidis cala-
mitates.

Oſias. tos annos ſuſtinuit. Sic Oſias punitur lepra pro-
 pterea quod contra legem ſacrificaturus eſſet. Sic
Manaſſe. Manaſſe abducitur in exilium propter cultus dolo-
 rum, & propter interfectos prophetas. Et de uni-
 verſi populi exilio, & excidio urbis Ieroſolymæ
 inquit Ierem. cap. 22. Et dicet unusquiſq; proximo
 ſuo, Quare ſic fecit Dominus huic magnæ ciuita-
 ti? Et reſpondebunt: Eo quod dereliquerit pactum
 Domini Dei ſui, & adorauerint Deos alienos,
 &c. Et Amos 2. Deceperunt eos idola ſua, &
 mittam ignem in Iuda, & deuorabit ædes Ieruſalẽ,
 quia conterunt capita pauperum. Et filius & pa-
 ter eius ierunt ad puellam unam, ut uiolarent nomẽ
 ſanctum meum.

Certorũ deli-
 ctorum certæ
 ærumnæ.

Deniq; conciones & hiftoriæ prophetiæ ple-
 næ ſunt exemplorum & testimoniorum, quæ oſten-
 dunt hæc quartã cauſam latiſſimè patere. Plerunq;
 certa delicta puniuntur certis calamitatibus, com-
 munibus aut peculiaribus. quod ut ſit maniſeſtius,
 ſæpe cum delictis pœnarũ formæ congruunt, ut Sa-
 pientiæ 11. dicitur: Per quæ peccat quis, per ea
 cruciatur, ut Dauid per alienam coniugem, uiciſ-
 ſim ipſius cõiuges conſtupratæ ſunt. Item, filius fra-
 trem interficit, & aduerſus patrẽ arma capit, quia
 ſemen ſuum adulterio polluit.

Impiorum hiftoriæ habent innumerabilia exem-
 pla, in quibus pœnarum formæ congruunt cum ſce-
 leribus, ut Oedipus genuit ex matre, filij igitur mu-
 tua

tua cæde pereunt, Antigonæ filia interficitur. Ita res ostendit maledictam fuisse generationem. Ita historie ostendunt late uagari pœnas, & ex uno scelere innumerabilia peccata & multiplices calamitates oriri. Quare cum miramur, aut deploramus magnitudinem calamitatum humanarum, tot uitæ confusiones, tot ruinas regnorum, de hoc fonte cogitemus. Ut cumulantur peccata, sic cumulantur pœnæ, & si Deus eas mitigat, ut postea dicam.

Sed de Ecclesiæ pœnis proprie dicamus. Hanc quoque sciamus puniri, & testimonia nobis proponamus. Micheæ 7. Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei. Psalmo 88. Visitabo in uirga iniquitates eorum, misericordiam autem meam non auferam ab eis. Esaie 64. Ecce tu iratus es, & peccauimus, ac diu in peccatis fuimus, & tandem liberati sumus. Cecidimus quasi folium, & iniquitates nostræ quasi uenti dissipauerunt nos. Mira descriptio est, & tristissimū *wald*. Dissipantur ecclesiæ, gentes, familiæ. tanquam uentis, propter certa peccata: ut decem tribus Israel, in quibus tamen reliquiæ ecclesiæ manserant, abductæ in exiliū, late dissipatæ sunt.

De hoc genere pœnarum loquitur Christus Ioannis 5. Ne iterum pecces, ne quid tibi deterius accidat. Et Paulus 1. Corinth. 11. Cum iudicamur, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Apocalyps. 3. Ego quos diligo, arguo, & castigo.

Testimonia
de pœnis ecclesiæ.

Quinta

Afflictiones
doctrinæ testi-
monia.

5 Quinta causa: Vt afflictiones sint testimonia doctrinæ. Etsi etiam Esaias, Ieremias, Baptista nõ propter peculiaria facta puniuntur, tamen sustinent inærumnas propter alias causas: uidelicet, primum ut agnoscant iram Dei aduersus commune peccatum generis humani, deinde suscipiunt certamina propter confessionem doctrinæ. Vtrunque enim conspicitur in ærumnis Pauli, quod uidelicet non circumferat Euangelion utilitatis aut uoluptatum causa, quia propter doctrinam magnas miseras sustinet, cum alioqui inter suos honesto loco tranquille uiuere posset. Deinde quod reuera ac seriò sentiat ueram esse hanc doctrinam, eo confirmat, quia mortem mauult sustinere, quam abijcere professionem Euangelij. De hac causa dicitur Matthæi 16. Qui uult me sequi, tollat crucem suam, & sequatur me. Et 2. Timoth. 3. Omnes qui pie uolunt uiuere in Christo, persecutionem patientur.

Psal. centesimo uicesimo quinto: Qui seminant in lachrimis, in exultatione metent. Psal. 115. Preciosa in conspectu Domini, mors sanctorum eius.

6 Sexta: Vt afflictiones sint testimonium immortalitatis. Cum enim Deus promiserit suis bona, & hic horribiliter eos opprimi ab impijs finit, et tamè apertis testimonijs ostendit se approbare Baptistam, Paulum, & similes necesse est restare aliam uitam, in qua orientur bonis Baptista & Paulus, & p̄

Et puniantur propter hos necatos Herodes & Nero. Ideo inquit Petrus: Si autem primum à nobis incipit iudicium, quis erit finis eorum qui repugnant Euangelio?

Septima: Ut efficiamur similes imaginis filij Dei, ut Rom. 8. dicitur. Et ipse dicit, Non est discipulus maior magistro. Christus subiit poenam et erumnas propter nostra peccata, factus pro nobis uictima, placauit nobis iram Dei, ut recipiamur, quanquam indigni. Sed quia recipimur, ut simus hæredes eius gloriæ quam meruit Christus, oportet prius hoc corpus peccati destrui, ut Roman. 6. dicitur. Vetus noster homo simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati.

Octaua: Etiã in illis, in quibus nõ puniuntur pecculiaria facta atrocias, est tamẽ interior immundities, securitas, admiratio sui, dubitationes multæ. Hæc mala emedantur in cruce, & cauentur futurũ lapsus, ut 2. Cor. 1. dicitur: Responsum mortis in nobis habuimus, ne mea uirtute confiderẽ. Et ad hanc causam multa dicta & exempla pertinent.

Vult enim Deus in omnibus sanctis crescere poenitentiam & dona. 2. Cor. 4. Etsi noster homo exterior corrumpitur, tamẽ interior renouatur quotidie. Prouerb. 3. Quẽ diligit Dominus, corripit.

Ebræ. 12. Flagellat omnem filium quem recipit.

Psal. 118. Bonum mihi quòd humiliasti me, ut discam iustificationes tuas. Esaiæ 29. Vexatio

dat intellectum. Item: Quem docebit scientiam? Ablactatos à lacte, auulsos ab uberibus. Esa. 26. Domine, in tribulatione uisitant te: Angustia, in qua clamant, disciplina est eis.

Nona: Ut adpareat sanctos uniuersam obedientiam prestare non ambitione, aut tantum presentium utilitatum aliquarum causa, sed principaliter ut Deo seruiant, & ipsum celebrent, ut Psal. 43. Hec omnia uenerunt super nos, nec obliui sumus te, &c.

Decima: Ut adpareat ecclesiam non humanis consilijs & presidijs, sed ab ipso filio Dei capite ecclesie, ac duce, diuina potentia colligi, defendi, & seruari. Et ut in nostra infirmitate conspicatur presentia et potentia Christi propugnantis nos aduersus diabolorum & tyrannorum furores. 2. Cor. 4. Circumferimus thesaurum hunc in uasis testaceis, ut excellentia potentie sit Dei, & non ex nobis.

Psal. 19. Illi in curribus & in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri. Psal. 43. Deus auribus nostris audiuius, & patres nostri annunciauere nobis. Opus quod operatus es in diebus eorum, in diebus antiquis. Manus tua gentes disperdidit, & plantasti eos. Nec enim gladio suo acquirunt terram, & brachium eorum non saluauit eos, sed dextera tua & brachium tuum, & illuminatio uultus tui, &c. Ioan. 15. Sine me nihil potestis facere. 1. Corinth. 1. Qui gloriatur, in Domino gloriatur. Osee 13. Perditio tua est Israel, tantum-

tantummodo in me auxilium tuum. *Esaie 46.*
 Qui portamini in utero meo, qui gestamini in
 mea aluo, senescentem ecclesiam ego portabo. Ego
 feci, ego feram: ego portabo, & saluabo. *Esaie*
48. Propter me, propter me faciam, ut non blas-
 phemer, & gloriam meam alteri non dabo.

Recensui causas, propter quas ecclesia ingenti-
 bus ærumnis subiecta est. Nec esse hanc cõmemora-
 tionẽ confictam utcunque ad demulcendos animos
 Rhetorica consuetudine, sed causas veras & ma-
 gni momẽti esse, ita intelligemus, si & nostras æru-
 mnas, & publicas attente cõsiderabimus. Ridẽtur
 hæc ab Epicuræis, & omnibus alijs qui sunt ebrij
 uoluptatibus, aut gloria. Sed pij in ueris ærum-
 nis ac doloribus agnoscũt hanc doctrinã & uerã,
 & diligenter meditandã esse: & hinc excitandos
 esse animos ad timorẽ Dei, & ad quærendas ueras
 consolationes. Vt enim remedia salutaria non pos-
 sunt adhiberi morbis, nõ explorata causa: ita nos
 in ecclesia ueras miseriarũ nostrarũ causas intelli-
 gere & deplorare discamus, ut iram Dei aduersus
 commune peccatum, & nostra peculiaria delicta
 agnoscamus, & compescamus impetus aberrantes
 à lege, considerata magnitudine horribilium pœ-
 narum. Deinde etiam remedia quæramus.

Causas illas
 nosse atq; ex-
 pendere ad
 quid utile.

Philosophiæ
 circa miseria-
 rum et causas
 & remedia
 error.

Philosophia utraq; in re errat, nec causas princi-
 pales uidet humanarum miseriarum, nec efficacia
 remedia proponere potest. desigit oculos in ma-
 teriam,

teriã, nec de homine aliter quã de pomis, aut uil-
lis, aut rosis cogitat. Vnde sit in hominum natura
tãta labes, ignorat: deinde nõ falso accusat errores
et prauas cupiditates hominũ, sed radicẽ ignorat,
nec uituperat ignorationem & contemptũ Dei.

Deinde remedia proponit, quæ dolorẽ & indi-
gnationẽ fremẽtis animi augent. Tantũ dicũt, ma-
lum cũ tolli nõ possit, necessariò ferendũ esse: ut si
equos aut boues iuberent mortem patienter ferre.
Quid iuuat, inquit, ad necessariũ malũ insuper
addere inanes animorũ cruciatus, & nihil profe-
cturos? Bonus animus, inquit Plautus, in re mala di-
midium est mali. Nec mitigationẽ, auxiliũ, aut libe-
rationẽ proponunt: sed iubent fugere omnes eru-
mnarum occasiones, quantũ omnino fieri potest.

Epicurei cur-
a reip. admini-
stratione ab-
stinendam
putent.

Hinc Epicurei præcipiunt, uitandam esse guber-
nationẽ reipub. quia manifestũ est gubernationem
plenam esse sollicitudinũ & periculorũ, & saepe
tragicos exitus adferre: ut Palamedis, Thrasylu-
li, Demosthenis, Ciceronis, Pompeij, Cæsaris, &
aliorum innumerabilium exempla testantur.

Propter dolo-
res non dese-
renda uirtus.

Aliqui grauiores etiã uirtutes aduocant. in qua
oratione etiã si multa omittuntur, tamẽ hoc uerũ
est, quod dicũt propter dolores non faciendũ esse
contra ullam uirtutẽ. Cato propter moestitiam nõ
debet sibi consciscere mortẽ, facit enim contra iu-
stitiam. Coriolanus propter iracundiã, non debet
obsequi cupiditati uindictæ, & patriæ bellũ infer-
re:

re: obliuiscitur enim pietatis, quā debebat patrie. Demosthenes pulsus ciuitate, non debet adeò muliebriter lamentari: facit enim contra modestiam, quæ in omni gestu moderationem efficit.

His consolationibus recitatis, deplorant generis humani miserias, & colligunt multorū calamitosorū exempla: quòd leuius uidetur esse onus, quia cum multis ferimus cōmunem miseriam generis humani. Tandem cum uident quædam Tragica mala nulla consolatione leniri posse, delabuntur ad illud, Optimum non nasci. Ita in philosophica consolatione tota, nusquam mentio est Dei, nulla liberatio, nulli exitus, nullus opitulator ostenditur. Optimum nō nasci.

Etsi aut, ut recte ualentes medicorum sermones non magni faciunt: ita ebrij uoluptatibus, nec philosophicas nec Euangelicas consolationes considerant: tamē agrotus animus auide inquirat, & medicinam, undecūq; offertur, accipit. maxime uerò acquiescit, si intelligat à Deo certis testimonijs cōsolationē propositam esse: deinde quærit sapientū cogitationes, quæ in leuioribus ærumnis etiā nonnihil leniunt dolores. Et collatio ipsa doctrinarū bonæ menti suauis est, & addit lucē diuinis consolationibus, easq; dulciores efficit, & animos exultat, ut Deo gratias agant, quod uere adfici se nostrarum miseriarū cura tam illustribus testimonijs ostendit. Exhibuit enim nobis filiū suum, ut esset testis et pignus suæ misericordiæ erga nos: & mul-

tis concionibus amplissimis promisit auxilium & liberationem calamitosis, petentibus opem: & exempla addidit liberationum insignium, & experimur ipsi exempla quotidiana. Vtile est igitur habere in conspectu & ob oculos posita capita præcipua consolationum, quæ in doctrina cœlesti traduntur: & necesse est certas sententias annotatas tenere, quæ doceant mentes de uoluntate Dei. Ideo enim traditæ sunt, ut cogitentur, & accédant nos ad agnitionem Dei, & proponant auxilium.

Recensebimus autem quinque locos consolationum, traditos à Deo, quos meminisse necesse est.

Primus locus est: Omnes homines, ac præcipue ecclesiam, oportet statuere, non casu nos adfligi, sed sciente Deo. Et quanquam afflictiones uel à materia, uel à diabolo, uel ab hominum seuitia oriuntur, tamē sciamus eas permitti aliquo Dei consilio, & metas esse præscriptas, ultra quas seuire diaboli aut hominum malitia non poterit. Etsi autem hic primus locus nondū est integra cōsolatio, tamē initio Epicureas opiniones ex animis euelli & extirpari oportet: imò nihil dubium est, hanc ipsam ob causam præcipue ecclesiã exerceri tam duriter, & rursus liberari, ut crescat in nobis lumen uere statuens, non casu nasci & occidere homines, sed hunc uere esse Deum, qui se patefecit misso filio, & tradidit nobis uerbum suum: & uere irasci eum peccatis, & sanare resipiscentes.

Nec

Nec exiguum est certamen, liberare animos ab Epicureis furoribus: ideo primum hæc dicta nobis ipsi inculcemus. Matth. 10. Nonne duo passeret asse ueneunt, & unus ex eis non cadet super terram sine patre uestro? Omnes autem capilli capitis uestri numerati sunt. Ne igitur timeatis, multis passeribus meliores estis. Actorum 17. In ipso uiuimus, mouemur & sumus. Psal. 32. Qui finxit sigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum. Psalm. 93. Qui finxit oculum, non uideret?

Ab Epicureis furoribus quomodo liberandus animus.

In Threnis Ieremiæ manifesta refutatio est sermonum Epicureorum, cap. 3. Quis est iste qui dixit, fieri hæc non iubente Domino? Ex ore altissimi nec bona, nec mala egredientur. Quid murmurat homo contra Deum? Psal. 99. Scitote quod Dominus ipse est Deus: Ipse fecit nos, & non ipsi nos. Nos autem populus eius, & oues pascuæ eius.

Esa. 45. Ego Dominus, et non est alius, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, et creans malum: uidelicet poenas. Ego Dominus loquens iusta, & annuncians uera. Sophon. 1. Et erit in tempore illo, scrutabor Ierusalem lucernis, & uisitato uiros defixos in fecibus suis, qui dicunt in cordibus suis: Non faciet bene Dominus, et non faciet male, & erit domus eorum deserta. 1. Reg. 2. Dominus mortificat & uiuificat.

Huc adscribat sibi quisque plura testimonia, ut

Aerūnas non
casu accidere,

firmissime statuat, non accidere casu aerūnas, sed cerni à Deo, & re uera iustū iudicē irasce peccatis, et punire fontes, et pios calamitosos suo quodā cōsilio exercere. Hunc primū locū confirmant & testimonia quæ in sequentibus locis, & suprā in causis citantur, quia semper complectuntur mentionem Dei, tum punientis, tum castigantis, tum liberantis. ut, Castigans castigauit me Dominus.

Innumerabiles homines qui in secundis rebus, aut mediocribus difficultatibus non habuerunt opiniones Epicureas, sed utcunque tenuerunt hanc persuasionem, res humanas Deo curæ esse, ijdem cum incidunt in magnas aerūnas, prorsus hanc persuasionem amittunt, & cogitant casu & sine ullo Dei consilio misceri omnia, oriri & occidere alia placidius, alia durius. denique his telis præcipue diaboli, spiritus mendaces, sauciant animos in aerūnis, ut Deum contumelia adficiant, excitatis furoribus Epicureis. Ideo diligenter animi aduersus hæc tela diabolica præmuniendi sunt.

II. Secundus locus. Nihil diligitur, aut placide fertur, sine ulla boni ratione. Quare cum Saul tantū cogitat se puniri à Deo, fugit Deū tristissimo frenitu. Tenenda est igitur boni ratio in aerūnis. Causa finalis sciēda est, cur Deus puniat. Suprā impulsiuas et finales recensui. Sed quæcūq; sunt impulsivæ, quæ possūt esse uariæ, et nobis ignotæ, nos semper hanc finalē teneamus certissima fide, quod De

us puniat, aut exerceat, non ut perdat nos, sed ut nos retrahat ad pœnitentiam, aut exuscitet ut crescant in nobis timor, inuocatio, & cæteræ uirtutes. Cũ hæc bona uoluntas Dei conspicitur, iam accedere animus ad Deũ, & se subijcere ipsi ut cūq; incipit, & tolerat pœnã, seu ærumnas placidius.

Cur Deus puniat, uel exerceat nos ærumnis.

Hæc est propria Euangelij doctrina, inde usque ab initio per patres, prophetas, Christum, & apostolos tradita, humanum genus tot ingentibus ærumnis subiectum esse, non ut ruat in æternum exitium, sed ut agnoscat iram Dei aduersus peccata, & hac admonitione retrahatur ad pœnitentiam, & redeat ad Deum opitulatorem. Id intelligebant Adam & Heua, cum uiderent mortem Abel, sese admoneri de suo peccato sentiebant: sed tamen norant Deum uelle, ne spem uitæ æternæ abijcerent: meminerant traditam promissionem de semine, quod abolita morte redditurum erat ipsis hunc Abel interfectum. Sed tamen in tanto dolore difficile illis fuit eluctari ex dubitatione. Sæpe igitur repetita est hæc doctrina in Prophetis.

Ezech. 33. *Viuo ego, nolo mortẽ peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Iurat Deus se punire, nõ ut perdat, sed ut retrahat nos ad pœnitentiã.* 1. Cor. 11. *Cũ iudicamur, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur.* Psal. 118. *Bonũ mihi quod humiliasti me, ut discerem iustificationes tuas.* Apocal. 3. *Ego quos diligo, arguo, & castigo.*

stigo. *Esaia* 28. Vexatio dat intellectum. Item: Quem docebit scientiam? Ablactatos à lacte, auulsos ab uberibus. *Esa.* 26. Domine in tribulatione uisitant te, angustia in qua clamant, disciplina est eis. *Ad Ebræos* 12. Flagellat omnem filium, quem recipit. *Prouerb.* 3. Quem diligit Dominus, corripit. *Matth.* 11. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, et ego reficiam uos. Hic mandat Christus omnibus qui se oppressos esse miserijs sentiunt, ut quærant hunc opitulatore à Deo missum. Et *Esa.* 61. inquit se missum esse, ut consoletur omnes lugentes, & det oleum gaudij pro luctu, &c.

Denique & sequentis loci testimonia idem docent, quæ continent promissiones in quibus Deus pollicetur liberationem aut auxilium ad afflictis, & testatur se adesse calamitosi ipsam inuocantibus. *Esaia* 56. Habitans cum contrito & humili spiritu, ut uiuificet spiritum humilium, et corda contritorum. Et *Psalmo* 33. Prope est Dominus his qui tribulato sunt corde. Non igitur punit ut perdat: sed iram declarat, ut nos hortetur ad poenitentiam, sicut scriptum est: Concluserunt omnes sub peccatum, ut omnium misereatur. Tristis carcer est concludi sub peccatum: significat enim subijci iræ Dei, morti, & ærumnis. ut *Dauid* tunc concluditur sub peccatum, cum pellitur in exilium, & exiit gloria uirtutis, perinde ac si à Deo abiectus esset.

Tristis carcer, concludi sub peccatū.

Mauricius

Mauricius Imperator tunc concluditur sub peccatum, cum in eius conspectu filia, filius, coniunx interficiuntur. Sed in his tantis miserijs tamen retinenda fuit altera sententiæ pars, ut omnium miseretur. Sciendum est in summis ærumnis, tamen Deum non deserendum esse, sed statuendum, quod uelit nos recipere & liberare ab æterna ira. Sed quàm difficile sit in magna calamitate hanc consolationem amplecti, experientia ostendit.

Tertius locus consolationis est: Promissio auxiliij, mitigationis poenarum, presentia Dei, & liberationis. Hic locus procul à philosophia recedit. nam humana ratio non iudicat, pulso Dauidi Deum adesse. Cum Cato uidet Pompeium interfectum esse, Iulium uincere, incipit irasci Deo, & se uirum iustum, ut iudicat, & in causa honestissima deserui iniuste dicit. Sed doctrina Euangelij testatur, homines non eo abiectos esse à Deo, quia sint in calamitate: sed potius tunc Deum promittere auxilium, & mitigationem malorum, & liberationem. Nec putemus has consolationes, inania uerba esse. Res ueræ sunt, ac fides experitur euentus, ut exempla declarant. Primum ergo aliquas promissiones colligamus ad nos confirmandos.

Afflictis adesse Deum.

Testimonia promissionum.

Nahum 1. Bonus est Dominus, & confortans in tribulatione, & agnoscens sperantes in se.

Ioel. 2. Conuertimini ad Dominum Deum uestrum, quia bonus est & misericors, & mitigans poenam.

pœnam. Id enim uult cū ait, Deum pœnitentia ad-
fici cū punit. Psal. 33. Prope est Dominus his qui
tribulato sunt corde. Psal. 146. Qui sanat contri-
tos corde, & alligat cōtritiones eorū. Psal. 49.
Inuoca me in die tribulationis, & eripiā te, & glo-
rificabis me. Esa. 57. Habitans cum contrito &
humili spiritu, ut uiuificet corda contritorum.

Esa. 66. Ad quem respiciam, nisi ad miserum &
contritum spiritu, & tremementem sermones meos?

Matth. 5. Beati pauperes spiritu, quia horum est
regnum cœlorum. Beati qui lugent, &c.

Liberat Deus suam ecclesiam tandē ex omnibus
miserijs. Sed interim in hac uita necesse est obedi-
re nos in aliquibus ærumnis: quia uult, ut dictū est,
Ecclesiam subiectam esse cruci. & tamen quotidie
multos liberat, etiam ex corporalib. miserijs: et cū
non prorsus liberat, tamē mitigat. Hanc mitigatio-
nem sæpe describunt & petunt prophetae, & nos
petere discamus. Nam hæc infirma hominum na-
tura non posset sustinere iræ diuinæ magnitudi-
nem, si exardesceret ut nostra peccata merentur.
Ideo clamat Dauid Psalmo 6. Domine ne in furo-
re tuo arguas me. Item Psalm. 129. Si iniquitates
obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? id
est, Si ira exarserit tanta, quantam peccata nostra
merentur, omnes subito peribimus. Psalm. 77.
Et non accendit omnem iram suam. Ierem. 10.
Corripe me, sed in iudicio, non in furore, ne in ni-
hilum

**Ærumnarum
mitigatio
promissa.**

hilum redigar. Osee 11. Quomodo dabo te Ephraim? quomodo obruam te Israël? num sicut Adama & Seboim delebo? Conuersum est in me cor meum, exarsit commiseratio mea. Non faciam furorem iræ meæ. non perdam penitus Ephraim: quia Deus ego sum, & non homo, in medio tui sanctus. id est, Parcam per misericordiam, cū Deus sim, & non sinam deleri meum uerbum quod tibi tradidi. Abacuc 3. Cum irasceris, misericordiæ recordaris. Esaiæ 64. Et nunc Domine, pater noster es tu: nos uero lutum. & fictor noster es tu, & opera manuum tuarum omnes nos. Ne irasceris Domine ualde, nec perpetuò memineris iniquitates nostras. Ecce respice, populus tuus omnes nos.

Hæc dicta de mitigatione diligentissime consideranda sunt, ut etiam cum non penitus tolluntur miseriæ, tamen sciamus nos interim iuuari, sustentari & corroborari, ut perferre onus possimus, & ipsas calamitates leniri. Agar pulsa domo Abrahamæ cum filio, in magnis ærumnis, cū penè siti periissent ipsa & filius, exauditur à Deo, & iuuatur monstrato fonte. Sic singuli petamus & expectemus mitigationem aliquam, ne nostra infirmitas prorsus succumbat. Ideo & Rom. 3. dicitur. Spiritus adiuuat infirmitatem nostram.

Quartus locus: Ecclesia & singuli pijs in calamitate considerantes tres locos, quos recensui, debent

Fides & inuocatio adhibenda.

debent addere fidem & inuocationem. Ideo enim tradidit Deus has dulcissimas & amplissimas promissiones, ut nos ea fide amplectamur, ut conspecta eius bonitate sustentemur, deniq; ut ipse inuocetur ac celebretur. Confugiamus ad Deum, admoniti his dictis: petamus & expectemus auxilium diuinum, & acquiescamus in his promissionibus, ut acquiescebant pij in Aegypto, aut deserto, aut exilio Babylonico, scientes Deum adesse, opitulari, et tandem futuros exitus letos.

Præsidis uisibilis, quatenus uti liceat.

Querunt omnes homines donec possunt, uisibilia præsidia, in rebus aduersis. Alius confidit pecunia, alius potentium amicorum saure. Hæc cum fallunt, multi franguntur animis, & nullam consolationem admittunt. Hos dolor iste ostendit solis uisibilibus rebus confisos esse, non Deo. Licet uti rebus à Deo ordinatis, ut Dauid utebatur suo exercitu: sed fiduciam rerum sine Dei fiducia, rejicit uox diuina, Maledictus qui confidit in brachio carnis, &c. Hæc iniusta fiducia cito deprehenditur, cum amittimus uisibilia præsidia, cum deserimur ab amicis. Hinc querelæ sunt tyrannorum, potius ridiculæ quàm miserabiles, *φίλων ἐπ' αὐτοῖς ὡς τράχας ἀπόλλυται*. Cur enim illis confidens, immoderatas res aut iniustas mouisti? Rectius Dauid inquit: Pater & mater dereliquerunt me, Dominus autem suscepit me. Rectius mulier Cananea, quæ abiecta omni spe remediorum humanorum, petit opem à Christo: nec

nec deterreri se patitur, etiam cum initio durius respondet Christus. In usu uitæ, in periculis, in miserijs discendum est, quam fiduciam Deus postulet, quam rejiciat. Nec intelligi hæc præcepta sine aliquo usu possunt. Imò ideo ecclesia onerata est cruce, ut in his exercitijs fides crescat, quæ in ocio & uoluptatibus extinguitur. ut scriptum est: Sedit populus manducans & bibens, & surrexit ad ludendum. Item Deuteron. 32. Incrassatus est, & recalcitrauit. Iam ut nos ipsos de hac inuocatione admoneamus, teneantur hæc dicta.

Ecclesia cum
onerata
cruce.

Psal. 49. Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me. Psal. 9. Et sperent in te, qui nouerunt nomen tuum, quia non derelinquis querentes te Domine. Psal. 54. Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet. Psal. 33. Iste pauper clamauit ad Dominum, et Dominus exaudiuit. Psal. 144. Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in ueritate. Matth. 7. Petite & accipietis. Lucæ 18. Oportet semper orare, & non languescere.

Testimonia
de inuoca-
tione.

Philippen. 4. Ne sitis solliciti, sed in omni oratione & precatatione, cum gratiarum actione, petitiones uestræ notæ fiant apud Deum. Ac fides ita exerceatur, semper ut primum petat remissionem culpæ, postea mitigationem pœnæ, ut infra dicam de precatatione.

Quintus locus: Cū superiores sententias de uoluntate

V.
luntate

luntate Dei in nostris ærumnis considerabis, uide-
 licet quod non accidant casu: quod Deus puniat,
 non ut perdat, sed ut retrahat nos ad pœnitentiã:
 quod uelit opitulari, quod à se peti & expectari
 auxilium uelit, ac iam bonam uoluntatem Dei in
 nostris calamitatib. agnosces. scias postremò man-
 datum Dei esse, ut in calamitatibus sic sentientes ei
 obediamus, nec irascamur ipsi punienti nos, sed
 agnoscamus pœnam iustam esse, nosq; Dei uolun-
 tati subijciamus: ac aliquo modo uelimus, hoc est
 placide feramus hanc pœnam, ut iustitiæ diuinæ
 obtemperemus. Vult enim Deus in omnibus pœnis
 conspici ordinem suæ iustitiæ, & iram aduersus
 peccatum. Cum igitur hæc obedientia & doloris
 moderatio, etiam præceptis diuinis mandata sit,
 repugnandum est dolori & indignationi. Id do-
 cent hæc dicta.

Voluntati Dei
 acquiescendū

Dolori & in-
 dignationi re-
 pugnandum.

Micheæ ultimo: Iram Domini portabo, quia
 peccaui ei. Et consolatio additur. nō enim satis est
 præceptum nosse, aut tolerare malum, sed ut ante
 dixi, fides & inuocatio accedant. ideo & hic Mi-
 cheas addit: Cum sedero in tenebris, Dominus lux
 mea est. 1. Petri ult. Deus superbis resistit, humi-
 libus autem dat gratiam. Humiliamini igitur sub
 potenti manu Dei. Præcipit ut Deo prementi nos
 obediamus: & nominat potentem manū, quod de
 utraq; re intelligatur. Manus Dei potens est, & ad
 evertendos superbos, & ad erigendos adflictos.

Nulla

Nulla est tanta potentia, tam florens gloria & opibus, quam non facile possit Deus euertere: ut historie omnium temporum ostendunt. Sed memento exempla sanctorum, Davidis ac Nabugodonosor. Hi ex summo fastigio deiecti, didicerunt se prius tutos fuisse non sua uirtute, non amicorum fide, non humanis presidij, sed Deo seruante, protegente et gubernante eos. Nimis longus catalogus esset, si recensere mus heroum casus, qui horribiliter euersi sunt: Hercules, Achillis, Aiakis, Iasonis, Philippi Macedonis, Pompeij, Cæsaris, Antonij, & aliorum innumrabiliū. Horum tragici exitus declarant hanc uocem: Abominatio est coram Deo, quicquid sublime est in mundo. id est, quicquid gloriosum est sine agnitione & timore Dei, id eueritur. Ideo tanta ruinae sunt summorum uirorum, qui non solum potentia, sed etiam uirtute antecelluerunt.

Heroum interitus miserabilis.

Rursus potentiam suam Deus etiam in erigendis pijs sepe ostendit: ut Ioseph ex carcere liberatur, David pulsus restituitur in regnum: Manasses cum diu captiuus fuisset, tandem post poenitentiam incolumis dimittitur. In his exemplis scriptis adfirmatur Deum esse autorem harum liberationū, ut sciamus idem de non scriptis exemplis. Cum nobis res aduersae mitigantur, aut tolluntur, sit hoc Deo nos iuante, & gubernante consilia & exitus, ut Psalmo 27. dicitur: Dominus adiutor meus, & protector meus, in ipso sperauit cor meum. & adiutus sum.

Dei potentia in erigendis pijs declarata

Precepta que
iubent uolun-
tari Dei ac-
quiescere.

Sed redeo ad precepta, quæ iubent. 1. Corinth.
10. Ne murmuretis, sicut quidam eorum murmur-
auerunt, et interfecti sunt ab interfectore. ut in Nume-
ris, Cap. 21. narratur de ignitis serpentibus. Psal.
37. Subditus esto Deo, & spera in eum. Breuis con-
cilio est de rebus maximis, et duas partes complectens,
preceptum de obedientia, & doctrinam de consola-
tione, à Deo petenda & expectanda. Psal. 45. Va-
cate et uidete quod ego sim Deus. Mirum preceptum
est, & ignotum philosophiæ: sed conuenit cum di-
cto Esaiæ, In silentio & spe erit fortitudo uestra.
quod est igitur illud silentium, quidnam illud uacare?
Primum, obedienter tolerare impositas ærumnas:
deinde, non accersere negocia sine uocatione: ter-
tio, non ut solet humana diffidentia, discurrere ad
quærenda uaria præsidia, & in his aliqua iniusta,
aut sine iusto ordine, sicut reges Iuda nunc inclina-
bant ad Aegyptios, nunc ad Syriacos reges, nunc ad
alios, & impliciti stultis fœderibus, postea cogeban-
tur sequi alienos furores. Huic impatiētiae et discur-
sationi quærentium auxilia sine iusto ordine, oppo-
nuntur hæ uoces, Vacate, id est quiescite, expectate
Dei auxilium, non discurrite in Aegyptum, in Sy-
riam, ad Turcos, ad Aphros. In bona causa sitis
tranquillis animis, & à Deo defensionem expecta-
te. Et si quid secus eueniet, tamen melius est sustine-
re ærumnas, quam inhonestis consilijs bonam causam
deformare.

Expo.

Exposui quinque locos traditos de doctrina Euã
gelij, de tolerandis miserijs, ignotos philosophiæ.
Cum autem hac fide confirmati animi tolerant affli-
ctiones, tunc uere patientia seu tolerantia est sacri-
ficiu, id est cultus Dei, seu opus à Deo mandatū,
& eo factum, ut ipsi honos reddatur. Sicut Psalmo
quinquagesimo dicitur, Sacrificiu Deo spiritus
contribulatus. & Roman. 12. Offerite corpora ue-
stra, hostias uiuas, &c. Nec uero ipsa laceratio cor-
poris, ut Ethnici putabant, est sacrificiu: sed uolū-
tatis obedientia, seu tolerantia in dolore, cum quidē
uoluntas Deū intuetur, & petit et expectat à Deo
auxiliū. Nec sunt sacrificia, accersitæ calamitates,
ut sacerdotes Baal fodiebant sua corpora, seu ut De-
cij se deuouebant pro Repub. Hi furores ethnici dā-
nandi & execrandi sunt: sed illarum calamitatū to-
lerantia sacrificiu est, quæ aut uocationē comitan-
tur, ut Christi, prophetarum, apostolorū & omniū
piorum ærumnæ professionem ueritatis comitan-
tes, aut quæ sunt pœnæ, sequentes communem imbe-
cillitatem, aut nostra delicta, ut morbi, supplicia le-
gitima, ut cū fures aut homicidæ supplicijs adficiū-
tur. Harum miseriarum tolerantiam dicimus fieri
sacrificiu, ac de his dicitur 1. Petri 1. Paulisper
ubi opus est, contristati.

Sic igitur fur cum ducitur ad suppliciū, feret suā
calamitatem. primum statuet se non casu herere in
hac pœna, sed sciente & permittente Deo certo cō-

Patientia quæ
do sacrificiū;

Furis suppli-
cium iam iā
subituri con-
solatio.

filio. quo nam, aut cur? Quid ego magis plector
quàm tot alij Harpali, in aulis multo plus furati?
Te uult agnoscere iram suam aduersus peccatum, te
uocat ad pœnitentiam. Nunc cogita quanta fuerit
infirmetas tua. impulsus cæca cupiditate, alienum ra-
puiſti: ceſiſti diabolo, qui delectatur pernicie homi-
num. Nunc igitur hæres in pœna. Nec rursus cedes
diabolo, qui te prorsus à Deo auellere conatur. Inci-
pe agnoscere filium Dei Iesum Christum, & scito
propter hunc te recipi. Is te consolabitur iam nunc
quoq; ut latronē in cruce. Obedies igitur Deo, qui
in his publicis pœnis ostendit exempla iræ suæ ad-
uersus peccata, & commonefacit homines, ut cogi-
tent quanta sit diaboli malitia, qui imbecilles homi-
nes in tales miseras impellit. Dices ut Daniel: No-
bis confusio, sed Deo tribuatur misericordia, qui in
talibus spectaculis nō prorsus abijcit miseros, sed cō-
fugientes ad filium certō & uere recipit. Erigas igi-
tur animum fide & agnitione Christi, petas consola-
tionem, & expectes uitam æternā, ut latro in cruce.

Patientiæ phi-
losophicæ &
euangelicæ di-
scrimen.

In tali exemplo conspici potest discrimen patiē-
tiæ, de qua loquuntur philosophi: & patientiæ, de
qua Euangelium concionatur. Philosophi nihil
dicunt de præcipuis causis, nihil de Deo, nihil de
auxilio diuino, aut liberatione. Sit igitur hæc defi-
nitio huius uirtutis, ut philosophi definiunt. Patiē-
tia est obedire rationi in miserijs, ita ut doctorem mo-
deremur eatenus, ne faciamus contra iusticiam, aut
alias

alias uirtutes. ut Cato facit cōtra iusticiam, sibi mortem consciscens: Coriolanus facit contra pietatē debitam patriæ, bellum ciuibus & cognatis inferens. Demosthenes facit contra modestiam, cum muliebriter lamentatur pulsus in exilium.

Et quanquam interdum uult aliquo modo pœnā iustam reus aliquis, ut Adrastus qui casu interfecerat Cræsi filium: tamen iniustam pœnam, præsertim atrocem, uelle humana ratio non potest. Palamedes, Socrates, & similes ferunt supplicia, non quod uelint pœnam, sed perinde tolerant ac si dilaniarentur à leonibus.

At Paulus uult aliquo modo supplicium, quia scit testimonium esse confessionis. Dauid uult aliquo modo pœnam, quia scit Deo debere nos hanc obedientiam, scit à Deo proponi exemplum iræ toti generi humano in hac sua pœna. Præterea & mitigationem expectat.

Addatur ergo definitio in Euangelio tradita. Patientia Christiana est, obedire Deo in suscipiendis ærumnis, ita ne uel à Deo deficiamus, uel ei irascamur uel contra alia præcepta Dei faciamus: sed moderemur animi dolorem, & auxilium ac mitigationem à Deo expectemus. Collatio definitionū ostēdit discrimen quod in exēplis tamen clarius cōspicitur. Dauid intelligit se Dei cōsilio puniri, et Deo obtēperat, et petit mitigationē. Socrates miratur iniusticiā & nihil de Dei cōsilio cogitat, casu se opprimi arbi-

Patientia Christiana cuiusmodi.

tratur, ut si casu præterisset ruente aliqua turri, et eum opprimente. nec petit auxilium aut mitigationem à Deo.

Miseriarum
humiliarum
præcipua
causa.

Seiungamus ergo nos ab ethnicis in nostris ærūnis, et discamus præcipue hanc ipsam ob causam totū genus humanū tantis miserijs onerari, ut ad agnitionē Dei et ad inuocationē ueram excitemur. Cū uidemus mortē, morbos, iniurias, bella, pestilentias, diluuiā, excidia urbiū, et alias innumerabiles calamitates priuatas et cōmunes, uult nos admiratione tantarum miseriarū attonitos de causis et de opitulatore quærere. Laudatur Platonis sententia in Epitaphio, quā Cicero expressit his uerbis: Nam cui uiro ex se ipso apta sunt omnia quæ ad beate uiuendū ferunt, nec suspensa aliorū aut bono casu, aut contrario, pendere ex alterius euentis et errare coguntur, huic optime uiuendi ratio cōparata est. Verba Platonis hæc sunt, ὅτι τὰς ἀνὰ πρὸς εἰς ἑαυτὸν ἀνάγκηται πάντα τὰ πρὸς τὴν δαιμονίαν φέρουσα, ἢ ἐγγὺς τῆς, ἢ μὴ ἐγγύς ἀνθρώποις ἀνθρώποις ἀναγκάται, ἢ ἔσθ' ἢ ἑλευθερία πρὸς τὸν πλάτωνα ἢ ἀνάγκηται, ἢ τὰ ἑλευθερία, τὴν ἀνάγκηται πρὸς τὸν πλάτωνα. Quod monet Plato, ne pendeant uniuersæ spes nobis à fortunæ bonis, aut hominū coniunctionibus, recte docet, sed quod deducit nos ad nostras uirtutes, nondū satis est. Nam ad Deum deduci nos oportet. Multa enim accidunt homini, ubi humana uirtus sine Dei auxilio succumbit. Hic uult Deus se agnosci, et inuocari, et pollicetur auxiliū. et expe
rie.

uemur hanc consolationē nō esse inanem Rhetoricam, si in uero dolore inuocabimus. sicut scriptū est. Propē est Dominus his qui tribulato sunt corde.

Dixi de causis ærumnarum, & de consolationibus: & uirtutem, quæ patientia seu tolerantia uocatur, quam Græci nominant *ειρημανία*, ut cunq; descripsi. quæ etsi eo necessaria est, quia diuinitus hæc obedientia postulatur, tamen & utilitates magnæ exuscitent nos, ut eam maiore cura amplectamur.

Vbi animi hac uirtute non confirmati sunt, uarie ruunt, irascuntur Deo, quærent auxilia inconcessa, ut Saul consulit magicam mulierem, reges faciunt iniusta fœdera, multi cupiditate uindictæ mouent Ecclesiam & imperia: ut Arium dolore repulsæ motū aiunt ad turbendam Ecclesiam. Et uidit nostra ætas exempla talia non pauca. Magnum incendium est uindictæ cupiditas in multis, ut in Alcibiade, Coriolano, & alijs magnis uiris: sed discamus priuato dolori anteferre publicam utilitatem, nec per impatientiam non necessarios tumultus excitemus. Quantum decus fuit Scipionis moderatio: qui cum facile posset Tribunorum iniustas criminationes armis opprimere, tamē Vrbe cedere maluit, quàm sine necessitate mouere Rempublicam.

Scipionis moderatio.

Ac præcipue nos in Ecclesia pericula publica pspiciamus. Motæ discordiæ cupiditate uindictæ, sepe horrendas dogmatū confusions, & bella ciuilia excitat. Hæc mala diligēter cauēda sunt, et grauius

ac prudenter iudicandum est, quibus de rebus pugnandum sit, & ubi non sit pugnandum. Non dimicandum est de priuatis adfectibus, non prætexendæ publicæ causæ priuatis odijs & liuori, sed ueræ & necessariæ doctrinæ puritas grauius & sedatis animis defendenda est.

DE INVOCATIONE DEI,
seu de precatone.

CVM de cæteris uirtutibus, de temperantia, de mansuetudine, & alijs tam accurate scripta multa legantur, mirum est de hac uirtute omnium summa, de inuocatione Dei, non solum pauca tradita esse, sed etiam corruptelas admixtas esse de inuocatione mortuorum, item, negligi doctrinam de fide, quæ maxime in inuocatione lucere debet. Negligi item discrimen promissionis gratiæ, & promissionis bonorum corporalium. Vtilissimum est autem, recte, diligenter & copiose erudiri Ecclesiam de inuocatione, quæ proprium solius Ecclesiæ opus est. Cæteræ uirtutes multæ, ut temperantia, mansuetudo, reperiuntur etiam in his qui Deum ignorant, ut in Pomponio Attico, ac similibus. Sed inuocatio tantum est Ecclesiæ, & qui dem præcipuus est Ecclesiæ murus, ut Salomon inquit: Turris fortissima nomen Domini: id est, inuocatio uera Dei.

Discernantur autem gradus. Aut petimus aliquid à Deo: id proprie uocatur petitio, seu oratio, aut agimus gratis pro accepto beneficio, hoc est, testamur

Inuocatio
propriū soli-
us Ecclesiæ
opus.

stamur uere à Deo nos adiutos esse, & ei gratias agimus, & celebratione huius beneficij nos & alios ad timorem Dei, ad fidem, ac ad inuocationem inuitamus. Has species sæpe nominat Paulus, & nota sunt uerba ad Philippenses 4. Non sitis solliciti, sed in omni precatione & petitione, cum gratiarum actione postulationes uestræ innotescant apud Deū. Ne igitur precatio nostra sit inanis *κατηγορία*, & ethnicum murmur, seiungamus nostram inuocationem ab ethnica, Mahometica, Iudaica: & discamus, quomodo recte inuocandus sit Deus.

Ac primum, sæpe inter inuocandum cogitemus, quid intersit inter ueram inuocationem quam facit Ecclesia Dei, & Ethnicam, Mahometicam, & Iudaicam. Hic sciamus præcipue duo esse discrimina. alterum de Dei essentia, alterum de uoluntate patefacta in promissione, & filio mediatore. Quod ad prius attinet, aberrant Ethnici, Mahometistæ & Iudæi, & quicumq; idola aut mortuos inuocant, à uero Deo, qui se patefecit dato uerbo suo, & misso filio suo. Inuocāt Turci Deū, ut dicunt, conditorē cœli & terræ, sed nolunt hūc esse uerū Deū conditorem cœli & terræ qui dedit nobis hoc uerbum traditum per prophetas & apostolos, nec assentiuntur Christum esse filium Dei. Aberrant ergo à Deo, sicut Christus clare inquit: Qui non honorat filium, non honorat patrē. Nec uult Deus aliter agnosci, quam ut sese suo uerbo & per filium patefecit. Ideo toties

Inuocationis
Ecclesiæ &
ethnicæ dis-
crimen.

Turcarum in-
uocatio cuius
modi.

iam diximus, nullam Ecclesiam electorum cogitan-
dam esse, nisi in cœtu uocato, ubi uere sonat Euange-
lium. Et hic tantū sit uera inuocatio, quia necesse est
dirigi inuocationem ad hunc Deum, qui se patefecit
dato hoc uerbo, & misso filio suo Iesu Christo.

Alterum discrimen non minus necessarium est.
Etiam si naturalis ratio fatetur esse Deum, mentem
eternam, immensæ potentiæ, sapientiæ, iustitiæ, bo-
nitatis, conditricem rerum, fatetur puniri fontes: ta-
men omnes ignari Euangelij nesciunt an Deus uelit
recipere nostras preces, & cur recipiat. ignorant
mediatorem Christum, & promissiones. Non est au-
tem inuocatio, quæ dubitat an Deus recipiat nostras
preces, & ignorat cur recipiat. inane murmur est,
ut apud Virgilium illa regis barbari oratio,

Ante genitor cum fulmina torques,

Ne quicquàm horremus, cæciq; in nubibus ignes

Terrificant animos, & inania murmura miscēt?

Sic narrant in Creta Iouis statuam fuisse, quæ
nec aures nec oculos haberet: qua aliquis ^{et} & si-
gnificauit, nullam esse prouidentiam, non recipi pre-
ces hominum. Aduersus hoc malum docendæ sunt
mentes, oportere adferri ad precandum hanc fidem,
uere recipi à Deo preces nostras, & recipi propter
filium mediatorem iuxta promissiones.

Quare talis aliqua forma inter precandum cogi-
tetur, quæ utrunq; discrimen complectitur. admonet
nos de personis diuinitatis, & de promissione. Om-
nipotens,

Iouis statua
qualis in Cre-
ta.

Orationis
moderatio.

Dicat aliquis, quid requirendum est amplius? An nō agnouit Plato Deum, ut est, aeternum, sapientem, bonum, conditorem omnium bonarum rerum? Nondum satis dixit. nam deduci nostras mentes oportet ad Deum ut se patefecit, & tenenda est doctrina de filio mediatore.

Doctrinae de
inuocatione
loci.

Postquā hęc discrimina indicata sunt, iam distribuatam doctrinam de inuocatione, in quinque locos.

- I Primum cogitetur, quem Deum inuoces, ad quem Deum mens tua directa sit. Non enim uagentur animi nostri, uelut Ethnicorum: sed ut Christus inquit Ioan. 14. Nemo uenit ad patrem nisi per me. Hunc solum uerum esse Deum cogites, qui se inde usque ab initio patefecit Ecclesiae suae, tradito suo uerbo, & misso hoc filio Domino nostro Iesu Christo mediatore. Formam igitur supra posui, complectentem tres personas, & testimonium reuelationis.

Ac mox de uerbo cogitandum est. dubitat enim mens ignara uerbi Dei, an Deus uelit inuocari, an curet nostros gemitus, an & cur uelit exaudire. Nulum uidetur leuius officium esse, quam inuocatio. Semper enim & ethnici, & mali in Ecclesia aliquis precationes recitarunt. de his cum cogitamus, disputant animi, qui magis curat Deus nos quam illos, saepe lapsi sumus, meruimus poenas, sumus indigni beneficijs Dei. Aduersus hęc argumenta, quibus inuocatio in multis languescit, in multis prorsus extinguitur solet, muniamus nos sequentibus locis.

Est igitur Secundus, præceptum de precando. II.
 Non solum peccata sunt, cædes, furtum, adulteri-
 um: sed etiam peccatum ingens est non reddere Deo Præcepta op-
 ponēda incre-
 dularitati no-
 stræ, cuiusmodi
 di.
 hunc cultum, non petere, non expectare à Deo au-
 xilium in periculis, nō agere gratias pro beneficijs.
 Opponamus igitur præcepta incredularitati & indi-
 gnitati nostræ. Cum dubitas an Deus uelit inuocari,
 an curet nostros gemitus, lachrymas, uota, preces:
 propone tibi præcepta. Cum enim iubeat se inuoca-
 ri, non est inutile murmur oratio. Si te deterret indi-
 gnitas tua, cogita quæ esset amentia in cæteris præ-
 ceptis disputare, nos ideo nolle abstinere à furtis, aut
 cæde, quia non simus digni qui Deo obtempere-
 mus. Si quis paterfamilias imperet seruo legitimum
 opus, non recipiet serui excusationem, si is dicat, se
 non esse dignum qui obtemperet.

Præcepta igitur sint in conspectu, & inter pre-
 candum sæpe in mentem ueniant. Matth. 7. Peti-
 te, & dabitur uobis. & est addita uniuersalis: Om-
 nis qui petit, accipit. Lucæ 18. Oportet semper
 orare, & non desatigari. Matth. 26. Vigilate & o-
 rate, ne intretis in tentationem. 1. Timoth. 2. Ad-
 hortor ut faciatis deprecationes. 1. Thessal. 5. Sem-
 per gaudete, incessanter orate, in omnibus gratias
 agite. Hæc est enim uoluntas Dei in Christo Iesu er-
 ga nos. Psal. 49. Inuoca me in die tribulationis,
 & eripiam te.

Dixi de præcepto. Pertinent autem hæc sententiæ

ad secundum præceptum Decalogi. Estq; inuocatio opus secundi præcepti, & præcipuus cultus.

III. Tertius locus est: Consideratis præceptis, mox
 Promissionū ordo. querat pia mēs promissiones, ut sciat an et cur exaudiatur Deus nos, indignos et meritos tristia supplicia.

Ac ordo promissionum cogitetur. Initio nobis proponamus promissionē de remissione peccatorū. Vera est enim sententia, Peccatores Deus non exaudit: hoc est, non agentes poenitentiam, & non querentes remissionem peccatorum. Quare in omni inuocatione, etiam cum alia quæcunq; petituri sumus, initio cogitetur de remissione peccatorum promissa propter Christum. Et sint nobis in conspectu aliquæ clarissimæ sententiæ, ut Acto. 10. dicitur: Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes credentes in eum. Et Rom. 5. Iustificati fide pacem habemus erga Deum.

Et prodest multa testimonia meminisse, ut supra de iustificatione, & de poenitētia multa collegimus, ut sit infixum animis, hanc uere esse perpetuam Eius angelij uocem, inde usq; ab ædita promissione ad Adam, certo propter Christum donari remissionem, & in omni inuocatione ad Deum accedendum esse fiducia Christi mediatoris, ut Eph. 3. dicitur: Per quem audemus accedere cum fiducia per fidem in ipsum, &c. Et ad Ebræos 4. Habentes Pontificem Iesum, accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ.

Postquam

Postquam autem de reconciliatione commonesfacti sumus, deinde promissiones de bonis spiritualibus & corporalibus colligamus.

Ioan. 16. Amen amen dico uobis, quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. In nomine meo: Id est, me nominato. Id est, si petetis me nominato mediatore, ac pontifice interpellante pro nobis. Iubet enim ut accedamus ad Deum fiducia mediatoris, sicut toties iam dictum est: Nemo uenit ad patrem, nisi per filium.

Promissiones de bonis spiritualibus & corporalibus.

Lucæ 11. Quanto magis pater uester cœlestis, dabit spiritum sanctum petentibus? Psal. 49. Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te. Ioan. 15. Si manseritis in me, & uerba mea manserint in uobis, quicquid uolueritis petetis, & fiet uobis. Hæc uerba alligant promissionem ad Ecclesiam, in qua recte sonat uox Euangelij. Certa sit igitur Ecclesia Christi, id est, cœtus sonans Euangelium Dei, quod reuera exaudiatur tantisper dum retinet Euangelium. Eodem modo de Ecclesia dicitur Matth. 18. Si duo e uobis consenserint in terra, de omni re quam petent, fiet eis à patre meo cœlesti. Vbi enim sunt duo aut tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Hic quoq; proponitur Ecclesie dulcis promissio. Deut. 4. Nec est alia natio que habeat Deos adpropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. Adfirmat uere exaudiri ecclesiam, in qua sonat uerbum Dei.

Psal.

Psal. 144. Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in ueritate. Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet. *Esaie 65.* Antequam clamabunt, ego exaudiam, adhuc loquentibus illis ego audiam. *Sirach 35.* Oratio humiliantis se, nubes penetrabit: & non discedet, donec altissimus aspiciet.

O inenarrabilem bonitatem & misericordiam Dei erga Ecclesiam sonantem Euangelij uocem. precipit ut petamus bona, & addit amplissimas promissiones, ut inuitet nos ad inuocationem. Sed magna est imbecillitas, magnus stupor humani animi fugientis Deum. Excitati igitur tot preceptis & promissionibus, corrigamus dubitationem nostram, & accedere ad Deum ducente Christo incipiamus: nec putemus promissiones diuinas, inanes sonitus esse, ut fingunt Epicurei. Non frustra Deus sese tot illustribus testimonijs patefecit, non frustra uoluntatem suam declarauit, uult uoce sua nostram caliginem, nostras dubitationes emendari. Præclare igitur *Talerus* inquit, animum hominis nequam tam audidum esse ad accipiendum, quin Deus multo audidior sit ad dandum. est enim uerax, & seruans suarum promissionum.

Taleri egregium dictum.

III. Quartus locus est: Quod fidem in inuocatione accendi necesse est. Ideo enim tradite sunt promissiones, ut fides accedatur. Et ut antea de ordine promissionum dixi, ita primum hic sciendum est, in omni
ni

ui inuocatione, quæcunq; res petitur, oportet prælu-
cere fidem quæ accipit remissionem peccatorum, et
statuit nos placere Deo, & uere recipi preces no-
stras propter filium Dei mediatorẽ. Ideo et testimo-
nia de fide, quæ citat Paulus, etiam cum alia obiecta
externa simul complectantur, tamen hanc fidem
unã comprehendunt, quod, qui non intelligunt,
parum fideliter à Paulo citari sententias ex Gene-
si & Prophetis contendunt: memini enim me ta-
les cauillationes audire. Sed non poterat Dauid pe-
tere uictoriã, nisi prius statueret sibi peccata remit-
ti, se à Deo receptum esse, & preces suas accipi à
Deo. Hæc supra etiã attigi, cū de iustificatiõne dixi.

Deinde discernendæ res sunt quæ petuntur. Aut
petuntur spiritualia bona, quæ promisit Deus nomi-
natim se daturũ esse: & uult sine conditione peti, ut
remissionem peccatorum, liberationem ab impieta-
te & morte æterna, donationem spiritus sancti &
uitæ æternæ. Hæc præcipua est Euangelij promif-
sio, quam etiam omnibus corporalibus commodis a-
missis, uult nobis Deus certissimam esse, ut Rom. 4.
dicitur. Ideo ex fide gratis, ut firma sit promissio.

In his petendis fides nullam adfert conditionem,
quia mandatum Dei est immutabile, quod præcipit
audiri Christum, & præcipit ut credamus Euange-
lio, ac certo statuam agentes pœnitentiam, recipi se
à Deo propter Christum. Id qui non credunt, accu-
sant Deum mendacij. Ideo hic nõ assuenda est condi-

Hunc audite,
præceptum
immutabile.

tio aliqua, sed credendum iuramento diuino: *Viue ego, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat.* Saul praelijs aliquot uictus, tamen à Deo defecere nequaquam debebat, sed potius ad eum confugere & reconciliationem petere. Dauid exutus regno et uniuersa sua gloria, tamen non deficit à Deo, sed sciuit reconciliationem promissam esse, & hanc promissionem fide retinendam esse, etiamsi tota rerum natura aduersaretur. Etsi enim Ecclesia subiecta est presentibus miserijs corporum, tamē propter eas non sentiendum est nos in aeternū exitium abiectos esse, ut supra recitauimus sententias. 1. Corinth. 11. Cum iudicamur, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo dannemur. Et Christus ait, Beati qui lugent, etc.

Dixi de petitione spiritualium bonorum, nunc de beneficijs corporalib. dicam. Hic quoq; , ut antè dictum est, praeluceat fides accipiens remissionē peccatorum, & statuens nos placere, & recipi preces nostras propter Christū. Hanc fidem uniuersaliter in omni petitione adferre ad Deum debemus. De rebus uero ipsis hæc tria credenda sunt. Primū, quod Deus uere sit dator horum beneficiorum, nec casu obijciatur, nec tantum humana diligentia parentur. Ut igitur agnoscamus ea dari diuinitus, uult Deus à se peti, ut uictum, defensionē, tranquillitatem, pacē, successus in officijs uocationis, bonam ualetudinē. Deinde credendum, quod Deus etiamsi ecclesiam uult subiectam esse cruci, tamen ne deleatur, uelit ei dare

Tria credenda
de rebus corporalibus.

dare beneficia corporalia, politias, hospitia medio-
 eria, uictum, defensionem studiorum doctrinae, scho-
 las, successus in gubernatione, & alias res necessa-
 rias. Tertio credendum, quod uelit Deus in peten-
 dis corporalibus exerceri & crescere fidem recon-
 ciliationis.

Hæc omnia in petitione corporalium bonorum
 cogitanda sunt. Et quoniam scimus oportere Eccle-
 siam subiectâ esse cruci, semper hæc ita petantur, ut
 simul offeramus obedientiâ nostrâ si Deus uelit nos
 diutius exerceri: ut David petit & expectat redu-
 ctionem in regnum, cum à filio pulsus est. sed tamen of-
 fert Deo obedientiam suam, si eum non uelit reduce-
 re. Sic igitur 2. Reg. 15. Si inuenero gratiam in ocu-
 lis Domini, reducet me: sin autem dixerit mihi, non
 places, præsto sum. faciat, quod bonum uidetur
 ipsi. Et Christus inquit: Pater si possibile est, tran-
 seat à me calix iste. Sed non quod ego uolo, sed quod
 tu uis, fiat. Et leprosus inquit: Si uis, potes me
 mundare. Et tres uiri Danielis 3. Deus noster quem
 nos colimus, potest nos eripere. Quod si noluerit,
 notum sit tibi rex, quod deos tuos non colimus.
 Et Paulus inquit: Nescimus quid petamus, quem-
 admodum oportet. Hoc est, Caro quidem oppres-
 sa magnitudine afflictionum, petit liberationem,
 & reformidat obedientiam, sed spiritus reuocat
 animû ad obedientiam, & quamuis petit & expe-
 ctat liberationem, tamen non repugnat uoluntati

In petitione
 semper obe-
 dientia simul
 offerenda.

Dei, sed uult liberari, cum Deo placebit.

Semper igitur cum pro ecclesia, seu Republica, seu familia, seu Schola petimus, adsit fides illa generalis, ut dixi: de rebus uero ipsis credamus, Deū aut liberaturum nos ab ijs calamitatibus, de quibus petimus, aut eas mitigaturum esse. Cum enim Ecclesia in hac uita subiecta sit cruci, manent aliquæ ærumnæ, sed has pijs inuocationibus mitigat Deus. Sic Prophætæ de mitigatione precantur. Ieremias: Corripe me in iudicio, non in furore. & Abacuc: Cum irasceris Deus, recordare misericordiæ tuæ. Et Esaiæ 64. Ne irascaris Domine ualde.

Precatio pro
ecclesia &
alijs.

Et in tali precatioe singuli non solum pro sese petunt, sed primū pro toto corpore Ecclesiæ, id seruari oremus, etiamsi singula membra parata esse ad obedientiam debent, si quid erit tolerandum, ut David orans pro exercitu, uictoriam petit, ut Ecclesia sit incolumis. Interim scit aliquos uenire in periculū, aut interfici, et suam obedientiā offert. Nec precatio eius irrita est: recipitur enim à Deo et impetrat multis mitigationē mali. Sic cū precamur ut pestilentia mitigetur, non de nobis solis angimur, sed totam Ecclesiam eius loci complectimur. Pro his recipitur precatio à Deo, et certo impetrat multis incolumitatem. Ac uult nos Deus in precatioe adfici aliorum & totius Ecclesiæ cura, sicut scriptū est: Rogate quæ ad pacem sunt Ierusalem.

Apud Euripidem, cum Theseus cadauera Argi-
uorum

uorum ad Thebas recipit, ac postea suis manibus abluit, miranturq; alij cur non mandet seruis hunc tetrum laborem lauandorum cadauerum, respondet quispiam, superbiam aut delicias indignas esse homine, propter calamitates abhorrere à miserijs cum opus est nostro officio. οὐκ εἰσὶν οὐδὲν ἀνδραγαθίων ἐν ταύταις τοῖς κακοῖς. Huius honestissimi uersiculi exemplū maxime in Christo conspectum est. Is non duxit sibi turpe esse, transferre in sese pœnas nostrorum scelerū, & adfici cura nostrarum miseriarum: sic nos singuli, Ecclesiæ, Reipub. parentum, liberorum, amicorū calamitatibus moueamur, & non tantum nobis, sed etiam alijs opem ferri petamus.

Et quis sit fides specialis, nominatim expectans aut liberationem, aut mitigationem, discamus intelligere in ipso usu: id est cor inuocans Deum in periculis, aut miserijs corporalibus, etiam discat fide acquiescere in Deo. Quo plus est dubitationis ac diffidentie, eo plus sentimus cruciatum in corde. Est autem in alijs ardentior, in alijs languidior fides. Erat ardens et firma fides in Cananæa, petente pro filia. item in Centurione. Erat languidior in patre adferente filium primum ad apostolos, postea ad Christum, Marci 9. inquit enim: Si quid potes, opitulare. Et postea lachrymans, agnoscit imbecillitatē fidei, & petit se confirmari: Credo Domine, sed opem fer to me. e diffidentie.

Discamus & nos agnoscere trepidationes cor-

dis fugientis Deum, etiamsi est languida fides, tamē
semper caput teneamus, non esse irritas preces, non
esse inutile murmur, sicut Epicurei & Academici e-
xistimant. Brigamus animos cogitatione tot promif-
sionum, & rerum discrimina consideremus. Scia-
mus nominatim petendam esse reconciliationem, &
credendum eam accipi: nec addendam esse conditio-
nem, si placet. Expressit enim Deus uoluntatem suā
ac præcipit nominatim peti reconciliationem. Nec
conturbemus ipsi nos questionibus de prædestina-
tione, quas supra reiecimus. Nos enim de uoluntate
Dei ex uerbo expresse iudicare debemus.

Precatio in
corporalibus
ærumnis.

Deinde & de corporalibus ærumnis nominatim
petamus, aut liberationē, aut mitigationem. Hic e-
nim obedientia nostra necessaria est, si eam flagitet
Deus, nec tamen irrita est precatio. impetrat enim
uel alijs, uel tibi liberationē, aut mitigationem. Lau-
rentij precatio in craticula, non est irrita, etiamsi
præstat obedientiam. nam & si non liberatur, tamē
precatio impetrat manus robur. Ionathas, & si ab ho-
stibus interficitur, cum patrem abiectū & infelicē
sequitur, tamē non frustra pro exercitu et sese preca-
tur. Vincit tandē ea pars, quā ipse superiorē esse ma-
gis optabat, et sustentatur ipse arcana cōsolatione.

Petitiones
corporalium
beneficiorum
non semper ir-
ritæ.

Non igitur existimemus, has petitiones corpora-
lium beneficiorum irritas esse, quia non semper re-
spondent euentus, ut nos optamus: qui tamen saepe
respondēt, ut Agar impetrat filio potū, Iacob impe-
trat

trat defensionem in itinere ne ab Esau fratre opprimatur, Moyses impetrat uictoriam orans pro exercitu praeliante impositis brachijs saxo, Hanna sterilis mater Samuelis impetrat fœcunditatē: Iosaphat, Ezechias, Macabeus, & alij multi precibus impetrant uictorias: Niniuite impetrant, ne ciuitas deleatur. In historijs Euangelicis plurima sunt exempla.

Ad has historias adiungamus quotidianas liberationes, quæ impetrantur Ecclesiæ precibus omnibus temporibus. Quoties tibi, quoties mihi, quoties cui libet nostrum, Deus quamuis trepidanter rogatus, sed rogatus tamen, depulit aut mitigauit ingentia mala. Non enim existimemus casu accidisse liberationem, ut alioqui inter homines usitatum est, ingratos post acceptum beneficium negligere opitulatores à quibus adiuti sunt. Mihi scio Dei ope aliquoties magnas calamitates mitigatas esse.

Omnes igitur liberationes, seu alienas quas legimus, seu nostras quas experimur ipsi, sciamus exempla promissionum diuinarum esse: & commune factum promissionibus, tum exemplis, discamus inuocare Deum, petere & expectare auxiliū, & fides seu fiducia paulatim fiat firmior, acquiescat cor spe & expectatione auxiliij diuini. Sic discamus usu hunc uersum: Iacta in Deum curas tuas, & ipse te sustentabit, & non dabit perpetuam fluctuationem iusto. Dat Deus corporalia bona, sicut hanc uitam, ut semper in terris aliqua Dei Ecclesia maneat,

ut sint doctores, & discipuli, ne deleatur doctrina, ne literæ intereant. Si mox omnes Apostoli interfecti essent, quis circumtulisset ac sparsisset in mundo Euangelium? Dat igitur Deus suum cuique doctori curriculum, & interim defendit eius corpus, præbet domicilium, politiam, scholam, uictum: ut seruat nauim Pauli tantisper, donec in ea Paulus ad portum uenit. Causas igitur cogitemus ueras, propter quas dantur bona corporalia, ut ordine & serio ea petamus, tanquam Dei beneficia Ecclesiæ necessaria.

Modus & tēpus, in petēdo fidem exercēt

Exercent etiam fidem duæ circumstantiæ in petendo, modus & tēpus. Moyses nihil minus cogitat, quàm se quadraginta annis cum tanta multitudine, in tantis ærumnis in deserto uagaturum esse, sed sperat fortassis unius mēsis iter fore. Sic plurima exempla docent, Deum alio modo & alio tempore liberare, quàm ut nos in hac imbecillitate nostra uel cogitamus, uel optamus. Exercent enim nos, ut fide ab ipso pendeamus, non regamur nostris opinionibus. Ideo in Psalmo 4. dicitur: Mirificat Deus sanctum suum. Id est, non humanis consilijs liberat Deus, sed mirandis modis, quos non potest humana ratio prospicere. Sic & Ephesijs 3. dicitur, Deum scire posse, supra quàm petimus, aut intelligimus.

Et de mora sæpe dicitur, ut Lucæ 18. in exemplo de Iudice segni & uidua. Et Abacuc 2. Si moram fecerit, expecta eum: quia ueniens ueniet, & non tardabit.

Non

Non igitur nostrum est, præscribere Deo modum
 & tempus, sed hæc ipsius consilio prorsus commen-
 danda sunt, ut oculi nostri interim, non res ac euen-
 tus, sed Deum intueantur, et accendantur ad inuoca-
 tionem. Huius regulæ exemplum illustre extat in hi-
 storia Iudith, Cap. 8. cum rescisset Iudith sacerdotem
 præscripsisse Deo quinq; dierum spacium, obiur-
 gans sacerdotem inquit: Qui estis uos, qui tentatis
 Deum? Hic sermo magis iritat iram. Constituistis
 Deo tempus opitulandi.

Non præscri-
 bendum Deo
 tempus, aut
 modum.

Ignorantes igitur modum & tempus, Deum in-
 tueamur, & ab ipso petamus euentus placidos. sicut
 2. Paralip. 20. dicitur: Cum ignoramus quid agen-
 dum sit, hoc solum nobis restat, ut oculos no-
 stros ad te dirigamus. quæ sententia cum dulcissi-
 mam consolationem contineat, semper in conspectu
 sit in omnibus ambiguis, quæ humanis consilijs ex-
 tricari non possunt: cuiusmodi ualde multa homini
 accidunt. Adscribã igitur Ioachimi Camerarij uer-
 siculos, quibus hoc dictum regis Iosaphat expressit,
 ut admoneant de hoc præcepto studiosos.

Euentus rerũ
 placidi a solo
 Deo petendũ.

In tenebris nostræ & densa caligine mentis,

Ioach. Came-
 rarij carmen.

Cum nihil est toto pectore consilij:

Turbati erigimus, Deus, ad te lumina cordis,

Nostra tuamq; fides solius orat opem.

Tu rege consilij actus pater optime nostros,

Nostrum opus ut laudi seruiat omne tuæ.

Idem docet Psalmus 36. Commenda Deo uiam

O S tuam,

tuam, & spera in eum, & ipse faciet.

Et illustre exemplum est Exodi 14. Cum Pharaon regium exercitum ducens, accessit ad Israelitas, & oppressurus eos uideretur quia Israelitarum multitudo erat inermis, & partim mari, partim montibus inclusa, ne effugere posset, & periculum nullis humanis consilijs discuti posset, clamat Moyses: Nolite timere, stete & uidete magnifica opera Dei, quæ facturus est hodie. Iubet stare, id est, non præscribere modum Deo, non discurrere ad humana præsidia querenda, sed huc progressos ut Deo obedirent, in hac obedientia placide expectare defensionem à Deo, sicut sententiæ supra citatæ docent: In silentio & spe fortitudo uestra. Item, Vacate & uidete quod ego sim Deus.

V. Quintus locus. Res petenda in precatione, cogitetur, & recitetur. Ideo enim precatio est cultus Dei, quia hunc honorem tribuit Deo, quod in tantis nostris miserijs opem ferat inuocantibus ipsum, nec sit inane nomen, ut Epicurei furenter dicebant: nec sit alligatus ad causas secundas, ut Stoici dicebant. Et prorsus est inanis *barbaroçyia*, recitatio quæ non monet accipi beneficia à Deo, nec agit gratias Deo pro acceptis beneficijs. Sciunt & diaboli hostes Dei, & certissime norunt, Deum esse æternam mentem, immensæ potentiæ, sapientiæ, iustitiæ, bonitatis & misericordiæ, conditricem rerum: sed hac sua cogitatione non accenduntur ad amorem Dei, quia

quia beneficia ab eo nulla petunt. Sit igitur petitio certi beneficij, ut agnoscamus Deum non solum sibi bonum esse, sed etiam erga nos beneficium. Hanc laudem postulat sibi tribui.

Sunt autem res petendæ, res non prohibite mandatis Dei. Non petat Saul, tolli Dauidem: non petat Dauid, interfici Vriã. Sed ut 1. Ioan. 5. dicitur: Hæc est fiducia quam habemus erga Deum, quod si quid petimus secundum uoluntatem eius, audit nos.

Ac de ordine sæpe dictum est supra. Neesse est ante omnia peti reconciliationem, imò frustra petuntur cætera sine fide reconciliationis. Frustra peteret Dauid uictoriam, nisi simul peteret remissionem peccatorum, præluceat ergo fides petens reconciliationem, & statuens nos recipi propter Christum, omnibus aliarum rerum petitionibus.

Deinde ingentem infirmitatem nostram consideremus, quod ad animam & corpus attinet, ut intelligamus nobis opus esse Dei auxilio. Magna pars hominum in tantis tenebris uiuit, ut suas miseras ne quidem consideret. Homines ebrij uoluptatibus, opulenti, sine magnis doloribus uiuentes, fruuntur presentibus commodis, nec putant sibi opus esse auxilio Dei. sed alij qui ærumnas inextricabiles humano consilio sustinent, molè rerum oppressi, coguntur quære re auxilium Dei: sicut Esaias inquit, Cap. 26. Domine, in tribulatione uisitã te, angustia in qua clamãt, disciplina tua est eis. Primum igitur, opinionum &

Res petendæ,
cuiusmodi.

Fides cur præ
lucere in om-
ni precatione
debeat.

Infirmitas no-
stra cogitãda.

morum pericula consideremus. Tot summi homines horribiliter lapsi sunt, Adam, Aharon, Dauid, Petrus, & alij innumerabiles: quorum multi non respuerunt, ut Samosatenus, Arius, & alij. Nec solum nostra infirmitas hic agnoscenda est, sed etiam insidiator diabolus, qui tanquam leo rugiens circumit, quærens quem deuoret.

Diaboli insidie.

Et longam telam texit diabolus. non hoc tantum agit ut Dauidem & Vriæ coniugem adulterio implicet, sed ut ab hoc initio longam Tragœdiam & inextricabilem Dauidi instituat, in qua tandem sperat Dauidem periturum esse, ut Saul perierat.

Hominum stupor.

Ac profecto dolendum est, tantum esse stuporem hominum, ut cum quotidiana exempla cernamus tristissimorum casuum, quos manifestum est à diabolo ortos esse, tamen neque aduersus tam seuum hostem, neque aduersus tanta pericula, nos diligentia & inuocatione nostri custodis Christi maiore cura muniamus. Manifestus diaboli furor erat, anabaptistica seditio in urbe Monasteriensi, & exitus fuit tristissimus: nondum tamen aut illius furoris turpitudine, aut pœna satis mouentur animi hominum, ut fugiant Anabaptistarum deliria. Quoties bella sine ullis ueris causis accendit diabolus? Quoties priuatim nobis ingentia uulnera facit, cum deceptos aliquo specioso consilio implicat hominum malorum familiaritatibus? Denique magnitudo malorum quibus diabolus implicat homines, imò Ecclesiam, describi uer-

bis

Monasterium
suum furor &
Anabaptista-
tum.

bis non potest: sed aliquo modo agnoscitur historijs omnium temporum, & quotidianis uitæ exemplis consideratis, obseruatis etiam nostris lapsibus.

Deinde pericula corporis, famæ, rerum, liberorum, Ecclesiarum nostrarum, & regionum quæ nobis & studijs honestis hospitia concedunt, plura & maiora sunt, quàm ut oratione comprehēdi possint. Semper Ecclesia sic uiuit, ut Daniel sedens inter leones: semper undiq; diaboli nobis infidiatur, & subinde multos euertunt: semper homines impij minantur atrociam Ecclesiæ: semper aliqui seui casus expectandi sunt, ut multæ sunt subita ruinae. ac uerissime dictum est,

Corporis, famæ, rerum pericula.

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,

Et subito casu quæ ualuere ruunt.

Iuuetus adhuc ignara uitæ, imaginatur homines nasci ad delicias, & fruēdas uoluptates, & has ocio sis animis expetit & querit. Sed senes, qui degustarunt communes miseras, longe aliter iudicant, ac intelligunt hanc uitā uniuersam plenā esse ærumnarū, nec dissimilē ciuitati, quæ cincta obsidione undiq; acerrime ab hostibus oppugnatur, & in quam nūc ab hac parte, nūc ab alia hostes irruūt, excitant incendia, euertunt aliqua ædificia, & uix repelluntur.

Mirantur certe sapiētes omnes, cur hæc præstās & tamen imbecilla hominum natura, tantis miserijs onerata sit, quas perferre suis uiribus non potest.

An fug quiesq; fortunę faber

Vetus dictum est, Vnumquemq; fabrum esse suæ fortunæ.

fortuna: quasi fortuna regi nostris consilijs, & prospici ac caueri humana diligentia omnes casus possint. Sed de uniuersa hominis gubernatione dictum illud accipi non posse, manifestum est. Adam non potest prospicere & impedire scelus filij Cain, nec eluctari suis uiribus ex magnitudine dolorum, qui illam fratrum tragœdiam sequuntur. Aliquid prodest diligentia in hac communi consuetudine uitæ, in rebus leuioribus quæ pendent à nostris uoluntatibus. Scipio sua moderatione faber est suæ fortunæ, quod ipse non accendit bellum ciuile cupiditate uindictæ, ut postea fecerūt, Marius, Pompeius, Cæsar. Sed nihil dubium est, multa tristitia mala accidere hominibus, quæ aut nō possunt prospici: aut si quæ possunt prospici, tamen in tantis erroribus humanis non cauentur, quia sæpe hallucinamur, et nobis ipsi bonas spes stulte fingimus, ut poterat Pompeius nō mouere bellum ciuile: sed incensus cupiditate, & inani spe, in consilio errabat, ut dicitur, *ut uel uerè dixisset, si in id ueritas*. Postremò, postquam alea iacta est, sæpe accidunt talia, quæ perferre nisi Deo adiutore non possumus. Adam, Dauid, succubiissent suis doloribus, nisi diuinitus sustentati fuissent.

Quatenus cō
siliū huma-
num ualeat ad
rerum euentus.

Causæ malo-
rum precipuæ

Causas uerò tantarum miseriarum supra recitauimus, quarum præcipuas ignorat Philosophia: quod uidelicet Deus iustus iudex declaret his testimonijs iram suam aduersus communem prauitatem, hærentem in omnibus hominibus, & aduersus multa singulorum

rū scelera, propter quæ cōmunes pœnæ cumulātur.

Ac opponit quidem ratio humana argumentum multorum disputationibus agitatum, quod hic explicari prodest:

Iustis debet bene esse: Ecclesia est iusta: Ergo Obiectio.
Ecclesiæ debebat bene esse.

Primum respondendum est ad minorem. Ecclesia est iusta, scilicet imputatione, & inchoatione in hac Ecclesia quatenus iusta.
mortali uita: sed adhuc in ea hæret magna caligo, multæ dubitationes de Deo, multi uitiosi adfectus. Multi sunt etiam multorū insignes lapsus in ipsa Ecclesia, ut Aharonis, Dauidis, qui iritant iram Dei.

Ac dixi supra, magis premi Ecclesiam, quàm reliquam partem generis humani, non recte inuocantem Deum, quia Deus in sua Ecclesia præcipue uult agnoscere iram aduersus peccatum. Tiberius, & similes alij multi, contemnentes Deum, & si post hanc uitam daturi sunt pœnas, tamen hic minus premuntur, quàm Ecclesia, quia Deus in Ecclesia suum iudicium uult conspici, & metui. sicut scriptum est, Iudicium à domo Dei incipit. Et accedunt aliæ causæ, quas supra recensui. Ecclesiā præcipue affligit.

Nunc ad maiorem respondeo. Iustis bene esse, congruit ordini diuino, & sic sancit lex: Qui fecerit ea, uiuet in eis. Item, Hoc fac, & uiues. Item Deut. 28. Si audieris uocem Domini Dei tui, & facies omnia mandata eius, benedictus eris egrediens & ingrediens: id est, in omni gubernatione politica & economica, Iustis bene esse quatenus conueniat.

nomica, in bellis, in pace, in liberorum procreatione, gubernatione, & successione, in tuenda Ecclesiæ puritate, & honesta disciplina, &c.

Ecclesiæ glorificatio expe-
ctanda.

Est igitur legis uox uera, & ordinis diuini regula, iustis bene esse iustum est. Sed huius regulæ interpretationem tradit Euangelium: Iustis bene erit, cū Ecclesia glorificabitur. Interim Deus differt præmia, nam Ecclesia nondum est sine peccatis. Et cum omnia bona & mala huius uitæ breuia sint ac momentanea, Deus iustos non uult fugacibus bonis ornare, nec iniustos breuib. supplicijs punire, sed uult suam iustitiam in rebus æternis ostendere. Ideo præcipua præmia, & præcipuas pœnas differt in illam æternam uitam. Interim in hac uita regulariter tamen atrociora scelera punit manifestis corporum pœnis, tum ut nos admoneat de ira sua, & de æterno iudicio, tum politicæ pacis causa.

Philosophicæ
causæ inextricabiles.

Philosophi attoniti admiratione huius confusio-
nis, ut putant, cum uident hic bonis, ut Palamedi, So-
crati, male esse: malis uero, ut Tiberio, bene esse: quæ-
runt causas, & coniungere cum uirtute præmia co-
nantur. Hinc illæ quæstiones sunt, An uirtus ad bea-
titudinem sufficiat, An Socrates sit beatus, cum uir-
tuti non respondeant præmia. Hæc in philosophia
sunt inextricabilia, sed in Ecclesia dextrè explican-
tur. Paulus est beatus, cum placeat Deo, ac habeat
Deum custodem, & gubernatorem. Et quanquam in
hac uita scit se cruci subiectum esse propter certas
causas

causas, tamen postea scit Ecclesiam non fugacibus, non exiguo tempore duraturis bonis, ut est huius uitæ curriculum, ornandam esse. Ita suo tempore cum uirtute coniunguntur premia, et quidem perpetua, non fugacia, ut sunt bona huius uitæ mortalis.

Premia cum uirtute coniungi suo tempore.

Hanc explicationem argumenti uulgaris, quo disputatur iustis debere bene esse, recitavi, non solū ut de cōmuni philosophorum questione Lector admoneretur, sed ut nos ipsi attentius consideremus miseriae nostras, et earum causas, ac remedia.

Cum igitur cogitabis te ut in urbe cincta obsidione, quæ undiq; acerrime oppugnatur uiuere, cū sentis arumnas aliquas, ipsæ res admonēt ut opitulatorem queramus: ideo res petenda, ut supra dixi, in precatione comprehendatur, & earum ordo intelligatur. Primum petenda est remissio peccatorum, & reconciliatio: & cum his bonis, lux Spiritus sancti, accendens et confirmans in nobis agnitionem Dei, fidem, timorem, tolerantiam, dilectionem, deniq; regens nos in inuocatione, & in omnibus consilijs, in docendo, & regenda republica.

Rerum petendarum ordo.

Secundo loco petantur et bona corporalia, cōmunia & priuata, pax earum regionum quæ Ecclesijs & pijs studijs hospitium præbent: honesta ciuitatum disciplina, fertilitas agrorum, tempestates cœciliæ, bona ualetudo, uictus, successus in administratione tua politica et œconomica, defensio liberorū, sanæ possessionum.

Corporis bona a Deo petenda tribus de causis.

Et illa ociosorum hypocritarum amentia profusus explodatur, qui dicunt, Indignum esse bona corporis à Deo petere. Hæc deliramenta plena sunt impietatis. imò præcipit Deus, ut petamus corporis bona: & præcipit, ut supra dixi, propter tres gravissimas causas. quarum prima est, ut agnoscamus, & certo statuamus, bona corporis non temere, non casu dissipari inter homines, sed Deum vere earum rerum autorem esse, et ab ipso eas suæ Ecclesiæ dari, & servari suo mirabili consilio. Deus servat vitam Abrahamæ, Eliæ, Pauli, et curat eis hospitia uagantibus inter ingentia pericula, per multas regiones, ut Christus clare dicit: Scit pater uester uobis opus esse defensione corporum, & promissiones horum bonorum supra recensui.

Secunda causa est cur ea peti Deus uelit, ut sciamus in hac uita seruaturum esse Ecclesiam. Quam diu doceret Paulus, si mox interficeretur? Vt igitur aliquo spacio doceat, petit uitam, uictum, hospitiâ. Quomodo possumus seruire Ecclesiæ Dei, si corpora sint fracta doloribus? Petamus ergo tranquillitatem, aut mitigationem miseriarum, ut seruire Ecclesiæ possimus. et propter hanc causam sciamus Deum hæc bona uelle largiri, sicut sæpe testatur: cum ait Christus, Primum querite regnum Dei, & cætera adiunguntur uobis.

Tertia causa est, quia uult Deus in his exercitijs petendorum corporalium confirmari fidem de recordatione

cilia-

ciliatione. Semper enim in his petitionibus præluce-
re illam fidem de reconciliatione oportet.

Has causas inculco, ut sint in conspectu, & nos Panis quori-
diani petimus exuscitent ad inuocationem. Chrysostomus, & alij
multi insulse deprauant precationem, quã tradidit
Christus, cum panem quotidianum nolunt intelligi
de corporali pane. Imò sciamus, has res corpori ne-
cessarias, uitam, uictum, fruges, politias esse ingentia
& miranda opera Dei, et non temere, nõ casu spar-
gi inter homines, sed certo consilio Deum hæc admi-
nicula uitæ & attribuere Ecclesiæ, & seruare.

Nec Stoici illi audiendi sunt, qui uociferantur, cū
Deo gratis seruiendum sit, non esse petenda bona
corporum. Hæ nugæ ex magnis tenebris oriuntur.
Nõ attendūt hi Stoici, qualis sit huius uitæ imbecilli-
tas. Non petuntur hæc bona ut præmia, ut compen-
sationes, & si sic quoq; suo ordine peti possunt: sed Corporalia
bona, uoca-
tionum admi-
nicula. petuntur, ut uocationum adminicula. Non posset gu-
bernare populū Moyses, si dolore animi aut corpo-
ris extingueretur. Petit igitur uitam, consolationē,
uictum, ut seruire possit in uocatione, & tamen libe-
rali animo seruit. Non fremit aduersus Deum, etiã
si fuerit euocatus ex hoc suo curriculo: aut etiã
si quæ difficultates maiores, quas deprecatur, tole-
randæ sunt.

Cum hoc ordine petimus, ut anteferantur bona
æterna, nec deseratur Deus, si bona corporis disse-
rat, aut non largiatur: placet Deo hæc petitio, &

hoc honore coli se affirmat. Nec opus est longa disputatione. Nota sunt enim præcepta, notæ promissiones, nota exempla summorum patrum & prophetarum, qui omiſſa illa Stoica seu potius Cynica philosophia, sciebant omnia bona à Deo mirando ordine cõdita, res magnas et non contemnẽdas esse, ac Deum autorem agnoscendum esse, & ab eo petendam uitam, & uitæ adminicula, ac defensionem.

Iacob cum uidisset Dominũ in scala stantem, audit pariter promissiones de rebus æternis, & de bonis corporis. Ideo enim uocat Iacob & eius posteritatem, ut condat Ecclesiam, quæ existere in hac uita non potest sine hospitio, sine uita & uictu docentiũ. De bonis æternis inquit, Benedicẽtur in semine tuo omnes tribus terræ. De defensione corporum ait, Ero custos tuus quocunq; perrexeris. Ita nos uniuersaliter, quoties promittit uox Diuina mansurã esse Ecclesiam Christi. (id autem sæpe & clare promittitur) complectamur argumentum, ut uocant, à connexis, simul uidelicet promitti uictum & domicilium Ecclesiæ. Deniq; impietas & furor est, abducere animos à petitione bonorũ corporis, cum Deus hoc honore adfieri uelit, & nostram fidem his exercitijs excitari.

Petamus igitur, ut dictum est, ordine, æterna bona, & corporis bona. Et quanq̃ precatio etiam breui gemitu fieri potest, tamen utile est iunioribus & grandioribus sine superstitione tenere formam precationis

Promissio de ecclesia mansura quid contineat.

eationis eruditè compositam, compellatè uerum
 Deum, & discernentem nostram inuocationem ab
 Ethnica, Turcica & Iudaica, & nos simul commo-
 nefacientem de promissione diuina, & res certas pe-
 tentem. Tales sunt pleræq; preces primorum
 Patrum, et populi Israel. Diligenter hi quoq; discer-
 nunt ipsa compellatione uerum Deum à fictitijs, ac
 mentionē faciunt testimonij quo se patefecit Deus:
 interdum & promissionem proponunt, significan-
 tes luctam in inuocatione. ut Genesis 32. ait Iacob:
 Deus patris mei Abraham, et Deus patris mei Isaac,
 Iehoua, qui dixisti mihi, reuertere in terram tuam et
 beneficiam tibi, minor sum cunctis miserationibus
 tuis. Erue me de manu fratris mei Esau, ne percutiat
 matres cū filijs. Tu locutus es te mihi benefacturū
 esse, etc. Tales multæ sunt formæ in scriptis prophe-
 ticis. Ac prodest attente partes considerare. Com-
 pellatio est, Te uerum Deum patefactum Patribus
 meis Abraham et Isaac inuoco, et confugio ad te, non
 fretus mea dignitate, sed dulcissimis promissionibus
 tuis: agnosco enim me longe minorem esse tuis mi-
 serationibus, sed dixisti te mihi opitulaturū esse. Vi-
 de ut se sustentat cogitatione promissionis, & in hac
 acquiescit. deinde rem petendā subijcit, & causam,
 ne pereat Ecclesia: Defende me, ne interficiatur ma-
 tres & liberi.

Forma pre-
 cationis tenēda

Et crebro sic petunt Patres & Prophetæ. Deus
 patrum nostrorū Abraham, Isaac, Iacob. id est, Deus

Patrum & pro-
 phetarum pre-
 catio cuius-
 modi.

qui te certis testimonijs patefecisti patribus nostris
 Abrahæ, Isaac, Iacob, et tradidisti eis promissiones.
 Postea etiã utitur hac forma, tradita in Decalogo:
 Deus qui eduxisti populũ Israel ex Ægypto. Hæ for-
 mæ sæpiissime repetitæ sunt in Psalmis. denique &
 Patres & posterius addunt communi appellationi pe-
 culiare nomen. Elohe cõmune est, quo etiam gentes
 utebantur. Sed Iehoua proprium est, quo Deum so-
 la Ecclesia patrum et Israelitarum compellabat. Itã
 hic loquitur Iacob, & Psalmo 19. dicitur: Nos no-
 men Dei nostri Iehoua inuocabimus. Et ubiq; obuia
 sunt exempla. adeoq; usitatam pijs consuetudinem
 fuisse arbitror, ut hæc duo nomina recitata esse exi-
 stimem à Thoma, Ioan. 20. Cum ad Christũ inquit,
 ὁ νόμος μου, καὶ ὁ θεὸς μου.

Dei nomina.
 Elohe.
 Iehoua.

Assuefaciamus igitur nos ad recitationem aliquã,
 & utamur forma pie & erudite composita, sine su-
 perstitione, sine magia. Nõ hymnos Orphei aut Ho-
 meri, aut Callimachi recitemus: sed uero animi mo-
 tu confugiamus ad Deum, fiducia patefacti Christi.
 sit directa mens ad illum Deum creatorem, qui se pa-
 tefecit misso filio Christo, & dato Euangelio suo.

Multi ignaui, temulenti, securi, contemnunt reci-
 tationem. Sed hortandi sunt pij, ut se ad recitationẽ
 aliquam, ut dixi, assuefaciant, & causæ multæ sunt
 grauissimæ. Nam hæc ipsa recitatio est cõfessio que-
 dam, qua Ecclesia priuatim & publice sese ab idolis
 seiungit, ac se quisq; erudit, & cõmonefacit de uero
 Deo,

Deo, & de uero cultu. Deinde cogitatio patefacti-
onis & promissionum accendit adfectus, fit arden-
tior fides, cum cogitat quanta bonitas sit quod se De-
us patefecerit, quod ostenderit quomodo uelit inuo-
cari, quod proposuerit mediatorem, quod exempla
plurima semper proposuerit, quod uere exaudiat in-
uocantes. Hos animi motus, hanc fidem excitari in-
ter precandum oportet, ad quod erudita recitatio
conducit. Fides enim ex auditu est, auditus per uer-
bum Dei: necesse est igitur cogitatione uerbi diuini
accendi fidem.

Fides inter
precandū ex-
citanda.

Quidam ex Eremitis dixit, nullum esse difficili-
us opus, quam dicere preces Deo. At nullum
existimatur esse leuius, ac uulgarius opus. Sed cum
Christus dicat, Veri adoratores adorabunt patrem
spiritu & ueritate: difficultas facile intelligi potest.
Fiat inuocatio spiritu, id est, non hypocrisi, non *κα-
τασκευαστα*, sed pio motu cordis. Et fiat in ueritate, id est,
uera Dei agnitione. directa sit ad uerum Deum,
& ad mediatorem. Concurrere igitur necesse est co-
gitationem ueram de Deo, & motus cordis. Ideo
se patefecit Deus uoce, misso filio, ut conspiceretur
in carne, ut hunc filium in prece intueamur, et
de Patre admoneamur. Non contemnas hanc uisi-
bilem filij Dei conuersationem inter nos, nec putes
frustra susceptam esse. nostre imbecillitati Deus
consuluit, sic agnosci uoluit, intueri nos in hunc fili-
um patefactum iubet. Et ut uisibilis fuit cōuersatio,

Precatio spi-
ritu & uerita-
te quomodo
fiant.

Filij Dei inter
nos conuersa-
tio non con-
temnenda.

ita uult recitationes & compellationes fieri huius Dei, qui hunc filium misit, quem conspexerunt oculi tot hominum, qui pependit in cruce, qui reuixit ex morte.

Recitationes
exercendæ.

Sed quia difficilis est attentio in recitatione, ideo ignaui fugiunt recitationes. At Ecclesia semper eas proposuit, & publice & priuatim eas exerceri iubet. Ideo Psalmi traditi sunt summo consilio compositi, & Christus ipse formam precandi proponit, ac nominatim inquit Lucæ 11. Cum oratis, dicite. Verba & recitationem certam præscribit, ut antea præscripserat Ioannes. Teneamus ergo, & recitemus formam diuino consilio traditam.

Orationis do-
minicæ expli-
cario.

PATER noster qui es in cœlis: id est, qui ades ubiq; ubiq; respicis & exaudis, omnipotens conditor rerum. Sed hac parte recitata, animum tuum detineat patris appellatio. Quem Deum uocas patrē? Et cur ita nominas? Per quem aditus tibi ad eum factus est? Hic ueniant in mentem Christi dicta, Ioan. 14. Nemo uenit ad Patrem, nisi per me. Et qui me uidet, uidet Patrem. Et Ioannis 16. Amen amen dico uobis, quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Hunc igitur Deum uocas Patrem, qui se patefecit misso hoc ipso filio Christo, & resuscitato, ac dato Euangelio. Et uocas ideo patrem nostrum, quia placatus est per filium, & hoc sacerdote perferente nostras preces recipit. Ut igitur me commonefaciam, addo hæc uerba: Omnipotens æterne

Et uiue Deus, eterne pater Domini nostri Iesu Christi, qui te patefecisti immensa bonitate, & clamasti de filio tuo Domino nostro Iesu Christo, Hunc audite, conditor omnium rerum, & conseruator & opitulator: cum filio tuo coeterno Domino nostro Iesu Christo, regnante tecum, & patefacto in Ierusalem: & spiritu sancto tuo, effuso in Apostolos: sapiens, bone, misericors Iudex, & fortis pater noster qui es in caelis. Ita distinguitur inuocatio ab Ethnica, Turcica, Iudaica, & admonetur mens de promissionibus.

SANCTIFICETVR nomen tuum. id est, effice ut uere agnoscaris, ut uera doceantur, per quae gloria tua uere patefiat, ut te recte inuocent & colant homines. Nomen enim significat noticiam, seu agnitionem & celebrationem nominis Dei, & inuocationem. Res igitur petenda quae hic initio recitatur, est summum & primum bonum, de quo primum praecipuum & secundum praecipue concionatur: uidelicet, ut Deus recte innotescat, ut doctrina uera de Deo, uox Euangelij uere & late spargatur, & recte accipiatur, & multi homines uera inuocatione ac obedientia Deum celebrent.

ADVENIAT regnum tuum. de effectu primae petitionis praecipuo loquitur. Sparsa Euangelij uoce, regas etiam nos spiritu sancto tuo, effice ut uerbo tuo credamus: inchoa in nobis regnum tuum, ut siamus heredes regni tui: & destruas regnum diabo

li, horribiliter grassantis in genere humano, & passim hominis impellentis ad Epicureum Dei contemptum, aut colenda idola, scelerata homicidia, libidines, mendacia, & alios furores. Aduersus hæc mala defende nos æterne pater Domini nostri Iesu Christi, & rege nos spiritu sancto tuo, sicut dixisti, Effundam de spiritu meo.

FIAT uoluntas tua. Id est, da ut omnes tibi obediant in terra: da ut pastores Ecclesiæ, Reges, Magistratus, doctores, discipuli, ciues suo loco singuli officium suum recte & sceleriter faciant, ac omnes tibi obediant, sicut angeli in cælo tibi obediunt, & placent tibi. Tuum opus est efficere, ut nos miseri, stulti, infirmi, res geramus bonas & salutare, simus organa non iræ, sed misericordiæ: simus utiles Ecclesiæ, non simus pestes *ὡς ἀνάσσει*. Politia Ezechie scelerata est, te iuuante: politia Sedechie infœlix est, quia te adiutorem repellit. Nos non repellimus te, sed uero pectore, ueris lachrymis oramus, ut nostras Ecclesias, doctores, scholas, principes, gubernatores, populum regas, ut aliqua fiant tibi grata. sicut inquit Paulus: Deus qui efficit ut uelit, efficiet etiam ut perficiatis, ut aliqua ipsi grata fiant. Nam diabolus & homines impij, magno furore student ingrata Deo facere. Confirmant Epicureos furores, idola, libidines, accendunt iniusta bella, efficiunt tristissimas uastitates. Sed ne totum genus humanum frustra conditum sit, ne omnes ingrata Deo faciant,

Deus

Deus Ecclesiam uocauit, & spiritu sancto suo trahit ut bona & grata Deo faciat, sonet uerã de Deo doctrinam, audiat, recte inuocet Deum, agat ei gratias, obediatur ei, multos foeliciter abstrahat à diabolò, pijs & salutaribus consilijs regat alios, tueatur pacem & honestam disciplinam.

Hactenus igitur petitiones complexæ sunt res summæ, ac bona magis ad spiritum, quàm ad corpus pertinentia, communia & priuata. Et ordo sapienter institutus est. primùm uera agnitio Dei petitur: deinde agnitionis effectus, ut gubernemur à spiritu sancto: tertio, ut in sua quisq; uocatione seu functione, suum officium rite & foeliciter faciat. Nunc sequitur petitio rerum corporalium.

PANEM nostrum quotidianum da nobis hodie. Id est, uictum, pacem, defensionem, bonam ualitudinem, ut labores uocationum perferre possimus, successum in rebus gerendis iuxta uocationem, liberorum educationem, mediocrem tranquillitatem, hospitia, politias honestas, disciplinæ, iuris, iudiciorum custodes, & non dissipatas seditionibus, luxatione disciplinæ, aut bellis.

ET DIMITTE nobis debita nostra. Toties iam dictũ est, in omni precatione primum petendam esse remissionem peccatorum, & fidem de reconciliatione semper oportere præluere cæteris petitionibus. Semper initio mediatorem Christũ intueamur, & petamus, ac credamus nos propter eum recipi

& exaudiri, sciamus hunc sacerdotem pro nobis interpellare, & hac fiducia ad Deum accedamus, sicut sepe dictum est: Iustificati fide, pacem habemus & accessum ad Deum. Item: Habentes pontificem Iesum, accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ. Cum igitur semper in inuocatione indignitas nostra nobis obstret, ac deterreat nos à Deo, ut trepidæ mentes fugiant Deum, hic simul iubet Christus, ut petamus reconciliationem. Et non iuberet petere, nisi si uere daturus esset. Hic igitur attendenda mens de remissione peccatorum, & de mediatore Christo diligenter cogitet. Est autem insignis confessio Ecclesiæ in his ipsis uerbis, agnoscentis se circumferre peccata & multiplicem infirmitatem. Sed consolatio hic proponitur. Cum enim ipse Christus iubeat nos petere remissionem, haud dubie eam donabit. Et in hac recitatione mens simul recordetur expressas promissiones, ut 1. Ioan. 1. Si dixerimus nos non habere peccata, ipsi nos seducimus, & ueritas in nobis non est. Si confitebimur peccata nostra, fidelis est & iustus, ut remittat nobis peccata nostra.

Quod autem hic additur, SICUT nos remittimus: admonemur de pœnitentia, ne perseueremus in delictis contra conscientiam. Quia cum mens retinet contemptum Dei, non exauditur: iuxta illud, Peccatores Deus non exaudit, uidelicet perseuerantes in delictis contra conscientiam. Et 1. Ioan. 3. dicitur: Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habet

mus erga Deum, impetraturos nos esse ea quæ petimus. Id est, si non perseueramus in delictis contra cōscientiam. Eodem pertinet dictum Matth. 5. Si munus offeres ad altare, & recordatus fueris fratrem aliquid contra te habere, &c. Et passim prophætæ inculcant hanc sententiam, non placere Deo cæremonias & precationes eorum, qui perseuerant in delictis contra conscientiam, ut Esa. 1. & 58.

Cogitemus autem, quàm uere miserum sit, non posse confugere ad Deum, non habere Deum protectorem, non gubernatorem, non opitulatorem, posse opprimi à diabolo, aut humanis erroribus dementatum ruere. In his tantis miserijs & periculis sunt omnes homines, qui cum in delictis contra conscientiam perseuerent, non possunt inuocare Deum. Excitemus igitur nos ad pœnitentiam, & emendemus mores. Cæterum & hoc sciamus, agenti pœnitentiam remitti culpam gratis propter Christum, ut supra sæpe dictum est.

ET NE nos inducas in tentationem. id est, Ne sinas nos pertrahi à diabolo ad impietatem, & ad alia scelera. Defende nos contra diaboli insidias, rege nos tua luce, tuis consilijs, ne sinas nos ruere deceptos nostris erroribus, aut impulsos imbecillitate carnis. Magna & admiranda sapiëntia & uirtus fuit Dauidis. Hunc tamen uidemus aliquoties impulsam aliàs à diabolo, aliàs humano errore, ut cum iubet numerari populum. Cum igitur magna sit infirmitas

tas omnium, tu nos eterne Deus, pater Domini nostri Iesu Christi, rege, & ostende nobis salutaria cōsilia in priuatis & publicis negocijs, & confirma corda nostra spiritu sancto tuo, ut tibi obtemperēt, ut simus non organa iræ, sed organa misericordiæ, et utilia Ecclesiæ.

LIBERA nos à malo. Petitio generalis est, quæ petit liberationem ab omnibus miserijs & erumnis huius uitæ, à peccatis, à tyrannide diaboli, à scandalis, à calamitatibus publicis & priuatis, ut uidelicet cum uniuersa Ecclesia erepta ex præsentibus miserijs, donemur luce, iustitia & uita æterna, & fruamur dulcissima consuetudine Dei æterni, & Domini nostri Iesu Christi. Amen.

Vides igitur res petendas optimo ordine completum esse Christum in hac forma, quam nos recitare iussit. Expressè enim inquit, Sic dicentes precamini. ac nominat res æternas, spirituales, corporales, præsentis & futuras. uult te de tota uita cogitare, imo de tota æternitate, de præsentibus & futuris periculis, quorum cogitatio certe exuscitare animos ad inuocationem debet.

Quod uero inuitò monui, cogitandum esse quem Deum inuoces. ubi se hic Deus patefecerit, an & cur exaudiat, id attente considerandum est, ne uagentur animi in inuocatione, sicut Ethnicorum animi uagatur. Ideo filius Dei æternus assumpsit humanam naturam, ac uobiscū familiariter uersatus est,

ut

ut inuocantes cogitent hunc uere esse Deum, qui se patefecit misso hoc filio, euidentibus testimonijs: & æternum patrem de hoc filio testificantem alloquantur. formam igitur supra recensui. Omnipotens æterne & uiue Deus, æterne pater Domini nostri Iesu Christi, qui te patefecisti immensa bonitate, & clamasti de filio tuo Domino nostro Iesu Christo, Hęc audite: conditor omnium rerum, & conseruator ac opitulatur, cum filio tuo coæterno Domino nostro Iesu Christo, regnante tecum, & patefacto in Ierusalem, & cum spiritu sancto tuo, effuso in Apostolos, sapiens, bone, misericors, iudex & fortis: qui dixisti, Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat: dixisti item, Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te: miserere mei propter Iesum Christum filium tuum, quem uoluisti pro nobis esse uictimam, *ἡ ὑποταξὴ, ἡ ἰλαξὴν*, & sanctifica ac rege me spiritu sancto tuo, rege & defende Ecclesiam tuam, & politias quæ sunt Ecclesie hospitium.

Pia est & hæc forma, alloquens Christum filium Dei. Te inuoco Iesu Christe fili Dei uiui, crucifixe pro nobis, & resuscitate, *ὁ ὢν ἡμεῖς εἰλωπὸν ἀδ' ἰς ἡμᾶς*, qui dixisti, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, ego reficiam uos: miserere mei, & intercede pro me apud æternum patrem tuum: sanctifica & rege me spiritu sancto tuo, defende me aduersus diabolos, spiritus mendaces, & homicidas hostes tuos.

Orationis formula.

Alia ad Christum.

Hęc

Hæc compellatio Christi, confessio est omnipotentia. nam sic inuocans, sentit Christum uidere motus cordium omnium hominū, & esse opitulatorem omnipotentem, dantem spiritum sanctum, & iuuantens nos in periculis corporis & animæ. Complectitur autem & hæc forma tres personas: Filium alloquitur, & nominat intercessorem apud æternum Patrem, & fatetur ab ipso dari spiritum sanctum.

Christi compellatio etiam in prophetis & apostolicis scriptis expressa.

Ita expressa compellatio Christi aliquoties in scriptis prophetis et apostolicis proposita est, Act. 7. Domine Iesu, suscipe spiritum meum. 1. Theff. 3. Ipse Deus & pater noster, & Dominus noster Iesus Christus gubernet iter nostrum ad uos. Nec dubium est, in Genesi Cap. 48. Iacob concionari de Christo, cum inquit: Benedicat pueris istis Deus, & angelus qui eripuit me ex cunctis malis. Et Psal. 71. Et adorabunt ipsum semper.

Christus natura Deus & omnipotens.

Estq; hæc forma inuocationis testimonium illustre, docens Christum esse natura Deum, & omnipotentem. Nec ad has compellationes adiungatur compellatio hominum mortuorum, quæ obscurat & corrumpit ueram inuocationem: sed regula teneatur, Dominum Deum tuum adorabis, & ei soli seruias. Non est leue scelus, stabilire inuocationem hominū mortuorum, cū nulla testimonia de ea diuinitus tradita sint, & cum manifeste obscuret mediatorem Christum. Deinde cum inuocatio inuisibilem tribuat potentiam inuocatis, iudicandi motus cordiū, quod

Sanctorum inuocatio, magnum scelus.

quod proprium est solius omnipotentis naturæ, ut
 1. Paralip. 28. dicitur, Omnia corda scrutatur Do-
 minus, & uniuersas mentiū cogitationes intelligit.
 et Ieremiæ 17. Ego Dominus scrutans corda, &c.
 hic honos Dei non est transferendus ad Prophetas
 aut Apostolos, aut Mariam. Et Esaiæ 63. clarè dici-
 tur, Abraham ignorat nos.

Sed omiſſa inuocatione Mariæ, Prophetarū &
 Apostolorum, alia de eis pie, utiliter, & ſplendide
 dici poſſunt. Gratiæ Deo agantur, quod per hos ſe
 patefecit, quod per eos doctrinā ſuam tradidit. Do-
 ctrinæ genus etiam cōſideretur, quod ſinguli docue-
 rint, agantur gratiæ, quod Deus addidit euidentia
 testimonia per horum facta, ut per Moysi, Eliæ, Eli-
 ſei miracula: quod Eccleſiā ſubinde per aliquos in-
 ſtaurauit, quod propoſuit exempla miſericordiæ,
 receptis lapſis, ut Dauide, Magdalena, &c. quod
 propoſuit exempla quæ oſtendunt exaudiri noſtras
 preces in periculis, et uere impetrare liberationes:
 ut Agar filio potum impetrat, Iacob, Dauid, Exe-
 chias impetrat deſenſionē. His exemplis nos ad in-
 uocationē excitemus, & imitemur illorū pœniten-
 tiam & fidem. Poſtremo ipſos etiā laudemus, quod
 Deo uocanti obtemperauerunt, & Dei dona ſua di-
 ligentia retinere ſtuduerunt. Longa eſt oratio: &
 plena pietatis, de illis Eccleſiæ luminibus, de pro-
 phetis, Apoſtolis, & alijs multis pijs hominibus, ſi
 hitoriæ eorum prudenter enarrentur, & ad nos do-
 cendos;

De ſanctis pie
 & utiliter co-
 gitanda quæ.

Q

cendos;

Sanctorum hi-
storie quomo-
do enarrandę

Heroum inuo-
catio ethnica.

Commonefa-
ctio de grati-
tudine.

Securitas in
successu.

cendos, ac ad imitationem pro nostro modo propo-
nantur. Hęc breuiter adieci, ut sciant pij lectores,
improbandas & fugiendas esse hominum mortuo-
rum inuocationes. Ethnicus mos est, qui & deos
multos, & homines mortuos, qui uirtute aut rerum
gestarum gloria antecelluerant, quos Heroas nomi-
nabant, ut Herculem, Quirinum, & similes, inuo-
care soliti sunt. Nec dubium est, hos furores à dia-
bolo ortos esse, qui ueri Dei agnitionem delere co-
natur. Fugiamus ergo exempla ethnicorum furo-
rum similia, & recte discamus quid de hac summa
uirtute, scilicet de inuocatione Dei, certis testimo-
nijs uerbi Dei traditum sit, ut recte & pie uerum
Deum, æternum patrem Domini nostri Iesu Chri-
sti, & filium eius Dominum nostrum Iesum Chri-
stum, crucifixum pro nobis, & resuscitatũ, & spi-
ritum sanctum effusum in Apostolos, inuocemus, et
uera gratitudine celebremus.

Postquam de petitione beneficiorum & auxi-
lij dictum est, cõmonefaciamus nos ipsi etiam de gra-
titudine, ut hęc coniungit Paulus 1. Thes. ultimo,
τὸ αὐτῶν χάριτες, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τὸν ἑαυτῶν ἰσχυρῶς
καὶ ἐπιείκῃ. sed hic necesse est omnes homines fateri
culpam. Omnes sumus ingrati Deo: & quo res sunt
tranquilliores, eo negligentius de Deo cogitamus,
imò multi in rebus secundis prorsus obliuiscuntur
Deum, & laxant frenos cupiditatibus, ut exempla
summorum uirorum ostendunt, & experientia has
sent en-

sententias peperit,

Luxuriant animi rebus plerunq; secundis,

Nec facile est æqua commoda mente pati.

Cum Sodoma manifesto Dei beneficio ab Abrahamã defensa fuissent, deleto exercitu Chaldaeorum, ut in Genesi narratur: post hanc eximiam liberationem securæ ciuitates, ita se luxui dederunt post paucos annos, ut propter turpitudinem scelerum singulari exemplo à Deo deletæ sint.

Magna & turpis ingratitude est omnium hominum. Accipimus à Deo uitam, ingenia, educationem, uictum, literas, Euangelium, Ecclesiam, politias: defendimur & iuuamur sæpe, cum ne quidem petimus auxilium, interim securi ludimus, aut querimus uoluptates, & casu offerri nobis bona disputamus, non agnoscimus Deum autorem esse, non studemus eius beneuolentiam retinere, sed iram accendimus nostra petulãtia. Hæc mala deploremus, & nos emendemus, & cum beneficia Dei agnouimus, fateamur ea nos à Deo accepisse, nec petulanter excutiamus Deum custodem & opitulatorem, sed ei placere studeamus, & gratitudinem nostram ueris officijs uitæ et uoce celebremus. postulat enim hanc confessionem, ut ipse celebretur. Ac primũ nos ipsos admoneamus, non casu nobis offerri bona, sed uere nos Deo curæ esse, exaudiri nostras preces, et & nos iuari à Deo. Deinde uult hanc nostram confessionem testimonium apud cæteros homines esse

esse de prouidentia : uult confirmari alios, ut uere credant Deo curæ esse res humanas, exaudiri ecclesie preces. Ideo toties in Psalmis pro acceptis beneficijs Dauid offert hoc mutuum officium, uidelicet beneficij celebrationem. ut Psal. 117. Non moriar, sed uiuam, & narrabo opera Domini: celebrabo beneficia tua, & ero testis ueræ doctrinæ. Vere postulat & magnificat gratitudinem Deus. ideo etsi gratitudo etiam studium obedientiæ complectitur, tamen ad certam uerborum commemorationem nos quotidie assuefaciamus. Multi cum è lecto surgunt, cum eunt dormitum, cum asident ad mensam, cum discedunt à mensa, prorsus ut pecudes ne cogitant quidè de Deo, unde sint quotidiana beneficia. Hæc turpissima negligentia & uituperanda, & corrigenda est. Quotidie priusquam petis bona, de prioribus beneficijs cogites, & agas gratias Deo, deinde adde petitionem, & extet publice uel in literis, uel exemplis testimonium tuæ gratitudinis. Forma tali uti potes.

Gratitudinē
uere a Deo re
quiri.

Gratiarum
actionis quo-
tidianæ forma

Ago tibi gratias omnipotens æterne et uiue Deus, æterne pater Domini nostri Iesu Christi, conditor omniū rerum, & conseruator ac opitulator, cum filio tuo coæterno Domino nostro Iesu Christo, patefacto in Ierusalē, & Spiritu sancto tuo effuso in Apostolos : quod te patefecisti nobis immensa bonitate certis et illustrib. testimonijs, et quod condidisti & elegisti tibi Ecclesiam perpetuā, & uolui
sti fi

sti filium tuū Dominum nostrū Iesum Christū pro nobis fieri uictimā, dedisti nobis Euangeliū tuum, & Spiritum sanctū, remittis nobis peccata, & liberas nos à potestate diaboli, & à morte æterna, & das nobis uitam æternam, & hæcenus in hac uita in multis magnis beneficijs donasti, dedisti uitam, uictum, doctrinam, pacem ijs locis in quibus uixi, & mitigasti pœnas quas meritus sum.

Ago tibi gratias etiam Domine Iesu Christe, Ad Christum. fili Dei uiui, crucifixe pro nobis, & resuscitate Emanuel, quod copulasti tibi humanam naturam, passus es pro nobis, & resurrexisti, ac redemisti nos, seruas ac defendis Ecclesiā cōtra diabolos hostes tuos, & das & instauras sepe lucem Euangelij, remittis nobis peccata, & das nobis uitam æternā, & es mediator & interpellator pro nobis assiduus, & uis nobis opitulari: sicut dixisti, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, ego reficiam uos.

Ago etiam tibi gratias Spiritus sancte, Ad spiritum sanctum. uiuificator, effuse in Apostolos, quod accendis lucem tuam in nostris mentibus, regis, doces, mones & iuuas me consilio, gubernas labores uocationis meæ, & sanctificas me ad uitam æternam.

Dicta gratiarum actione, sequatur petitio, ut supra recitauī. Nominatim etiam gratiæ agātur quolibet tempore, pro recenti beneficio tunc accepto. Hæc recitatio cōfessio sit accepti beneficij, quā certe postulat Deus: & congruat uox cum mēte. Vere

sentiamus, non casu periculū depulsum esse, sed nos à Deo adiutos ac seruatos esse, preces nostras exauditas esse, celebret mens Deum, quod non sit inane nomen, non negligat homines, sed uere exaudiat inuocantes in Ecclesia, uere sit discrimen Ecclesie et gentium quæ maledicunt Christo, quod uere respiciat & iuuuet Ecclesiam suam, & seruet promissa. Hæc & nobis ipsis inculcemus, & cõmemoremus apud alios, narremus ubi simus adiuti ac liberati, ut alij ad agnitionem Dei inuidentur. Gratum Deo munus est per sese gratitudo, sed postulatur etiam exempli causa. ideo Paulus dulcissime hortatur, ut multi pro se petant, quo plures postea pro accepto beneficio gratias agant. 2. Corinth. 1. significans gratiarum actionem præcipuum esse sacrificium, & Deo gratissimum, & eo à pluribus faciendam, quia Deus à multis agnosci & celebrari se magis postulat. & cū multi celebrant acceptum beneficium, exemplum fit illustrius, & plures alij inuidentur ad inuocationem, timorem, fidem.

Gratitudo
gratum Deo
munus.

Ingratitudo
hominum de-
testabilis.

Horribilis est in natura hominum ingratitude, ut perpetua omnium temporum querelæ testatur, & debiti officij prætermisio diuinis & humanis sententijs damnata est: & tamen usitatius est præstare hominibus gratitudinē, quàm Deo. Et aduersus Deū ingratitude crudelior est, quàm aduersus homines. Saul etiam si ingratus est Dauidi, tamen negare non potest Dauidem bene meritū esse. Ingrati autem

tem Deo, negant Deum beneficij autorem esse, fingunt casu pericula depulsa esse. Aduersus has tenebras, & hunc furorem muniamus animos testimonijs diuinis, & discamus uere nos respici, iuuari, exaudiri à Deo: & cum adiuti sumus, agnoscamus, fateamur, prædicemus nobis & alijs Deum esse autorem beneficij, ut supra recitauimus aliquot sententias. Psalmo 43. Non in arcu meo sperabo, & gladius meus non saluabit me. Et Christus clarè inquit, Sine me nihil potestis facere. Et Psalmo 33. Iste pauper clamauit ad Dominum, et Dominus exaudiuit eum. Et Psalmo 26. Pater & mater dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me. Psalmo 59. Da nobis auxilium in tribulatione, & uana salus hominis. In Deo faciemus uirtutem, & ipse rediget in nihilum tribulantes nos. Psalmo 126. Nisi Dominus ædificauerit domum, &c. Psalmo 115. Dirupisti uincula mea, tibi sacrificabo hostiã laudis. Ieremiæ 17. Maledictus homo qui ponit carnem brachium suum, &c. Benedictus uir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius.

Vere nos iuuari à Deo.

Ingens labor est pijs mentibus, etiam post acceptum beneficium retinere hanc sententiam uere nos à Deo adiutos & seruatos esse. Sed testimonijs quæ & supra & iam recitauimus, confirmemus nos ut statuamus nobis, non casu, sed Deo opitulatore, pericula depulsa esse, & beneficia Dei no-

Beneficia Dei prædicanda.

bis & alijs prædicemus. Hæc de præcipuo sacrificio, uidelicet de gratiarum actione breuiter dixi, ad commonefaciendum pium Lectorem: quem quidem oro, ut de eadem re diligenter consideret, & colligat sententias in propheticis & apostolicis scriptis, ut exuscitet mentem ad fidem, ueram inuocationem, & ueram gratitudinem. Difficile est enim retinere ueram sententiam de præsentia Dei, in tanta nostra infirmitate, etiam cum manifesta testimonia uidemus. Sicut Israelitæ in deserto, & si plurima testimonia præsentia Dei uiderunt, tamen toties dubitabant, à quo ex Aegypto educti essent. & Christi facta uiderant Apostoli, uiderant toties resuscitari mortuos: & tamen magna erat fidei imbecillitas. ideo cum Dei beneficijs pericula nobis depelluntur, ut sæpe fit, teneamus in conspectu sententias quæ nos confirmant, ut agnoscamus nos à Deo adiutos esse: nec sinamus hanc sententiã in animis nostris obrui. Hoc certamen cum difficile sit mentibus, ut experientia ostendit, & monent exempla scripta de Israelitis in deserto, diligentiores nos esse decet in cogitatione testimoniorũ quæ in scriptis Propheticis et Apostolicis tradita sunt, ut fides & agnitio præsentia Dei in nobis cõfirmetur & crescat. Sit in cõspectu cõfessio Iacob, Gen. 48. qui prædicat se à Deo patrũ suorum Abrahamæ & Isaac inde usq; ab infantia nutritũ & defensum esse, & addit mentionẽ angeli, id est filij Dei, per quem

De præsentia
 Dei plerunq;
 dubitari & a
 pijs.

quem ait se ereptū ex omnibus malis. Ita & David morituri gratiarū actio nobis exēplo sit. 2. Regum 22. Liberavit me ab his qui oderant me.

Agnoscamus humanis consilijs & præsijs nō posse pericula omnia discuti, sicut clare inquit Ieremias Cap. 10. Scio Domine quod non est hominis uia eius. Quam multa Moysi, Samueli, Davidi, Ezechie, denique omnibus gubernatoribus accidunt inextricabilia humano consilio? Ergo ut illi, regi nos & iuuari à Deo petamus: & cum exitus sunt placidi, fateamur quod res est, à Deo nos adiutos & defensos esse. Vidit & hæc ætas exempla, quæ prædicare decet, ut Dei beneficia celebrentur. Dedit Deus pacem tot iam annos Ecclesijs nostris, nec pacem tantū dedit, nec tantum impediit hostiū conatus, sed etiā scandala multa passim exorta oppressit, & magna ex parte studia & iudicia eorum qui præfunt Ecclesijs, ita rexit, ut doctrina in Ecclesijs nostris passim sincera tradatur. Pro his ingentibus beneficijs Deo æterno Patri Domini nostri Iesu Christi gratias ago, & eū propter filiū Iesum Christum Dominum nostrū, crucifixū pro nobis et resuscitatum, oro toto pectore, ut nos Spiritu sancto regat deinceps & perpetuo. Amen.

DE MAGISTRATIBVS CIVILIBUS, & dignitate rerum politicarū.

Hactenus Ecclesiam descripsi, ac recitavi, quod doctrinæ genus præcipuum & igno-

Humanis consilijs aut ope nō discuti pericula.

Beneficia nostro tempore ecclesiæ collata Deo, que-

tum humanæ rationi circūferat, & quomodo Deū inuocet. Nunc quia necesse est eam inter homines uiuere in œconomijs, politijs, imperijs, ubi uult Deus audiri cōfessionem ueræ doctrinæ, imò ubi colligit sibi Ecclesiam, collocanda est in œconomijs & societate ciuili, & docēda quid de coniugio & de imperijs sentiendum sit.

Ac necesse est de his rebus rectè, dextrè, explicitè ex testimonijs Prophetarum & Apostolorum erudiri homines: quia sepe & olim & recens fuerunt hypocritæ superstitiosi & fanatici, qui coniugia à Deo ordinata, & Magistratum functiones, iudicia, leges forenses, legitimas pœnas, impéria, bella legitima, militiam damnauerunt. Tales furoribus olim sparserunt, Marcion & Manichæi, quorum deliria diu peruagata sunt Asiam & Africā, circumtulerūt & similes errores ante trecentos annos flagelliferri, ut uocabātur: & hoc nostro tēpore anabaptistæ passim uagantes, adhuc circumferunt hos errores.

Cur prauæ dæ
politicijs re-
bus sentire dæ-
abolus faciat.

Nec desinit unquam diabolus distortas mentes accendere, ut opiniones falsas de rebus politicis amplectantur, quia simul duo mala ingentia excitat. Mouet seditiones in ciuitatibus, unde existunt multæ iniustæ cædes & dissipationes: & obscurat Euangelium, dum enim fingunt iustitiam esse quandā nouam barbaricam politiam, in qua sine distinctione dominiorum, & sine imperijs uiuant homines,

amit-

mittitur uera lux de iustitia interiore & perpetua in corde, de qua Christus inquit: Hæc est uita æterna, ut agnoscant te solum esse uerum Deum, et quæ misisti Iesum esse Christum. Et Paulus: Qui spiritu Dei ducuntur, hi sunt filij Dei. Iustitia de qua concionatur Euāgelium, est lux in corde, quæ fide & agnitione Christi, mentes accendit ad uerā Dei inuocationem, & alios pios motus legi Dei congruentes, & inchoat uitam æternam. Foris uerò, ut uicibus temporum anni à Deo ordinatis, sic politijs & imperijs subijcit suo quemq; loco, ut Ioseph in corde circumferebat ueram agnitionem & inuocationem Dei, & promissi mediatoris, & initia uitæ æternæ: foris uerò, in curia, in iudicijs, in contractibus, in possessione facultatum utebatur legibus Aegyptijs. Daniel similem lucem in corde circumferebat, & initia uitæ æternæ, ut Ioseph: Foris uerò, in curia, in iudicijs, in contractibus, in possessione bonorum, in regenda prouincia, utebatur legibus regni Babylonici.

Iustitia Euāgelij quæ.

Politijs & imperijs suo quemq; loco subijci.

Illud tantum spectandum est in legibus & politijs, ne pugnent cum lege naturæ, sed ut Paulus inquit, sint honori bono operi, & sint terrori malo operi. Deinde etiam si formæ legum, iudiciorum, pœnarum aliquas habent dissimilitudines, ut aliæ sunt leges feudorum, ut uocant, Germanicæ, aliæ Gallicæ, tamen sui quisq; loci legibus obtemperet. Ac dissimilitudo illa nihilo plus pertinet ad iustitiā

In politijs quid præcipue spectandum.

Euāgelij

Euangelij, quàm dissimilia spacia dierũ ac noctiũ. Paulo in Macedonia longior est dies solstitialis, quàm Christo in Iudæa. Hæc dissimilitudo nihil pertinet ad iustitiam in corde utriusq;.

Diaboli infidæ.

Sed diabolus ut oculis atq; animis hominum tenebras offundat, ne ueram Euangelij lucem de fide & agnitione Christi aspiciant, monstruosas illas opiniones de barbarica politia spargit, fingit magnam uirtutem esse, non habere proprium, fugere iudicia, ciuiles functiones, quæ tamen et necessariae sunt generi humano, & à Deo ordinatæ, ut in eis luceat nostra fides, inuocatio & confessio, & ut sint exercitia obedientiæ quam lex Dei postulat, & mutuae dilectionis, ut mox dicam.

Politicarum reum dignitas.

Principum uita.

Quare in templis & scholis diligenter erudienti sunt homines de dignitate rerum politicarum, et præmunendi aduersus illos Marcionis, Manicheorum, & anabaptistarum furores. Scio rudes moueri deformitatibus & cõfusionibus multis imperiorum, aularum, iudiciorum. Principes enim multa in gubernatione negligunt, multorum delicta & iniurias non uident, multæ sunt in iudicijs imposturæ et calumniæ, multa errata, magnæ in aulis ambitiones, rapacitates, & aliæ pestes, multæ fraudes in contractibus. Nam in hac infirmitate humanæ naturæ, & in tantis furoribus diaboli accendentis prauas cupiditates in multis principibus, gubernatoribus, iudicibus, ministris & priuatis, non mirum est multas tristes confu-

confusiones regi alicuiusmodi accidere. Hæ mouent animos non præmunitos, ut res totas, id est, ipsum ordinem politicū damnent, & existiment imperia tantū esse oppressiones imbecillū, ortas uel à diabolo, uel ab humana audacia & cupiditate.

Sæpe etiam philosophi quarunt, unde sint imperia: cum res ostendat, nullum regnum sine magnis cladibus generis humani constitui, nullum non habere horrendas cōfusiones, nullum etiam perpetuū esse. Quantum sui & peregrini sanguinis fudit Roma, donec imperio orbis terrarum potita est? Mox bellis ciuilibus Syllæ, Marij, Cinnæ, Cæsaris, Pompeij, Bruti, Antonij, Augusti, quæ furie per uniuersum orbem terrarum grassatæ sunt, quales legum et disciplinæ perturbationes excitarunt? Postea barbaræ nationes, Gotthica, Vandalica, Hunnica, Arabica, Turcica, infusæ in Italiam, Aegyptum, Aethiopicam, Asiam, prorsus dissipauerunt imperiū Romanum. Denique res ostendit, ueram esse querelam quæ extat apud Ouidium: Sic omnia uerti,

Regnorū clades & confusiones.

Cernimus, atq; alias assumere pondera gentes,
Cōcidere has. item. Summisq; negatum stare diu.

Et Scipionem, aiunt, capta Carthagine spectantem incendiū urbis, illachrymassè ac dixissè, deplorandā esse fortunæ inconstantia in rebus humanis: se non modo dolere uicem Carthaginis, quæ olim florens uirtute, opibus & imperio, nunc spoliata et capta incendio pereat: sed etiam de Romæ fato cogitare,

Scipionis dictum.

gitare, quæ aliquanto post simili calamitate peritit
ra sit, quia nulla imperia perpetua sint. Miratur igitur
philosophi, si à Deo constituuntur imperia, cur
tantum accedat scelerum & miseriarum.

Sed Ecclesiæ doctrina grauissime hæc dijudicat,
ac discrimen proponit ordinis politici, personarum,
& miseriarum humanarum.

Politicus or-
do à Deo in-
stituitur

De ordine politico uniuersaliter docet doctrina
cœlestis, hunc ordinem à Deo institutum esse, & o-
pus Dei esse, quantum boni in gubernatione reli-
quum manet, uidelicet, quod homines certis legibus
coniuncti, in societate ciuili uiuunt, quod multitu-
do regitur magistratibus, iudicijs, pœnis, quod ma-
gistratus custos est disciplinæ & pacis, quod domi-
nia rerum distincta sunt, & sua cuique tuta sunt, quod
res legitimis contractibus transferuntur ad iuuan-
dam communem uitam, quod latrocinia armis re-
primuntur aut puniuntur.

Ac paulo post recitabo testimonia prophetica
& apostolica, quæ utrunque docent, & institutum
esse politicum ordinem uoce Dei: & quantum bo-
ni in gubernatione reliquum est, esse uere opus Dei,
non tantum promissione, sed quia à Deo uere con-
seruatur & iuuatur, sicut ordo motuum cœlestium,
& terræ fecunditas, prius enim hoc discrimen or-
dinis, personarum, & miseriarum humanarum ex-
plicabo, ut querentibus unde tantæ sint cōfusiones
& calamitates, respondeam.

Est

Est igitur, ut dixi, politicus ordo res bona, pul-
 chra, grata humano generi, singulare Dei opus,
 quòd uidelicet homines coniuncti legibus in socie-
 tate ciuili uiuunt, quòd multitudo regitur à magi-
 stratibus qui sunt custodes disciplinae, exercent iu-
 dicia, curant de Deo recte doceri ciues, prohibent
 Epicureos furores & idola, periuria, libidines, in-
 iurias corporum: deniq; qui curant, ut ciuitas sit mo-
 destissima schola, in qua luceat Dei notitia, & exer-
 ceantur uirtutis officia, communis defensio, & alio-
 rum beneficiorum communicatio.

Politici ordi-
 nis, persona-
 rum, & mise-
 riarum discer-
 men.

Sed dices me ideã Platonica pingere, quæ enim
 fuit, aut est talis ciuitas, in qua nihil sit uitiorum? Ve-
 rum hæc eo recito, ut discernamus ordinẽ politicũ
 à uitijs. Et quanq̃ nulla est ciuitas sine uitijs, tamen
 alia gubernatio honestior est, alia perturbator,
 alia plus boni retinet iuxta illam ideam, alia minus.
 Tempore Dauidis & Salomonis magis floruit Ie-
 rosolyma, & ordo politicus integrior erat, quam
 Herodis tempore. Et tamen, quantum boni reliquum
 fuit Herodis tempore, Dei opus erat. Deo iuuante
 seruabatur hospitium Zachariæ, Simeoni, Elisabeth,
 & alijs pijs. Inter tot latrocinia, bella, furores dia-
 boli & Herodis, tamen Deus textit Mariam, Elisa-
 beth, & alios sanctos innumerabiles.

Ciuitas nulla
 sine uitijs.

Nunc igitur de personis dicam. Et si res, uideli-
 cet ordo politicus, est à Deo, ut coniugium: tamen
 sæpe personæ nõ sunt excitatæ à Deo, et magis tur-
 bant

De personis.

bant ordinem diuinum, quàm tueantur, aut ornent: ut Caligula, Nero, & aliæ pestes plurimæ grassantes in imperio, quod diuinitus ordinatū erat, uelut in horreo apri. Veneratur Paulus imperij Romani leges ac ordinem, sed Neronem odit & execratur, tanquam diaboli organū, lacerans bonum ordinem. Neceſſe eſt enim diſcerni in imperijs ſalutares Principes à malis. Dauid, Solomō, Ioſaphat, Ezechias, Ioſias, Nabugdonosor, Cyrus, Conſtantineus, Theodoſius, Carolus, fuerunt ſalutares Principes, diuinitus excitati & adiuti ut & reſtituerent imperia, et Eccleſiam utcuq; iuuarent. Sunt & hi diuinitus excitati & adiuti, ut imperia & diſciplinā utcuq; reſtituerent, etiamſi Eccleſiam Dei non norāt: Themiftocles, Ariſtides, Alexander Macedo, Fabius, Marcellus, Scipio, Paulus Aemylius, Auguſtus, geſſerūt enim res ſalutares generi humano, & politias conſtituerunt quæ aliquandiu floruerunt. Profuit igitur eorum labor ad hoc, ut manſerit poſteritas, ex qua collecta eſt Eccleſia.

Principum diſcrimen.

Gubernatores ſalutares a Deo excitari iuuariq; omnes.

Excitari autem ac iuuari ſalutares gubernatores omnes à Deo, ſæpe teſtantur dicta Prophetica. Pſalmo 126. Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, &c. Et Pſal. 143. Qui dat ſalutem regibus. Et Solomō inquit: Vt oculus uideat, auris audiat, Deus facit utruq;. Id eſt, ut gubernator ſit intentus, & habeat fœlicia conſilia, & populus ei alacriter obtemperet, Dei opera ſunt, ut quod Scipionis conſilia ſunt

lia sunt fœlicia, et quod exercitus hunc ducē amat, et alacriter sequitur, Dei beneficia sunt. Alij imitatores, nec res similes gerunt, nec diliguntur ab exercitibus.

Sic & Baptista, etsi de gubernatione Ecclesiæ loquitur, tamen sententiã tradidit uerã de uniuersa gubernatione. Non potest sibi sumere homo quicq̃, nisi sit ei datũ à Deo. Id est, Nulla est gubernatio fœlix & salutaris, nisi Deo iuuante. ut Themistoclis consilia fuerũt salutaria patriæ, at Periclis et Demosthenis politiæ sunt nimis polypragmonica, mouent bella nõ necessaria, quæ fuerũt exitio Græciæ.

Cum uerò res & personæ iuuantur à Deo, politiæ magis florent: ut cum Dauid regnat in Israel, cum Augustus regnat Romæ. Neq; tamẽ cuiusq̃ gubernatio tam placida, tam fœlix est, quin multæ calamitates misceãtur, et multa uitia accedãt. Nam et diabolus uarie turbare conatur politias, & magna est hominũ infirmitas. Præterea & Deus uult per duces à se excitatos puniri tyrannos, et mutari imperia. id non fit sine magnis cladibus. Fœlicissimus ac mitissimus regum fuit Cyrus: & tamen huius armis florētissima pars orbis terrarũ, uidelicet Ionia, horribiliter uastata est. uoluit enim Deus puniri libidines. Et quoties Heroes excitati sunt, secutæ sũt magnarũ urbium & magnorũ regnorum euersiones. ut Cyrus, Alexander, Romani, Gotthi, Turci, quot urbes & regna euerterunt?

Imperiorum
mutatio.

Miseriæ hu-
manæ a poli-
tico ordine di-
scernendæ.

Dixi igitur tertio loco, discernendas esse ab ordine politico miserias humanas, Davidis politica minus est tranquilla, qui à diabolo sæpe turbatur, & magnæ sunt hominum imbecillitates. Cyri gubernatio est crudelior, quia Deus horribili exemplo puniri uoluit Ioniam propter flagitiosas libidines. Verum tales pœnæ fatales etsi uobis uidentur nimis seuæ, tamē reuera ad ordinem politicū pertinent, quia Deus iustus iudex declarat iram suam his horrendis pœnis, ut cum euertit Sodomam, aut cum fame aut pestilentia totas gentes delet.

Imperia iam
inde ab initio
in deterius cō-
ueria.

Danielis
locus.

Multa igitur mala in imperijs ducantur esse fatales pœnæ, & exempla iustæ iræ Dei aduersus scelera hominū. Imò inde usq; ab initio imperia in deterius conuersa sunt, creuit seruitus, quia peccata hominum creuerunt. Prima monarchia in statua Danielis pingitur aurea: secunda argentea: tertia aenea: quarta ferrea. pedes partim ferrei, partim lutei sūt. hoc est, postrema ætate quædam erunt seuæ imperia, ut Turcicum: quædam infirma, plena ignauiæ. multum autem confusionū adfert ignauiæ, ut res ostendit in multis Germaniæ locis.

Longè pulchrior status fuit regni Iudaici tempore Iosaphath, quàm post reditum ex Babylone, & postea cum à Syriacis & ab Aegyptijs regibus, ac tandem à Romanis Iudæa multis modis uexaretur. Sed tamen manebant aliqui nerui politiæ, id agnoscebant pij beneficium Dei esse. Interim mala quæ fiebant,

sciebant, sciebant perniti diuinitus tanquam fatales
pœnas, & mœsti ac gementes tolerabāt, & sua mo-
destia & diligentia in omni officio leniebant, non
irritabant contumacia aut seditionibus, Deum etiā
orabant ut mitigaret seruitutem.

Cum audissent à Ptolemæo Lathuro interfecta
esse Iudæorū uiginti milia, & coactos captiuos ue-
sci carnibus interfectorū parentum et fratrum, uide-
bant diabolū rabiōsius grassari in hunc populum quā
in cæteras gentes, & sese de pœnitentia et de inuo-
catione cōmonefaciebant: & tamen norant uaticini-
a diuina, politiam mansuram esse, donec Mēsias
concionaturus esset. Hæc præfari de discriminē
ordinis politici, & confusionum, quæ ordinē inter-
turbant (ut si harmoniam in cantilena, bonis musi-
cis recte canentibus, alius quispiam furens clamore
suo interturbaret) necessarium esse duxi, ut præpa-
retur Lector ad cætera: nec propter confusiones
quæ aliunde accedunt, damnet beneficia diuina. A-
liās autem ordo politicus magis, aliās mirus est in-
teger, aliās plus, aliās minus est confusionum.

Sed semper in hac misera & ærumnosa uita, in
imperijs multæ magnæ difficultates existunt, tum
quia diabolus conatur facere maiores dissipatio-
nes, tum quia humana natura per sese est imbecillis,
& facile suis erroribus & cupiditatibus mouet res
iniustas, et harmoniā interturbat: tum quia fatales
pœnæ multæ accedunt, in quibus magnæ fiunt &

Semper mi-
tæ & magnæ
difficultates
in imperijs.

regnorum & disciplinae perturbationes. Et haec causa omnes in hac postrema senectate magis concurrunt.

Temporum
iuxta homi-
nis partes di-
stributio.

Natura hominum tanquam effoeta, sine ulla dubitatione imbecillior est, quam fuit initio. Sicut docti distribuunt tempora iuxta hominis partes, initio aiunt regnasse τὸ ὑπέρνοον ἔτος, id est rationem gubernatricem, artes enim à primis patribus inuenta sunt, & sapientia homines magis quam ui regebantur. Deinde successit bellatrix aetas, in qua iam imperia armis constituta sunt, & quatuor Monarchiae inde usque ab Abrahamae tempore ad Theodosium orbem terrarum rexerunt. Secuta est aetas postrema, in qua dominari aiunt τὰ ὑποκαταστάσια. Natura hominum facta languidior, nec sapientiae succedet, ut olim: nec illos acerrimos labores militiae suscipit, quos sustinebant olim uiri fortes, Dauid, Achilles, Cyrus, Alexander, Hannibal, Marcellus, Scipio, C. Caesar: sed uelut eneruata, delicias & uoluptates querit. Praeterea cum peccata cumulat sint tempore, poenae quoque creuerunt. His occasionibus diabolus utitur, & infirmam naturam rabiosus urget. Odio etiam Dei & Christi, quem scit non ita multo post palam uenturum esse ad iudicandum, & ecclesiae daturum bona aeterna, & abiectorum diabolos & impios in aeternos cruciatus, seuit in ipso fine suae tyrannidis atrocius.

Cur diabolus
nunc saeuat
atrocius.

Haec cogitemus, cum confusiones regnorum, turbulatio, profusiones & Bourgeois Principum, expulatio

lationes populi, & alias miseras seruitutis crescere cernimus: et has ærūnas pie tolerare discamus, et Deū oremus ut aliqua Ecclesiæ suæ hospitia seruet & regat. Omnia regna omnib. ætatibus circa finem magis turbulenta fuerunt. Quoties multi Syriæ reges uno tempore de regno dimicarūt, Antiochus, Tryphon, Demetrius, & alij? Quantū fuit bellorū ciuiliū inter Romanos principes à Seuero usq; ut de uetustiorib. ciuilibus bellis non dicā? Vidimus & hac ætate infœlicissimè dimicantes duos reges de Pannonia. Prorsus igitur ecclesiæ sapientia singulari opus est, ad ferendas has miseras, de quibus et Christus nos præmonet, prædicēs ultimis temporibus magna bella, magnas regnorū ruinas, & populorum angustias futuras esse.

Nunc igitur redeo ad principalem quæstionē, unde sint imperia, an politica officia sint res bonæ, et an Christianis liceat gerere magistratus, emere, uendere, fungi munere iudicū, causas adferre in forum suas uel alienas, militare, armis depellere latrocinia, bella legitima gerere. Ad hæc primum respō deo. Et coniugiū, et politicus ordo, res sunt à Deo æterno institutæ, et approbatæ expressa uoce diuina, et quantū boni in politico ordine manet, seruetur Deo iuuante. Voco autē politicum ordinē, ut supra monui, nō iniustas perturbationes ordinis, sed ipsas leges cum ratione congruentes, coniungentes societate ciuilem, ut multitudini certi homines præ

Regia omnia
sub firmam
magis turbulenta.

Coniugiū &
ordo politi-
cus, res a Deo
institute et ap-
probate.

sunt. Item contractus, iudicia, legitimas poenas, depulsiōem latrociniorum, militiam.

Coniugium
quid.

Ac de cōiugio, testimonia satis nota sunt. Est autem Coniugium, perpetua coniunctio mariti & uxoris, instituta certis legibus à Deo, quæ ostendunt quas personas, & quomodo iungi liceat, ut Genesis 2. Leuitici 18. Matth. 19. & 1. Corinth. 7. In his locis manifestè conspiciuntur, institutio, approbatio, & ordinatio coniugij, de quo aliàs prolixius dicetur. Nunc testimonia addā de magistratibus, seu ciuili gubernatione.

Politicus
ordo.

Paludanus sic tantum à Deo ortum esse politicū ordinem dicit, quia homini ratio sit indita & notitia legum naturæ, quæ iudicat hunc ordinem inter homines necessarium esse. Etsi uera est hæc sententia, tamen nondum satis de causa ciuilis societatis seu imperiorum dixit. nam solis humanis consilijs & uiribus nequaquam retineri honestæ leges & ciuilis societas possunt. Sciamus ergo, uoce Dei institutum esse hunc ordinem, & comprobatum, & uere ab eo iuari. De uoce manifestum testimoniū est tota lex Moysi, quæ & si uni populo proposita est, tamen testimoniū est uoluntatis Dei de hac uita politica. Est autem lex moralis, ille ipse ordo societatis ciuilis, si dextre intelligatur.

Ædem leges
ab initio mū-
di traditæ, &
repetitæ po-
litæ.

Et eadem leges inde usq; ab initio mundi traditæ & sæpe repetitæ sunt. In paradiso prohibitæ sunt uagæ libidines. Genesis 4. Prohibitæ & dam-
nata

nata est iniusta cædes. Et Gen. 9. expresse ordinatur imperiū, edita hac lege: Quicumq; fuderit sanguinē humanū, per hominē fundetur sanguis illius, quia ad imaginē Dei factus est homo. Hanc legē politici ordinis caput esse, nihil dubiū est: nec frustra putemus hanc uocem à Deo editā esse. Cumq; nominatim dicat, per hominem fundetur sanguis homicidæ: instituit hominē magistratum, qui certo ordine tollat reum, & iudicium Dei administret. Extant ergo testimonia institutionis.

Et cum Paulus tradit doctrinā de politico ordine, Rom. 13. simul testatur & institutū esse à Deo, & comprobari, & ab eo iuari. Estq; caput illud magno consilio à Spiritu sancto propositum ecclesijs, ut manifeste refutet fanaticos furores damnatum ordinem politicum, seu magistratus & imperia: Quæ sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt. Id est, uult suo quenq; tempore & loco obtemperare legitimis magistratib. præsentibus. ideo dicit, Quæ sunt: quasi dicat, Non requiris Cyri aut Alexandri imperium, hæc Deus iustus iudex multo antè euertit, & constituit alia imperia. Quæ sunt igitur, id est, quæ quolibet tempore regnant, hæc scito à Deo ordinata esse. Et postea imperia nominat ordinationem Dei. Ponderus uerbi obseruetur, quod nominat imperia ordinationem, primum manifeste discernit imperia à peccatis: nam peccatum non est ordinatio Dei, sed est confusio, et horrenda

Magistratus
politicus a
Deo institutus.

Magistratus
est ordo di-
ctus.

perturbatio diuini ordinis, quam Deus semper odit
& execratur. Deinde monet nos qualis res sit ciui-
lis status, seu imperium: Ordo est, inquit, uidelicet se-
ries personarum & rerum, congruens ad regulam
mentis diuinæ, lucentem & in nobis iuxta legē na-
turæ, ut usitate uocamus.

Sit imperium ordo personarum, præsit magi-
stratus, obtemperent ciues suo quisq; loco: sit cer-
tus ordo inter maritum & coniugem, inter patrem
& liberos: sit ordo iudiciorum, leges ordinem offi-
ciorum & contractuum proponant & sanciant,
monstrent ordinem generis humani erga Deum,
prohibeant uagas libidines quæ sunt contrariæ or-
dini diuino in hominum natura instituto, præci-
pianc æqualitatem in contractibus: quantum acci-
piti emptor, tantum reddat, ne ledat ciuis ciuem,
sed omnes sciant se inter sese deuinctos esse ad mu-
tuam defensionem, & cõmunem salutem, quæ con-
sistit in compensatione æquali uoluntatum, officio-
rum, & rerum. Si quis autem uiolauerit hunc or-
dinem, pœna adficiatur.

Non est ordinis intellectus in bestijs, sed homi-
ni impressa est ordinis notitia, cum qua, si natura
hominum non corrupta esset peccato, etiam amor
ordinis tuendi erga Deum & homines uerus & ar-
dens in pectoribus, coniunctus esset. Nunc uerò faci-
le ruunt homines contra naturæ ordinem. Alij tamē
magis, alij minus amant ordinē, ut Euripides de Cy-
clopi-

flopibus inquit, *νομῶδες ἀνδρες οὐδέ τι οὐδέ τις οὐδέ τις*.
 Multa fera ingenia putant unū hoc esse beate uiue-
 re, non coerceri legibus, ordine, disciplina tanquam
 carcere: sed liberē uagari, et cupiditatibus obsequi
 sine freno. Talibus ingenijs difficile est persuadere,
 magnum decus esse ordinis: aut declarare, quantas
 res hic complexus sit Paulus, & quā perspicue te-
 stetur magistratū & civilem statum esse res bonas,
 Deo placentes, non peccata.

Lex erat apud Spartanos, licere cum uxore alte-
 rius consuetudinem habere, si uir permitteret. Si
 igitur Spartanus aliquis uideat in Iudæa duci ad
 supplicium adulteram, seu adulterum, dicet esse cru-
 delitatem indignam hominibus. At Paulus hic mo-
 net, supplicia legitima partes esse politici ordinis,
 & congruere ad normam in mente diuina. Sed ho-
 mines feri nō statim uident quid dicat Paulus, præ-
 sertim cum tanta breuitate usus sit.

Adferant igitur ad hanc Pauli lectionem studio-
 si mentes attentas, & immoretur huic loco, expen-
 dant uerba, quid ordo significet: partiantur ordi-
 nem personarum et rerum, magistratuum, ciuium,
 legum, iudiciorum, contractuum, delictorum, pœ-
 narum. Deinde normam ordinis esse sciant, æternā
 legem in mente diuina, de qua hic dicit, Magistra-
 tus honore adficiat bona opera, & puniat mala.
 Certissimum est autem, ordinem congruentem cum
 mente diuina: rem bonam, & Deo placentem esse.

Ordinis
norma.

634 DE MAGISTRATIBVS

Hoc igitur Pauli testimonium, bonis mentibus & attentis satisfacit. Vtitur eodem testimonio & Ireneus aduersus fanaticos, qui illis primis temporibus furores sparserunt similes anabaptisticis. Sed multa passim obuia sunt in prophetis.

Stare regna
quid.

Daniel. 2. Deus transfert regna, & constituit. Id est, efficit ut floreat, durent. id enim uocat stare. Psalmo 126. Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra uigilat qui custodit eam. Custos est Deus ciuili status, ergo eum approbat. Psalmo 143. Qui das salutem regibus. Hæc uerba, adiuuari gubernatores à Deo testantur. Prouerb. 8. Per me reges regnant. Prouerb. 16. Libra & pondus, iudicia Domini sunt. 2. Paralip. 20. Nō hominis exercetis iudiciū, sed Domini. Esa. 1. Querite iudiciū, subuenite oppresso, defendite uiduam. præcipit Deus politica officia cuiq; pro sua uocatione. Non dubium est igitur, approbari ab eo politicum ordinem, & in hanc sententiam multa dicta apud Prophetas reperiuntur, quæ nominatim politica officia præcipiunt.

Politicus ordo
factis literis
aprobatus.

Ioan. Baptiste
concio.

Luce 3. Baptista publicanis & militibus concionatur, ac tradit egregia præcepta politica, functionem igitur approbat, cum doceat rectè administrare: Ne plus quàm constitutū est poscite, Respublica sine tributis necessarios sumptus sustinere nō potest. Vult igitur pendi tributa, sed non uult supra legitimā tributa immoderatas expilationes fieri.

Nemi-

Neminem concusseritis, neq; calumniemini. exerce-
 ri uult iudicia, sed sine cōcussionibus & calumnia.
 Et postremò addit, Cōtenti estote stipendijs uestris.
 Hæc tota concio politicum statum, iudicia, militiã
 approbat: & discernit ab ipso ordine uitia, seu con-
 fusiones, quas humana militia admiscet. Et futilis,
 icuina, & insulsa cauillatio anabaptistarum explo-
 denda est, qui dicunt Baptistam hæc imperfectis per-
 misisse, Christum postea docuisse aliter. Non pu-
 gnant Baptistæ & Christi conciones. Nec putemus
 Baptistæ leuem autoritatem esse, magna eius uoca-
 tio & functio est, ut Christus ipse testatur: & De-
 us in Baptismo Christi illustri testimonio, eius uoca-
 tionem & doctrinam confirmat. Sed furentes ana-
 baptistæ non attendunt quid dicant, cum de Bap-
 tistæ ministerio contumeliose loquuntur.

Anabaptista-
 rum cauillū.

Psalmo 81. Ego dixi, dij estis. id est, diuinum of-
 ficiū sustinentes, defensionem iustitiæ & pacis,
 quæ sunt bona diuina, propter quæ titulum suum
 Deus impertit magistratibus, quia uult eos hæc bo-
 na secum impertire populis. Officiū igitur appro-
 bat, cum uocat diuinum.

Magistra-
 tus dij.

Psalmo 101. In conueniendo populos in unum,
 et reges ut seruiat Domino. Et Esa. 49. Reges erunt
 nutritores tui, et reginæ nutrices. Hæc dicta, et mul-
 ta similia, testantur reges et magistratus aliquos es-
 se membra Ecclesiæ Dei, & Deo placere. Appro-
 bat igitur imperia, & politicum ordinem.

Magistratus
 ecclesiæ mem-
 bra.

HIS

Anabaptista-
rum furor.

His confirmati testimonijs, cōstantissimè damne-
mus furorē anabaptistarū, qui contendūt Christiā-
no nō concessum esse gerere magistratus, improbāt
iudicia, leges, militiam, & cetera politica munera,
quasi hæ res sint suo genere peccata, & pugnent cū
Euangelio. Magnæ mihi cum multis contentiones
de hac controuersia fuerunt cum Carolo stadio, Pe-
largo, Struthio, & alijs, & multi agnitis fontibus
huius disputationis, quos iam recitavi, in uiam re-
dierunt, abiectis anabaptistarum delirijs.

Exempla pio-
rū magistra-
tuum.

Porro ad illa dicta quæ recitavi, adiungantur
exempla, quæ sunt ualde multa, hominum qui Deū
uerè inuocarūt, qui maxima regna gubernauerūt,
alij alijs ætatibus: quia Deus uoluit subinde per ali-
quos suos cultores iuuari politias, tum ut in eorum
inuocatione luceret confessio, & uera doctrina la-
tius propagaretur: tum ut Ecclesia haberet aliqua
hospitia. Non dubium est, primos patres in suo cœ-
tu, Adam, Henoch, Noha fuisse etiam politicos gu-
bernatores, sicut traditur Nohæ lex de puniendis
homicidis. Deinde Melchizedek expresse rex ap-
pellatur. Abraham etsi hospes fuit in alienis im-
perijs, tamen & reges aliquos Ecclesiæ adiunxit,
& rexit ipse politico imperio suam familiam, &
præliatus est. Postea Ioseph non modo rexit, sed
etiam nouis legibus regnum Aegyptium consti-
tuit. Nec dubiū est formā regni Aegyptiaci institu-
tam à Ioseph, donec floruit: antecelluisse omnium re-
gnorū

gnorū ordini, quæcunq; fuerunt postea toto orbe terrarum, in Chaldæa, Ionia, Græcia, Romæ.

Valde errant, qui Soloni aut Augusto maiorem tribuunt politicam sapientiam, quàm his uiris qui diuina luce regebantur, et Deum uerè inuocabant, Ioseph, Danieli, Esdræ, & similibus. Nec solus Ioseph inter principes Aegyptios Deum rectè inuocabat, sed eius gubernatio regem sua ætate regnantem, & multos qui unà rempublicam regebant, ad agnitionem ueri Dei pertraxit. Postea Moysen, & multos gubernatores in populo Israel, Deo placuisse, nihil dubium est.

Quod uerò furiosi anabaptistæ dicunt, propter imperfectionem populo Israel concessum esse domicilium & politica officia: responsio est plena insulfitatis. Singulare Dei beneficiū fuit, quod certam sedem ecclesiæ tradidit, ac defendit annos amplius mille quadringentis. uoluit enim Deus certum esse locum, in quo testimonia promissionum diuinarum ederentur, & in quo Christus nasceretur, sicut supra de uetere Testamento copiosius dictum est. Cum autem in populo Israel legem & politicū ordinem approbavit, & saepe testatus est, se officia illa postulare ut in eis inuocatio accendatur, luceat confessio, & dilectio erga Ecclesiam exerceatur, significauit se etiam apud alias gentes legem & politicum ordinem approbare, ut exempla ostendunt. Nam Ioseph, Daniel, & alij multi gubernarūt po-

Anabaptista-
rum obiectio.

Exēpla, quod
politias apud
omnes gentes
approbat
Deus.

Historias igitur in regnis ceteris extra Israëliti- cum consideremus. Daniel provinciam ethnicā regit, et suo ministerio regū præstantissimos flexit ad agnitionē veri Dei, uidelicet euersorē Ierosolymæ, Nabugdonosor, et eius filium, Dariū, Medum, Cyrum Persam, et multos principes. Ideo Deus populum Israel in monarchijs aliās alibi dispersit, ut doctrina uera de Deo latius propagaretur. In historijs Euangelicis mentio fit cenurionū aliquot, qui Euangelio crediderunt, imò in totam Cornelij militis Romani familiam Spiritus sanctus ingenti miraculo, perinde ut in Apostolos effusus est.

Ciuilis uitæ
opera omnia
quo referēda.

Cum igitur tot extent certa te illustria testimonia & exempla quæ ostendunt Deo placere politicum ordinem: imò officio ordinis politici, in ijs qui Deum rectè inuocant, esse pia opera, & præcipuos cultus Dei: discamus uenerari res politicas imperia, magistratus, leges, iudicia, distinctionē dominiorum, contractus, tanquam dona Dei: & omnia ciuili- lis uitæ opera referamus ad hos fines, ut Deo in his ordinationibus obediamus, & ut inuocatio et confessio nostra in hac societate luceat, & ut exerceamus dilectionē mutuam.

Heroici uiri.

Recitauī exempla gubernatorum qui Deo placuerūt, ut Ioseph, Daniel, Nahaman, Syrum, & similes. Hos cum constet à Deo adiutos esse, gubernationem esse opus & beneficium Dei manifestum est. Addam autem & de heroicis uiris apud ethnici-

eos, qui fuerunt sine agnitione uera Dei, & tamen ne genus humanū prorsus interiret, à Deo ardenti-
tibus motibus ad uirtutem excitati sunt, & in rebus
gerendis adiuti, ut Alexāder, Scipio, Augustus. Mi-
randi cuentus in rebus gestis talium uirorum moue-
runt omnes prudentes, ut faterentur eos habere im-
petus meliores et fœliciores, quàm reliquā hominū
multitudinem. Ideo Cicero inquit, Nullum fuisse ui-
rum magnum sine afflatu diuino.

Cumq; ad constituenda imperia, aut instauran-
da, & ad politias ac artes restituendas, Deus in-
serat singulares motus talibus ducibus, aut artifi-
cibus, manifestum testimonium ostendit præsentia
sua in politijs, sicut Pla. 4. De legibus inquit: Quē
admodum boues non à bobus, nec capræ à capris
reguntur, sed à præstantiore natura, uidelicet ab
hominibus: sic natura humana infirmior est, quàm
ut seipsam regere possit. Quare Deus præfecit
ciuitatibus, non homines, sed præstantius & di-
uinitus quoddam genus, Heroes uidelicet, qui cum
habeant ipsi prosperos successus, nobis quoque im-
peria eorum grata & facilia sunt. Hi ita curant
nos, ut pacem, pudorem, libertatem conferuent, &
addit: Verum est dictum, Vbi non Deus, sed morta-
lis aliquis dominatur, ibi malorum & ærumnarum
nullum esse effugium. Sapientissimè hæc, & uerissi-
mè à Platone dicta sunt.

Heroes cur ci-
uitatibus præ-
fecit olim.

Et hæc eius uerba intimis sensibus insigamus.

Platonis locus. *ἄρεσ δὲ καὶ νόμοι ὄντας ὁ λόγος ἀνάγκη χρῶμεθα, καὶ ὅσων ἀρπώδων μὴ θεός, ἀλλὰ τις ἀρχὴ ὄντων, οὐκ ἐστὶ λαῶν αὐτοῖς, οὐδὲ πόντων ἀνάγκη.* *Exempla suppeditant historiae omnium aetatum. Placidum fuit imperium orbis terrarum regnante Augusto, quia Deus uoluit aliquantisper restitui pacem, iudicia, leges, disciplinam, ideoq; Augustum adiunxit. Sub Valentiniano, Augustulo, et similibus, subinde nouae dissipationes exorta sunt, & miseriae sine modo cumulate.*

Dei praesentia in iudicijs. *Postremo testimonium est praesentiae Dei in imperijs, etiam haec experientia, quod manifestum est diuinitus atrocia scelera manifestis corporalibus supplicijs puniri. Periuri, latrones, tyranni, incesti, pleriq; omnes haerent tandem in poenis. Differuntur interdum poenae, sed tamen plerunq; tandem opprimunt fontes, & paucissimi placidos exitus habent. Exempla tyrannorum interfectorum adeo crebra leguntur, ut scriptum sit,*

*Ad generum Cereris sine caede & sanguine pauci
Descendunt reges, & sicca morte tyranni.*

Homicidae. *De homicidis quotidiana exempla sunt in conspectu. Etiam cum aliquandiu occultata sunt, proferuntur tamen in lucem mirabili modo. Et quamquam initio polluti iniusta caede effugerunt manus magistratuum, tamen postea ad poenam retrahuntur. Comitatur & incestos poenae, ut Oedipum, Aegisthum, Herodem, & alios. De his poenis loquitur
Chri-*

Christus: Qui gladium acceperit, scilicet non datum
 a Legibus, gladio peribit. Esaiæ 33. Væ qui præda-
 ris, nam uicissim spoliaberis. Iob 9. Verebar omnia
 opera mea, sciens te non parcere delinquenti. Et Ec-
 clesiastes ait Cap. 8. Impius non potest euadere in
 bello: id est, bellis & alijs cladibus punit Deus atro-
 cia scelera. Sic ciuilem iusticiam Deus in mundo tue-
 tur, ut regulariter puniat in hac uita eos qui ciuilem
 iusticiam uiolant: sicut regulariter hyems frigida est,
 & æstas calida. Quanquam igitur, ut in tempestati-
 bus, interdum aliquid extra regulam Deus facit, &
 arcano consilio differt pœnas & præmia: tamen re-
 gulam meminimus, et metu iræ Dei coherceamus
 temerarios impetus.

Regulariter
 puniri uiola-
 tores ciuilibus
 iusticie in
 hac uita.

Due sunt autem cause propter quas regulariter
 in hac uita pœnæ comitatur atrocia scelera. prior,
 quia Deus iustus Iudex uult conspici iram suam ad-
 uersus peccata, & nos de sua uoluntate commone-
 facit. Altera est, ut custodiat societatem ciuilem: quæ
 prorsus dissiparetur, nisi ab ipso latrocinia, tyranni-
 des, & alij furores compestcerentur.

Quare etiamsi Tiberius placide moritur, tamen
 propter unum a quo alterum exemplum, regula non
 contemnatur, quæ supplicia & cruciatus in hac ui-
 ta minatur tyrannis, & alijs qui polluti sunt atro-
 cibus sceleribus. Ruunt postea in pœnas, Caligula,
 Claudius, Nero, Domitianus, Commodus & alij in
 numerabiles. Non frustra maledictiones in lege Dei

Regula non
 contemnda,
 etiam si qui-
 dam euadant.

propositæ sunt, quas non esse irritas uniuersa mūdī historia testatur. Nam & publicæ ingentibus bellis & dissipationibus totæ gentes propter multorū scelera delentur, & priuatim quotidie excruciantur multi magnis ærumnis & doloribus. Horum malorum causæ quæ sint, conscientias nostras interrogaui. Ac commonescit nos Esaias tristissima concione, & dicto ualde memorabili causam nobis, quasi digito monstrat, Cap. 64. Et iniquitates nostræ quasi uenti dissipauerunt nos.

Isocratis lo-
cus.

Hæc uniuersalis experiētia etiā Ethnicos mouit, ut Dei providentiam & iudicium agnoscerent. & Isocrates in oratione De pace grauissimā sententiā opponit Epicureorum furori, qui propter pauca exempla, regulam contemnunt, ac sperant se impunitæ scelerū habituros esse. Etsi, inquit, nō semper plebuntur scelerati, tamē plerunq; dant pœnas. Cū autem futurū semper sit incertū, prudētis est amplecti illud potius, quod sæpius cōducit. Et cum intelligas iusticiam Deo magis placere, stultissimū fuerit existimare, in deteriore fortuna iustos futuros esse quā iniustos. Cum igitur experientia perpetua testetur atrocias scelera puniri, agnoscamus Deum iudicem & uindicem esse, et eum timeamus, & fateamur politias ab ipso defendi, retineri, & mutari.

Hactenus & dicta & argumenta recitauī, quæ ostendunt politicum ordinem rem bonā esse, et Deo
pla-

placentem. Ad hæc adijciendum est & hoc argumētum. Cum toties præcipiat Deus preces pro magistratu fieri, ut gubernatio maneat inconcussa, & stabilietur: necesse est eam, rem bonam esse, & Deo placentem, nec esse peccatum. Non est enim petendum, ut peccata stabiliantur.

Præcepta
Deo precatio
nes pro magi
stratu.

Extant autem præcepta de hac prece, Iere. 29. Orate pro regno Babylonico, quia in pace illius & vobis pax erit. Iubet fieri preces pro imperio, quod tunc erat Ecclesiæ hospitium. Et propter has preces non modo exilij & seruitutis æruntæ mitigatæ sunt, sed etiam regū pectora Deus ad veræ doctrinæ agnitionē flexit. Et pro rege Abimelech precatur Abraham. Et Iacob benedicit regi Aegyptio, qui à Ioseph acceperat doctrinam de vera Dei inuocatione. Et 1. Timoth. 2. præceptum traditur, plenum eruditionis: Hortor ut petitiones & gratiarum actiones fiant pro omnibus hominibus, pro regibus & omnibus qui præsunt, ut quietam et tranquillam uitam agamus, cum omni pietate & honestate. Simul & de prece præcipit, & docet qualis debeat esse gubernatio, et ad quos præcipuos fines referenda sint consilia gubernatoris. Et petere nos debemus, ut Deus pacē nostris ciuitatibus donet, et regat disciplinā: et boni principes hæc opera efficere debent. Primū ut domi pax sit & tranquillitas, arceant externos hostes quantum possunt, &

Bonorū prin
cipum opera
cuiusmodi

Pacis fines.

domi prohibeant latrocinia et seditiones. Nec finis sit pacis, ut in ocio possint ciues quærere uoluptates, & indulgere luxui: sed pacis posteriores fines sunt, ut propagari uera religionis doctrina possit, ut tegantur scholæ, & imbecillis ætas erudiri possit, nec prorsus dissipetur Ecclesia, aut deleantur seminaria Ecclesiæ. Deinde ut mores regantur honestæ disciplina.

Bellorum qui fines esse debeant bonis principibus.

Sic Dauid gerens bella, sciebat se tantos labores suscipere & sustinere, non sua causa, ut postea ocio se et se curo animo frueretur uoluptatibus, sed ut depulsis hostibus seruaretur Ecclesia Dei, ut domi interim procreari soboles, et recte erudiri de Deo, et ad honestos mores institui posset: ut in scholis adulescentia, et populus ad conciones tuto conuenire posset: denique ne doctrina de uero Deo, nomen Messie, inuocatio uera Dei deleteretur. Hos fines intuebatur, quoties educebat exercitum, quoties instruebat aciem, quoties in hostilem exercitum impetum faciebat. Hi fines ignoti erant Alexandro, Scipioni, C. Cæsari, sed tamen norant, ideo defendendam esse patriam, ut honestæ disciplina homines in pace regerentur, nec prorsus interiret humanum genus, aut mores fierent feri & barbari. Addidit igitur Paulus, precandum esse, ut non solum pax sit, sed etiam ut in pace uiuamus pie et honeste. Id est, ut doctrina uera de Deo propagetur, & Deus recte inuocetur, et sint honesti mores. Ita paulis uerbis optimam politicam formam Paulus delineauit.

Quare precandum pro pace

Postquam

Postquam igitur satis ostensum est Politicum or
dinem esse rem bonam, & Deo placentem, adijciam
aliquot regulas utiles ad pacem, & ad alendam re-
uerentiam in bonis mentibus erga magistratus, et u-
niuersum ordinem ciuiliſ ſocietatis, quæ certe digna
eſt bonis ingenijs: & cum refertur ad gloriam Dei,
cultus eſt gratus Deo.

Regula, ad aſe-
dam reueren-
tiam erga po-
liticū ordinē.

PRIMA regula. Euangeliū ſicut nō abolet, nec I
improbat arithmetiſcam, aut architectonicā, aut me-
dicam artem: ſic non abolet, nec improbat œconomi-
cum & politicum ordinem, imō iubet agnoſcere has
res eſſe dona Dei, quibus hæc uita corporalis nō po-
teſt carere. Cum autem uelit Deus, non deleri genus
humanū, ſed in hac uita colligi Eccleſiam ſuam, ſer-
uat his rebus, cibo, potu, coniugio, politico ordine,
artibus, ut agricultura, architectonica, medicina, ui-
tam corporalem.

Vt autem cibus, potus, agricultura, architectoni-
ca, medicina non pugnant cum Euangelio, quod con-
cionatur de reconciliatione Dei, et nouam et perpe-
tuam lucem in mentibus accendit: ſic non pugnat cū
Euangelio gubernatio politica. Sed qui ignorant
ueram Euangelij doctrinam de iuſtitia interiore,
de fide, & uera inuocatione Dei, hi facile haluci-
nantur in hac diſputatione, et ſibi ipſi fingunt, Euan-
gelium eſſe nouam & barbaricam politiam: ut hy-
pocrite magnis laudibus uehunt ſolitudinem, &
monaſticos ritus, uel potius illud Epicureum ociū,

Monaſtici o-
cij Epicureiſ
mus.

quo fruuntur illi, qui nec cōmunes labores, qui sunt in gubernatione magni & uarij, sustinent, nec metuunt pericula & procellas quibus saepe gubernatores horribiliter adfliguntur, ut experti sunt Moyses, Aharon, Samuel, Dauid, Jeremias: & exempla multa quotidiana uita monstrat.

Vindictæ prohibitiones huic regulæ non aduersari.

Nec aduersantur huic primæ regulæ prohibitiones uindictæ, quæ passim sparsæ sunt in Euangelio. Grauißimam hæc doctrinam, & salutarem ipsis imperijs continent. Deus ordinem instituit, ut uindicta per magistratus exerceatur. Vt igitur in cæteris præceptis nos uult ordini diuino parere, prohibet uagari libidines, sic prohibet uagari iracundiã, uult nos sine incendijs odiorum ordini diuino obtemperare, ac petere ut magistratus suum officium faciat, defendat innocentes, & coherceat ac puniat petulantes. Si facit, gratias agamus & Deo & magistratui, & gaudeamus honeste regi disciplinã, & ciuitates esse tranquilliores. Si non facit, non conturbent ordinẽ diuinum priuati, non moueant seditiones, reprimant iracundiam & dolorem suum, seq̃ hac consolatione sustentent, quod sciunt Ecclesiam certis de causis subiectam esse cruci, & tamen Deo placere, imò tolerantiam iniuriarum & seuitiæ alienæ sacrificium esse Deo gratum.

Vindicta duplex.

Dictum est igitur suprã, duplicem esse uindictam. Altera est ordinata, id est publica, quæ fit per magistratus certo ordine, certis legibus. Hæc nequaquã prohibet

habet Euangelium, seu lex Dei, imò ut toties iam dictum est, diuinitus instituta & adprobata est, & iuratur à Deo. Hæc uindicta est pars politici ordinis, Publica seu functionum magistratus, sicut Paulus diserte magistratum uocat uindicem. Ut igitur magistratū adprobati in Euangelio nihil dubium est, ita hanc uindictam quam exercet iuxta leges, adprobati manifestum est.

Hæc congruunt cum hoc dicto, *Mihi uindictam, & ego retribuam.* Deus iustus iudex irascitur peccato, & aut sine humana ope punit, ut cum delet Sodomam, aut Aegyptios in mari rubro: aut ad supplicia ordinaria, quæ commendauit magistratibus, fontes retrahit, ut cum latrones seueritate magistratuum tolluntur, cum Cyrus punit Ionum libidines, Augustus Antonium pollutum uarijs libidinibus, & mouentem bellum sine iusta causa. Hæ uindictæ, & similes uerè pertinent ad hoc dictum, *Mihi uindictam, & ego retribuam*, quod facile intelligi potest à sanis, qui mentem & dexteritatem in iudicando adhibent.

Altera uindicta est aberrans ab ordine diuino, quæ Vindicta priuata docendi causa Priuatam uoco, cum scilicet incensi iracundia, aut odio, nostro furore, non iubentibus legibus arma capimus, & dolori nostro seruimus, non ordinationi Dei, in alijs tollendis. ut seruit suo dolori Ioab, interficiens Abner.

Etsi autem ingens est incendiū animi, & magnus furor,

Vindictæ cupiditas,

furor, cupiditas uindictæ: tamen pauci ita sunt intenti, ut agnoscant suum hoc uulnus, sed plerunq; species aliqua iuris prætextitur, quam amplexi homines, mouent iniusta & perniciofa certamina sibi & Reipublicæ. ut Saul cum tantum æmulatione ac liuore moueretur, fingit prætextus, queritur Dauidem esse seditiosum, & alens hunc furorem, tollere amicum bene meritum conatur. Ita Pompeius æmulatione ardens, delere Iulium conatur.

Iracundia amore perniciofior.

Vulgaris est pestis, & late grassatur in omnibus gentibus, ciuitatibus & familijs. Ideo pij sint intenti, uideant ne indulgeant huic furori. Usitatũ & notum malum est, amor aberrans à lege Dei, & multorum ingentium malorum causa est. ut propter amorem Paridis euersa est Troia, & Græci magnas clades acceperunt. At iracundia & uindictæ cupiditas undecunq; orientur (aliàs enim alij sunt fontes) sæpius excitant ingentia bella, & perniciosos tumultus, priuatim et publice, ut historie Cain, Saul, Pompeij, Arij, & aliorum multorum ostendunt.

Considerata igitur magnitudine huius pestis, uidelicet priuatæ uindictæ, ruentis contra ordinem diuinum, prudentes intelligent, quàm necessarium, & salutare præceptum sit Christi, toties seuerè concionantis de coercendo hoc impetu. Ipse enim uere intelligebat, in Ecclesia & in uniuersa hominum societate horrendas dissipationes ex hoc fonte oriri.

Vidit Pompeius crescere Cæsarem, & eius gloria
uritur:

uritur: quærit igitur occasiones & prætextus ad eum
premendendum. Et adiungunt se alij, similibus cupidita-
tibus incensi. Vidi ipse multos liuore & emula-
tione motos, conturbasse ueras sententias in doctrina
Ecclesiastica.

Deniq; omnes prudentes norunt, latissime uaga-
ri hoc malum. Ideo dicta Christi & Apostolorum in-
figamus intimis sensibus pectoris, & coherceamus
uindictæ cupiditatem.

Cum igitur Christus, ordinatam uindictam, man-
datam magistratibus adprobet, & e contra priuatam
seuitiam & seditiones prohibeat, res ipsa loquitur,
his præceptis Christi optime muniri politicum ordi-
nem, & armari magistratus. Falso igitur calumnia-
ti sunt Euangelium, Celsus, Iulianus, & alij, qui scri-
pserunt, Euangelium prohibitione uindictæ tollere
magistratus, disciplinam, leges, deniq; omnes ner-
uos ciuilibus societatis, ac concedere infinitam licen-
tiam omnium scelerum. Huic calumniæ nimis frigi-
de respondent Origenes & Nazanzenus, qui sin-
gunt concessum esse uindicare: sed perfectiorem uir-
tutem esse, non uindicare. Has ineptias supra refuta-
ui, ubi de præceptis & consilijs dictum est. Et quo-
modo calumniæ Celsi & Iuliani respondendum sit,
ex hac nostra distinctione satis constat, prohiberi
priuatam uindictam, & e contra confirmari magi-
stratus & imperia. Hæc sententia uera, pia, salubris
est, priuatim & publice.

Celsi & Iulia-
ni calumniæ.

Muniuntur ergo & ornantur imperia uoce Euangelij. Pulcherrimus est ordo, quem in uita priuata & in imperijs instituit Deus de omni genere actionum. Sed humanæ mentes sæpe occupatæ absurdis opinionibus, hypocrisi, prauis exemplis, denique fascinatæ à diabolo, ordinem illum diuinum aspicerenolunt. Ita multos uidimus Anabaptistas, qui in hac quæstione mira pertinacia suos furores defendebant, cum satis clare resisterentur. Nulla est enim obscuritas in hac causa, modo ut adferat auditor mentem docilem. Differui autem prolixius, ut iuuenes commonesciam, ut adsuesfaciant mentes ad amandum politicum ordinem, & admoniti agnoscant in eo lucere sapientiam, iustitiam, & bonitatem Dei erga genus humanum. Usitatum est iuuenibus, ostentare ingeniorum acumen in legum & morum ciuilium reprehensione. Sed illam Cynicam sapientiam & petulantiam sciamus fugiendam & detestandam esse.

Anabaptista
râ pertinacia.

Obiectio.

Obijcitur & hoc, quod sæpe imperia rapiant et teneant improbi, quod multum sit uitiorum & confusionum in imperijs. Ex hac parte argumentantur fanatici spiritus, imperia in uniuersum res malas, & à Deo damnatas esse.

Respondeas autem, non esse ueram & firmam ratiocinationem, à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. In generatione accedunt multæ uiciosæ cupiditates, ergo generatio in uniuersum à Deo damnata

nata est. Suprà monui, ordinem politicum discernendum esse à confusionibus quæ aliunde admiscentur, partim à diabolo, partim ab hominũ malicia, partim à cõmuni infirmitate hominum, ut sit in alijs uitæ generibus ac gubernationibus à Deo ordinatis.

Politicus ordo à cæteris cõfusionibus discernendus.

Nemo dubitat Ecclesiasticam gubernationem à Deo institutam esse, at quantum accedit confusio- num aliunde? Et tamen uox Euangelij est efficax, & Deo æternam Ecclesiam colligit, & audienda ac ueneranda est. Adde exemplum coniugij, & pro creationis. Omnes sani fatentur coniugium à Deo institutum esse, eiq; placere: ac iuari ab eo procrea- tionem, ut scriptum est, In ipso sumus, uiuimus, & mouemur. At quàm multi sunt crudeles mariti, pa- tres negligentes liberorum & ἀσέβητοι, non curantes institui liberos ad agnitionem Dei? Hæc uitia quæ aliunde accedunt, à coniugij ordine, & à procreati- one discernantur.

Fugiamus Manichæos & anabaptisticos furo- res, ac discamus Deo tribuere res ab ipso uere con- ditas & ordinatas: quæ erunt gratiores, cum uitia segregantur, quæ non à Deo, sed à diabolo, & homi- num malitia uel infirmitate oriuntur. Et de his te- nendæ sunt consolationes à Deo traditæ, ut nunc cer- te pios oppressos uel Turcica tyrannide, uel alijs imperijs discedentibus à legitima moderatione, com- monefacere necesse est, quæ miseriæ quomodo seren- dæ sint, & quæ mandata detrectandæ.

Rerum uitia unde.

Danielis lo-
cus.

Ac præcipue nunc tempora postulât moneri ho-
nas mentes, ut agnoscant in hac senecta mundi, im-
peria multo plus habitura esse confusionum, quàm
initio habuerunt, ut statua apud Danielem signifi-
cat: in qua primum imperium est aureum, secundum
argenteum, tertium æneum, quartum ferreum. Plan-
ta enim ferrea est, partim testacea. erit igitur lægi-
dior uirtus. Et experientia Platonem mouit, ut dice-
ret certam esse periodum cuiusq; ciuitatis, et cuiusq;
regni, qua circumacta, ait naturam non progredi ul-
terius. ut cum planus numerus fit solidus, uentū est
ad metam, nec sequuntur cubici: ut cum positus 6.
fit solidus 18. non sequuntur cubici.

Imperiorum
mutationes
ac rutinæ un-
de.

Et quidem hunc sermonem attribuit Plato Mu-
sis, quia causam esse mutationis regnorum præcipuā,
non hominum scelera, sed arcanum ac fatalem natu-
ræ ordinem, uarie miscentem materiam existimat.
Sed doctrina coelestis sepe clamitat, ruinas imperio-
rum accersi humanis furoribus, ac atrocium flagitio-
rum pœnas esse, sicut scriptū est Eccles. 10. Regnū
à gentie ad gentem transfertur, propter hominū in-
iusticiam & dolos. Hæc ad obiectionem quam recē
sui, breuiter respondi, ut admoniti pij discernant or-
dinem à Deo institutum, à confusionibus quæ aliun-
de accedunt: & discant sapienter ferre seruitutem,
quæ pœna est, uelut carcer, humanorum delictorū.

II. Secunda regula. Et concessum est Christianis, fa-
cere œconomica & politica opera, & necesse est
eos

eos iuxta uocationem illis officijs seruire civili uitæ. Et cum pij præstant ea officia, ut Deo obediant, placeat illa Deo, & sunt cultus Dei, & complectuntur multas magnas uirtutes.

Vocationi incumbendum.

Recte igitur & pie facit Christianus, cum iuxta uocationem gerit magistratus, exercet iudicia, militat, accusat nocentem in foro, dicit causam, legitimo supplicio adficit iuste condemnatos. Hæc intelligere Magistratus & Iudices qui Deum non contemnunt, necesse est.

Ac primū de necessitate testimonia perspicua sunt, quod uidelicet necesse sit, ciues etiam eos qui uerè credunt Euāgelio, facere politica officia iuxta uocationem. Rom. 13. Necesse est obedire, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Lucæ 3. Neminem conculcatis, neque calumniamini: & contenti estote stipendijs uestris. Esaiæ 1. Quærite iudicium, iudicate pupillo, defendite uiduam. Ac obseruet similia dicta studiosus Lector in alijs locis. sæpe enim hæc præcepta repetuntur.

Politica officia necessario obiri etiam a Christianis.

Quod autem sint cultus Dei, sæpe monent Prophetæ. Taxant enim superstitionem, quæ iudicat solas ceremonias esse cultus Dei, & negligentiam parit in officijs ciuilibus. imo Monachi uitam æconomicam et politicam uix Deo placere posse putabāt. Anteferunt ergo Prophetæ ceremonijs officia politica, & his affirmant promitti præmia. Esaiæ 1. Holocausta uestra nolo. Quærite iudicium, iudicate pupillo,

Officia politica etiam cultus Dei.

pillo, &c. *Esaie* 58. Frange esurienti panem. *Micheæ* 6. Nunquid placari potest Dominus millibus arietum. Indicabo tibi homo quid sit bonum: facere iudicium, diligere misericordiam, & in timore ambulare coram Deo tuo. *Zachariæ* 7. Nonne cum comedistis & bibistis, uobis comedistis, &c. Hæc dicit Dominus, iudicium uerum iudicate, uiduam, pupillum, aduenam & pauperem nolite calumniari, &c.

Politici ordinis causæ

Decus horum operum ita magis intelligetur, cum ipse ordo Politicus & causæ ordinis considerantur. Deus condidit genus humanum ad societatem, & huius societatis uincula esse uoluit, generationem, educationem, gubernationem, contractus, artes. Nec solus uir gignit, nec sola mulier. Nec genita soboles, sine aliena ope uitam retinet. Colligata est ergo hominum natura æternis uinculis. sed ad quem finem præcipuum? Ad hunc, ut ad generationem & educationem opus est societate, ita cætu opus est ad docendum. Vult Deus agnosci, & celebrari. ut igitur alij alios de Deo & de alijs rebus bonis doceant, conditi sunt homines ad societatem, cuius uincula sunt, magistratus, leges, politica officia.

Politicoꝝ officioꝝ ordo

Primum ergo in his officijs obedientia nostra erga Deum declaranda est.

Secundò luceat in societate confessio nostra. Ideo enim præcipue ad societatem conditi sumus, ut late

late propagetur notitia Dei, & filij eius Domini nostri Iesu Christi. Ostende quid sentias de Deo, ac testeris te propter iudicium Dei uera profiteri, & iusta facere.

Tertiò, cum plene sint arumnarum & periculorum ingentium œconomia & politica. Ferreus est enim, qui generationis & educationis pericula non considerat. Deinde quanta moles est curarum in Curia, in castris? In his miserijs & periculis luceant fides & inuocatio. Ideo enim his difficultatibus onerata est infirma hominum natura, ut admoniti de fide & de inuocatione, late spargamus Dei notitiam. Fiunt ergo cultus Dei, labores œconomici & politici, & quia ad hunc finem referuntur, ut Deo præstetur obedientia: & quia his ipsis laboribus misceri oportet inuocationem Dei. Sicut Dauid præliaturus, & Salomon regnum suum inchoans, Deum inuocant. & in Psalmo dicitur, Illi in curribus & in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri inuocabimus.

Cur tot difficultatib. onerata hominū natura.

Quartò. Exercentur in his laboribus dilectio erga proximum, tolerantia, & pietas in retinenda possessione doctrinae de Deo. Miscentur igitur multæ uirtutes laboribus œconomicis & politicis, propter quas fiunt sacrificia, seu cultus Dei, id est opera quibus Deus iudicat se honore adfici.

Quid agit Dauid prælians?

Dauidis præliantis exemplū

Primum

Primum agnoscit se obedientiam Deo in hac uocatione debere, hoc est in hoc gradu politico, in quē collocatus est. Secundò, profitetur se ciuem esse populi Israel, & inuocare Deum æternum, qui se patefecit, & uerbum suum Israelitis tradidit certis testimonijs. Tertio, in periculis fidem suam exercet, & Deum inuocat. Quarto, seruit hoc labore suis ciuibus: imò dimicat pro illis parietibus, intra quos sedent pueri & puellæ discentes lectionem Prophetarum, ut conseruetur & propagetur doctrina cœlestis. Interim quam multæ aliæ uirtutes accedunt, iustitia, tolerantia, mansuetudo, & aliæ uirtutes gubernatori necessariae. Quintò: Ad has uirtutes quas recensui, accedit in his laboribus aliud ingens bonum, scilicet testimonium præsentiae Dei, quo timor & fides confirmantur. Videmus puniri latrones & tyrannos, experimur Deum custodire politias quæ sunt hospitia Ecclesiæ. Experiuntur Esaias & Ezechias, exaudiri suas preces pro politia quam gubernabant. Et Dauid testatur, adesse Deum gubernantibus, inquit: Benedictus Deus qui docuit manus meas ad bellum. Item, Qui dat salutem regibus.

Hæ causæ & hi fines laborum æconomicorum & politicorum, sæpe cogitandi sunt pijs, & faciendæ collationes politicæ uitæ & monasticæ: item, pijs gubernatoris & impij.

Politici ordinis causæ.

Causa mandans obedientiam in munere politico, est Deus. Hic fit mentio causæ efficientis. Causa finalis.

finalis, ut luceat confessio in societate. *curatio* fides petens gubernationem in laboribus & periculis. Causæ finales posteriores, ut seruiatur proximo. Itē, ut defendatur possessio doctrinæ coelestis. Effectus: Testimonia præsentiae Dei, quæ timorem & fidem augent. Harum causarum & effectuum cogitatio ornat uitam politicam, & pios consolatur in hac magnitudine laborum, & accendit timorē Dei & fidem in mentibus.

Iam confer Dauidē et eremitam. Eremita tanquā ex acie fugit ex ordine politico, nec præstat Deo obedientiam, quam cōmuni societati debet. Fugit autem ideo in solitudinem, ut labores, pericula, incertos euentus negotiorum, iniurias, ingrattitudines, deniq; ut molem curarum & dolorum uitet. Simul igitur fugit fidei, inuocationis, & confessionis exercitia. Nec seruit proximis, non docet, non confert operam ad retinendam possessionem doctrinæ. Qualis autē esset uita, quomodo excolerētur aut propagarentur artes, qualis esset generatio, quæ defensio puerperarum & infantum, si omnes boni uellent esse eremitæ? Reijciamus ergo uitæ genus, quod obedientiam Deo debitam in communi societate iuuanda & tuenda negligit.

Hic etiam militem pium & prophanum confer. Cum Celsus calumniaretur Euangeliū, de prohibitione uindictæ, ac diceret militiam prohiberi: respondit Origenes, Christianam militiam esse, pro im-

Dauidis & eremite collatio.

Eremitarum uita improbanda.

Miles Christianus quid a prophano differat.

Magistratus pij cum prophano collatio.

perijs Deum precari. Et si de parte officiorum nostrorum recte Origenes respondit, tamen non satis dixit. utrunq; erat complectendum. Et dimicat in acie Christianus iuxta uocationem, & arma in uocatione Dei adiuuat, ut David inuasurus Goliath instruit se precibus & funda. Antecellit igitur Christianus miles prophano. Præterea fines differunt. David præliatur, ut defendat cœlestem doctrinã: Iulius præliatur, ut suam dignitatem defendat.

Sic antecellit gubernator Esaias Ciceroni. Cicero ad gubernationem tantum sua consilia, seu prudentiam suam & diligentiam adfert: Esaias uero et preces & prudentiam, & sepe clamat, ut scribitur, 2. Paralip. 20. Cum ignoramus quid faciendum sit, oculos nostros ad te attollimus.

Hæc de secunda regula breuiter dixi, quæ pij lectores diligenter expendant, ut discant uitæ politicæ dignitatem intelligere: & considerent quid intersit inter politicum uirum pium, & prophanum.

III Tertia regula. Euangelium non præcipit ut nostræ politicæ regantur legibus fœrensibus Moysi, nec nouam aliquam corporalem politiam constituit. Sed iubet nos præsentibus magistratibus ac legibus obtemperare, quæ tamen non pugnant cum legibus naturæ: & præcipit ut præsentis politias tueri & ornare studeamus. Sic enim inquit disertè Paulus: Omnis anima potestati quæ præest, hoc est præsentis potestati obediat. Hanc regulam ideo recensui, quia memini

memini multos, Monetarium, Struthium, & alios qui contendebant Christianos oportere controuersias forenses iudicare ex legibus Mosaicis, & abolendum esse Ius Romanum, quo nunc in foro utimur. Hoc quid erat aliud quam restituere politiam Mosaicam, quam ut Deus ostenderet non oportere perpetuam esse, funditus & horribili exemplo deleuit.

Mosaica politia cur abolita.

Sæpe iam dictum est, Euangelium concionari de iusticia spiritali & æterna, ut Paulus inquit: Euangelium est ministerium spiritus, nec constituit certam corporalem politiam, sed finit nos uti dissimilibus politijs gentium, ut dissimilibus dierum spacijs, modo ut leges non pugnent cum iure nature, sed adprobent honesta facta, & puniant turpia. Nam hanc regulam Iudex Christianus sequi debet, quam & Paulus recitat Rom. 14. Magistratus tribuat honorem recte factis, & puniat turpia. Quæ uero sint honesta, quæ turpia in moribus, dijudicat lex nature.

Gentium politijs etiã dissimilibus uti Christiano licitum.

Deinde nihil interest Ecclesie in his quæ sunt iuris positiui, quod leges Gallicæ in pœnis, aut diuisionibus hereditatum, aut successioneibus dissimiles sunt Germanicis. Utatur Christianus in Armenia legibus politicis eius gentis: at in ciuitate Veneta, utatur legibus Venetis.

Memini, qui nolebant ullos fures capitali supplicio adfici, quia lex Moysi punit furem quadruplo. Et si grassatorem, ut latronem, etiam uetustæ leges capitali supplicio adficiebant, & hac ratione quidam

Legum capi-
salium ratio.

legi usitatae non imprudenter patrocinantur, quia in his Barbaricis gentibus fures plerunq; sunt grassatores, & telis & uoluntate nocendi armati, ut latrones: tamen Iudex Christianus & hoc consideret, satis esse, si lex congruat ad hanc regulam, ut turpia facta puniat: deinde gradus permittendos esse legum conditoribus, seuerius puniendos esse fures in ijs gentibus ubi disciplina laxior est, quam alibi ubi fuerunt alia multa disciplinae uincula. Nec Deus improbat seueritatem, quia peccata nostra sine dubio merentur mortem iudicio Dei. Lex Moysi filium belluonem & contumacem uult ad Iudices adduci, & condemnatum interfici. Haec lex honestissima, nunc nimis tristis diceretur: quae tamen ostendit, Deo placere disciplinae seueritatem.

Omitto hic longiorem disputationem. Nam haec recensui tantum, ad commonefaciendos rudiores, ne moueantur clamoribus illorum qui contendunt, rursus in forum leges Mosaicas inuehendas esse, & ius Romanum abolendum esse.

Iuuenum cu-
riofitas.

Et est usitata *πολυπραγμοσύνη* iuuenilium ingeniorum, uetera instituta mediocria reprehendere, nouas leges ferre, expeditiore ordinem cognitionum in iudicijs praescribere, regere forum tanquam aedilicij edictis, statuere rerum uenalium precia, ut memini Mustelam aulas docere de ordine cognitionum.

Mustela:

Nec ego nunc diligentiam sapientum gubernatorum reprehendo: sed iuuenilem *πολυπραγμοσύνην*, quam frenare

frenare utile est, præsertim in ijs qui ministerio Evangelij funguntur. Hi proponant doctrinam de uera Dei agnitione & inuocatione, & de cæteris officijs pietatis: iudiciorum autem & fori gubernationem sciant alijs artificibus commendatam esse, & præcepti usitati meminerint, ut suam quisq; Spartam ornet.

Sparta cuiq;
sua ornanda.

Vt apud Aristophanem Cleon dicitur alterum pedem in curia, alterum in castris habere: ita isti curiosi, alterum pedem in curia, alterum in Ecclesia habent. & interdum perinde condunt ciuitatem, ut simia in fabula Hermogenis, quæ aliquando capta ab hominibus, uiderat urbes, domos, hominum congressus, theatra, spectacula, ludos. Redit igitur ad simias, ac narrat quid uiderit, hortatur ut hominum imitatione condant domos, quibus tegantur contra tempestates: & addant mœnia aduersus leones, lupos, homines. Nec tantum hæc utilitas proponitur, sed commemorantur theatra & spectacula. Horum imitatio magnas uoluptates paritura uidebatur. placet igitur consilium. Et dimittunt uetulæ simiæ iuniores ad materiam cædendam, aut saxa conuehenda. Sed hic deprehendunt stultitiam suam simiæ. Deerrant secures, & ratio nulla erat uel cædendæ materiæ, uel coagmentandi lapides, deniq; ars tota architectonica deerat. Res igitur coegit eas, id quod stulte instituerant, omittere.

Simiæ apolo-
gus.

Tales architectos ciuitatū multos uidimus, Struthius.

T 3 thium,

thium, Mustelam, & alios. Meminerint ergo saniores, præceptum in hac tertia regula traditum nec temere de politicis institutis, quæ non continent manifestam turpitudinem, contendant.

III

Quarta regula. Euangelij doctrina adeò seuerè præcipit de obedientia, ut affirmet peccatum mortale esse, non obedire mandatis legitimi magistratus, si tamen non iubeant facere contra mandata Dei.

Magistratus legitimi præceptis non obedire, peccatum mortale.

Hæc regula expresse traditur Rom. 14. Necessè est obedire non solum propter iram, sed etiã propter conscientiam. Primum docet esse necessarium opus, deinde necessitatem declarat. Non solum propter iram, inquit, id est propter poenam corporalem, qua magistratus adficit contumaces, sed etiam propter conscientiam necesse est obedire. Testatur ergo, contumacia offendi Deum, & conscientiam reã fieri, quia Deus hanc obedientiam flagitat.

Contumacia Deo puniã exempla.

Hic expende quantum malum sit, conscientiam reã iudicari à Deo, deserì hominem, & non regi nec defendi à Deo, sed poenis in hac uita, & nisi resipiscat, perpetuæ iræ post hanc uitam obnoxium fieri. Nam regulam hanc seruat Deus, ut atrocem contumaciam etiam in hac uita atrocibus exemplis puniat, ut ostendunt historiæ Absalon, Semei, Ioab, et alia innumerabiles. Hic prudens lector conferat philosophorum politica, ad hanc Pauli concionem. Quæ literæ philosophorum ita munierunt Magistratum, ordinem politicum, & pacem, sicut hæc Pauli

Pauli concio? Hæc est murus firmissimus magistratum. Nam bonorum omnium, & mediocrium animi, non terrore aut potentia magistratum, sed hac doctrina cœlesti cogi se iudicant, ut reuerenter obediant uoci legum & magistratum, & imperia uenerentur.

Ac leges ipsæ imperiorum tantum externam obedientiam in militia & in pace, labores corporum, collationem tributorum, & iusta officia externa in tota ciuili consuetudine postulant. Sed doctrina cœlestis amplius flagitat, iubet honore adfici magistratus. Hic gradus obedientiæ summus est, non tantum externa officia tribuere, sed etiam honorificam opinionem in mente, & beneuolentiam. nam hæc duo præcipue significat uocabulum Honoris. Honorifica opinio hæc continet, quod totus ordo politicus, imperia & magistratus sint res à Deo institutæ & approbatæ, & defendantur ope diuina, & quod Deus uelit humanum genus hac ciuili forma uitæ regi, & frenari libertatem, & in ipsa gubernatione multa exempla conspici sui iudicij de sceleribus hominum: ut pœnæ homicidarum, incestorum, tyrannorum, periurorum manifeste testantur, Deum his sceleribus irasci.

Magistratus etiam honore affiendi ex Dei præcepto

Est ergo honorifica opinio, politicum ordinem, imperia, magistratus, leges, iudicia, pœnas esse opera Dei, in quibus sapientia Dei, iustitia, & bonitas erga genus humanum conspiciuntur. Altera pars ho-

Honorifica opinio de magistratu quæ.

noris est, quia hæ res sunt diuinæ, uoluntas nostra ul-
tro & uero studio se subijciat imperijs propter De-
um, & amet has res, & ipsos magistratus, custodet
politici ordinis. Hæc est sententia præcepti, quod in-
bet honorem tribui magistratibus.

Res & perso-
næ discernen-
dæ.

Suprà autem monui, discernendas esse res & per-
sonas. Agnoscebat Paulus, & certò sciebat imperi-
um Romanum singulari Dei consilio & ope consti-
tutum esse, & ipsum ordinem ac leges amabat & ue-
nerabatur. Sed Neronem, ut teterrimam pestem &
diaboli organum oderat, ac execrabatur, & tolli eum
à Deo petebat, sicut & accidit. Etsi enim prius ab
eo Paulus interfectus est, mirabili Dei consilio, per-
mittentis ut à tali tam tetro, turpi, et execrando por-
tento, Apostolus Deo carus, & donis amplissimis
ornatus, & per quem magna pars Ecclesiæ collecta
erat, necaretur, tamẽ eodem anno sibi ipsi Nero mor-
tem consciuit.

Pro magistratibus
orandũ.

Cæterum hic honos præcipuus est, Deum pro po-
litiâ & magistratibus inuocare, quod certe facient
ardenter isti, qui uere cogitant politicũ ordinẽ opus
et donũ Dei esse, et bonos magistratus à Deo excita-
ri et iuari: sicut fit. Nõ enim durabiles esset politiæ,
& artes, nisi subinde à Deo excitarentur instaura-
tores. ut post Manassen, collapsum ferè regnum resti-
tuit Iosias. Hæc beneficia Dei qui considerant, ueris
& ardentibus precibus imperia adiuuant, sicut &
Paulus præcipit, 1. Timoth. 2. Adhortor uos preca-

ri pro regibus, & omnibus quæ præ sunt, &c. Finis etiam additur, Vt uita sit tranquilla: non ut in ocio uoluptatibus fruamur, sed ut regantur mores disciplina, & doceri Euangelium ac propagari possit, et Ecclesiæ crescant, & nomen Dei & Domini nostri Iesu Christi celebretur.

Præcipit & Ieremias Cap. 29. orari pro regno Babylonico. Quærite pacem ciuitatis, in qua eritis in exilio, & orate pro ea ad Dominum, quia in pace illius erit uobis pax.

Addo & hanc regulam traditam uoce Apostolorum: Oportet Deo magis obedire, quàm hominibus. Cum igitur mandant homines, seu reges, seu principes, seu pontifices, ut faciamus contra mandata Dei, non est obediendum, sed mandatum Dei anteferendum est, ut docet historia Danielis tertio.

Dixi præcipua, quæ in Ecclesia de causis & dignitate politici ordinis & magistratuum, sciri necesse est. Nunc etiam multa de officijs gubernatorum dicenda essent, sed non est nostri instituti complecti totam politicam doctrinam. Extant libri philosophorum & Iurisconsultorum, qui continent officia magistratuum. Nos tamen breui regula summam in dicabimus. Aristoteles erudite tradidit definitionem magistratus, paucissimis uerbis: quæ tamen euoluta, continet amplissimam doctrinam. ἀρετὴν ὅτι φύλαξεν αὐτὸν. Cum quæres, quæ sint officia magistratuum, cogita hanc definitionem, & tibi pingito magi-

Deo magis obediendū q̄ hominibus.

Magistratuum officia.

stratum, cui de collo pendeat tabulae duae legis Moy-
si. Harum custos esse debet politicus gubernator, quod
ad externam disciplinam attinet. Nam haec sunt sum-
mae leges, ex quibus caeterae honestae leges omnes, ut
necesse est plures esse quae uitam politicam & forum
regant, tanquam ex fontibus deriuantur.

Magistratus
legum custos.

Cum igitur magistratus sit custos legum, obtem-
peret eis ipse, & alios obtemperare cogat, & ea-
rum autoritatem fortiter defendat. Ideo enim à Deo
armatus est gladio. Ac ut discrimen intelligatur Ec-
clesiastici gubernatoris, & politici, & simul offi-
cia conspiciantur, hanc trado definitionem politici
magistratus. Magistratus est minister Dei, custodi-
ens honestam disciplinam externam sui coetus, &
pacem, & coercens ac puniens contumaces legiti-
mis poenis corporum.

Politicus ma-
gistratus qui.

Euangelij do-
ctor qui, & cu-
iusmodi ma-
gistratus ecclesi-
asticus.

Hic differentiae comparat inter Euangelij docto-
rem & magistratum. Euangelij doctor proponit uer-
bum Dei, & administrat Sacramenta, per quae De-
us audientes uocat ad uitam aeternam, & est in eis ef-
ficax. Deinde coercet & punit tantum uerbo Dei,
scilicet uoce Euangelij, & excommunicatione, sine
ui corporali. At magistratus custos est externae dis-
ciplinæ & pacis, & armatus gladio coercet & pu-
nit contumaces legitimis poenis corporum.

Cum autem dico, magistratum disciplinæ custo-
dem esse, intellige utramque tabulam Decalogi ei cu-
stodiendam esse: id est, non tantum est pacis custos,
uelut

uelut armentarius: nec tantum uentri, sed primum gloriae Dei seruiat, quod ad externos mores attinet, ut omnes politicae sanxerunt poenas aduersus periuros. multae etiam apud Ethnicos sanxerunt poenas aduersus Epicureos, seu Atheos, qui palam dixerunt nihil esse Deum, aut nullam esse prouidentiam Dei. Sed nos legem Dei sequamur, quae ait, Fugite idola. Item Leuitici 24. Qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur. Deutero. 12. Euercite aras idolorum, &c. Deute. 18. Non sint magi aut incantatores in terra.

Epicureismus
prohibitus.

Haec praecipua sunt iuris naturae, & pertinent ad secundum praecipuum, Non usurpabis nomen Dei uane. Nec enim habebit Dominus hunc insonantem, qui nomen Dei uane usurpauerit. Haec sententia omnibus hominibus, imò omnibus creaturis intelligentibus concionatur. Sui quisque loco prohibere manifestas Dei contumelias debet. Quare & magistratus prohibere & punire debent Epicureos sermones, idolorum honores, periuria, foedera demonum, professionem impiorum dogmatum. Id praecipiunt & haec dicta: Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram, Seruite Domino, &c. Et Prouerb. 25. Aufer impietatem à uultu regis, & firmabitur iustitia thronus eius. Et 1. Regum 2. Glorificantes me glorificabo, & contemnentes me redam contemptos.

Magistratus
officium.

Ideo non solum reges pii in Iuda, sed etiam aliarum gentium

gentium reges, postquam didicerunt ueram de Deo doctrinam, prohibuerunt contumelias ueri Dei, ut Nabogodonosor, & Darius Medus. Ita & Constantinus & Theodosius recte fecerunt, cum delerent idola. Etsi enim magistratus non iudicat, nec mutat arcanas opiniones in mente, tamen externa delicta prohibere debet, propter gloriam Dei, & ne plures corrumpantur licentia & exemplis.

Ecclesiis &
Dei cultū etiā
magistratibus
curare esse de-
bere.

Quare reges, principes, & magistratus etiā hoc tempore inspiciant Ecclesias, & curent eas recte doceri, ut flectantur animi hominum ad ueram Dei inuocationem, & ad alia pietatis officia, & prohibeant coli idola, ac doceri & confirmari falsas opiniones pugnantibus cum Euangelio, à quocumque genere hominum sparguntur. Obtemperemus uoci æterni patris, præcipienti de Domino nostro Iesu Christo, Hunc audite. Amplectamur ergo & illustremus Euangelium Domini nostri Iesu Christi, reiectis ethnicis, Iudaicis, Turcicis, & hæreticis furoribus.

Auferant principes ex Ecclesia ethnicam doctrinam Papæ, ethnicos ritus inuocationis mortuorum, & horrendas prophanationes coenæ Domini. Id præcipiunt mandata Dei æterna & immutabilia, Non assumes nomen Domini tui uane. Item, Hunc audite. Impertit Deus magistratibus societatem sui nominis, hanc ipsam ob causam, ut res diuinas, id est ueram Dei noticiam & inuocationem, iustitiam & pacem tueantur. Quomodo dici possunt uicarij Dei,

Magistratus
quomodo ui-
carij Dei.

si Dominum nec agnoscant ipsi, nec ab alijs agnoscirent?

Alibi autem longiore disputatione ostendi, pertinere emendationem Ecclesiarum ad magistratus officium, præsertim cessantibus Episcopis, aut aduersantibus Euangelio. Quod enim aliqui dicunt, Magistratum prophanum non esse iudicem controuersiarum de dogmatibus: uera & explicata responsio est, Ecclesiam esse iudicem, & sequi normam Euangelij in iudicando. Cum autem magistratus pius uere sit membrum Ecclesiæ, iudicet & ipse cum alijs pijs & eruditis, iuxta normam quam dixi. Omnibus Ecclesiæ membris dictum est, Cauete à pseudo-prophetis. Itē, Si quis aliud Euangelium docebit, anathema sit. Quare ut cæteri pii, ita magistratus considerent dogmata: & si quis falsas & impias opiniones serit, aut defendit, hunc iudicent esse anathema, & compescant. Valde errant principes, si hanc curam non pertinere ad se arbitrantur.

De cæteris officijs magistratum, id est, de morum ciuilium gubernatione, de pacis defensione, de forensi seu prætorio munere, de seueritate, de epikia, de œconomia, seu de quaestorio munere dicendum est ab alijs artificibus, uidelicet à Iurisconsultis. Euangelium monstrat causas & dignitatem politici ordinis, & in genere docet magistratus ut obtemperent mandatis Dei, quia pariter Deus præcipit regibus, principibus & populo, pariter iudicabit

Euangelium
quæ magistra-
tib, præcipiat

bit reges, principes & populum. Sicut scriptum est: Ite, prædicate Euangelium omni creaturæ. Et Zach. 10. dicitur, Super pastores iratus est furor meus. Et Micheæ 3. Audite Principes domus Iacob, propter uos Sion quasi ager arabitur. Et Ezech. 33. Propterea pastores audite uerbum Domini, &c.

Tantum unam admonitionem adijciam. Non licet regibus, principibus & magistratibus facere contra ius diuinum, & contra ius naturæ. Est autem & diuini & naturalis iuris hoc præceptum, Non furtum facies. Hæc uox discernit dominia, & suos cuiusque possessiones, fundos, & res proprias cingit tanquam murus. Habet autem & populus res aliquas proprias iure diuino & humano. ab his arcet principes lex illa, Non furtum facies. Non existiment reges & principes licere sibi ex facultatibus subditorum, quantum uolunt rapere, aut nihil esse ciuibus proprium.

Non furtum
facies.

Principib. nõ
licere aliena
inuadere.

Deus in lege sua distinxerat dominia Israelitarum, & sanxit libertatem. Quare nõ licuit Achab, aut cogere Naboth ad uenditionem uineæ, aut expellere eum ex possessione. Sed hac lege arcebatur ab alieno, Non furtum facies. Et Deus uindex nominatim taxat hanc iniuriam, quod Achab alienam uineam occupauit. & punit eum memorabili exemplo, ut principes moneat, ut parcant ciuium facultatibus. Sicut Baptista dixit, Estote contenti stipendijs uestris. Debet populus ordinaria tributa, ut Paulus do

et Ro. 14. quæ Baptista uocat stipendia. Et cū Rei Tributa debe
pub. defensio, & aliqua probabilis causa nouas colla
ri magistraria
tiones postulat, ciues opitulari Ecclesijs et patrie iu
stum est. Locus uero in historia Samuelis de iure
regum, loquitur de stipendijs: non concedit infini
nitam licentiam principibus, rapiendi ex bonis ci
uium, quantum uolunt. quia tenent quædam pro
pria, iure diuino & humano.

Restant & quæstiones de contractibus, de qui Contractus
bus in genere sciant pij, contractus esse partem po
litici ordinis, & res bonas à Deo ordinatas. Imò pul
cherrima imago iudicij & uoluntatis Dei impressa
est contractibus. In his docet nos Deus, iustitiam, &
equalitatem esse: ut cogitantes de uoluntate Dei, scia Deus æqualis
mus eam iustam, id est æqualem esse æqualibus. Ty
ranni non sunt æquales æqualibus: sed aliquos pri
uato adfectu complectuntur, ceteros, seu pares, seu
meliores, negligunt. Hæc inæqualitas uocatur *πρὸς τὸν*
νόμον, quæ non est in Deo. Sed scito Deum æqua
lem esse, & tibi, & latroni in cruce, & Moyse &
Elie. Regulam proposuit, iuxta quam seruat æqua
litate. irascitur peccato in omnibus, ac rursus cer
tò recipit omnes confugientes ad mediatorem
Christum.

Cernitur & exemplū iustitiæ Dei, & equalita
tis, in placatione iræ Dei. Non sunt remissa peccata,
nisi æquale *ἀντὶ τοῦ* esset pro nobis, scilicet filius Dei.
De hac æqualitate quotidiani cōtractus, emptiones,
uendi-

uenditiones, mutuaciones, locationes, conductiones, deinde & delictorum compensationes admoneant.

Sicut particu-
la.

Postremo hæc ipsa æqualitas quæ in contractibus postulatur, docet nos de dilectione proximi: & interpretatio est particula, Sicut, in hoc mandato, Dilige proximum sicut te ipsum. id est, sit æqualitas inter te & proximum, non augeas tua commoda cū illius incommodo, non premas eum ut tua existimatio crescat, non decerpas de eius facultatibus, ut tuas cumules, deniq; nulla in re quæras *πλεονεκτήματα*, sed ames æqualitatem, tribuas proximo ea quæ tibi tribuenda esse iudicas.

Dixi autem alijs de contractibus, & nunc hanc regulam trado: ex fontibus doctrinæ iuris intelligi posse, qui contractus sint adprobandi, & in quibus seruetur æqualitas illa, quam sapiens & iustus Iuris consultus efficiendam esse censet.

Literarum &
scholarum cu-
ram præcipue
pertinere ad
principes.

Hic, & si nostræ cohortationes non multum auctoritatis habent, tamen hoc addam: ad Principum officium præcipue pertinere curam literarū & scholarum. in quibus literæ & artes Ecclesiæ necessariae traduntur, iuuandarum. Ideo Esaiæ 49. dicitur: Et erunt reges nutritores tui, & reginæ nutrices tuæ. id est, reges et principes, item reginæ, id est Respub. seu ciuitates præbeant hospitium & alimenta Ecclesijs, & foueant doctores ac discipulos doctrinæ de Deo, & earum artium quæ Ecclesiæ necessariae sunt. Pro hoc officio magna præmia proposita sunt.

Matthæi

seu ut paterfamilias ordinem pueris præscribit, quo primum mane preces recitant, deinde sumpto ientaculo discunt literas, postea faciunt operas aliquas domesticas: ita in publicis congressibus Ecclesiæ, ordinem aliquem natura hominum requirit.

Sed præter has utiles ceremonias, quæ propter *uoluntatem* institutæ sunt, subinde homines omnibus ætatibus multas addiderunt, partim superstitione, partim auaritia, partim consilijs tyrannicis. Et quædam aperte pugnant cum mandatis diuinis.

Cum autem humana infirmitas hos ritus ita admiretur, ut existimet eos summa opera esse, placantiam iram Dei: & horum admiratione fascinata, lucem Euangelij de mediatore Christo, & de fide amittat, & sequantur magnæ tenebræ & discordiæ in Ecclesia Dei: necesse est de his legibus & operibus iudicium Euangelij proponi, & illustrari.

Ac primum admoneo Lectorem in hoc loco non dici de legibus magistratuum ciuilium, aut officijs ciuilibus, quæ proprie pertinent ad gubernationem magistratuum ciuilium, & instituta sunt ad defensionem communem pacis et imperiorum tranquillitatem: sed de earum legum autoritate loquimur, quæ ab hominibus in Ecclesia cõditæ sunt, et iudicantur esse seu exercitia peculiaria pietatis, seu cultus Dei, ut coelibatus, certæ formæ ieiuniorum, *heretici*, &c.

Et si autem uiri politici non amantes Euangelium, tragicè queruntur labefactari legum autoritatem, quia
aliquæ

aliquæ laxantur: et disputant, exemplum perniciosum esse: tamen necesse est anteferri his querelis gloriam Christi, & salutem piorum, quos erudiri necesse est, ut lux Evangelij retineatur, & discrimen conspiciatur inter necessarios cultus Dei, & commentitias superstitiones.

Rituū discriminis necessaria cognitio.

Nec illa nos causa ab hac explicacione deterreat, quod multi abutuntur doctrina libertatis. Sed de utraq; re acerrime pugandum est in docendo. Necessaria doctrina diuinitus tradita, pure & fideliter exponēda est: & abusus, qualescunq; sunt, seuerè taxādi sunt: & castigandi sunt, qui prætextu huius libertatis, quæ Christi sanguine parta est, indulgent præuis cupiditatibus, & mores accersunt qui homines moderatos ab Evangelio deterrent. Tres igitur regulas recensēbo.

Libertatis doctrinæ abusus

Regulæ de ritibus obseruandæ:

PRIMA regula. Ut Heuæ peccauit obtemperās diabolo hortanti, ut contra Dei mandatum faceret: ita peccant homines qui obtemperant legibus aut edictis, quæ iubent facere contra mandata Dei, siue leges ille ab Episcopis, siue à Regibus, siue alijs Magistratibus, siue à diabolis propositæ sint. Vera est enim uox Apostolorū, Oportet Deo magis obedire, quàm hominibus.

Itaq; cum rex Babylonicus iussit auream statuā adorari, necesse fuit non obtemperare, & magna fidei constantia ostendere, quæ sit uera Dei ad-

ratio: ut tres Israelitæ fecerunt, ut narrat Daniel.

Ita Apostoli contra mandatum summi sacerdotis docent Euangelium, Actorum 5. et palim testantur, antefendum esse Dei mandatum.

Edicta pontificum & regum consideranda

Hic pij leges Pontificum & Regum edicta considerent, quæ iubent facere contra mandata Dei. Passim edicta impia proponuntur, ne puram doctrinam Euangelij audiat, legat, discat populus. Coguntur sacerdotes usitato more ad prophanationem multiplicem Cœnæ Domini in Missa. Pertinaciter retinetur inuocatio mortuorum: prohibetur coniugium sacerdotibus, cum tamē non omnes sint idonei ad cœlibatū, & Deus coniugiū præcipiat omnibus qui cœlibes non uiuunt sine aliqua labe, ut 1. Corinth. 7. clare dicitur: Vitandæ scortationis causa unusquisq; habeat uxorem suam. *Αὐτὰρ ὁ θεὸς τοῦ σώματος ἡμῶν ἑαυτὸν συνάξει ἐν ἑσέω. Et postea, ἀφ' ἑαυτοῦ ἵνα γαμήσῃ, ἢ προῦδαί.*

Iam cogita, quanta multitudo hominum his iniustus legibus oppressa teneatur, qui inuocare Deum propter labe conscientie non possunt, & auelluntur à Deo, ac ruunt in æternum exitium. Horribiliter peccant Pontifices & Reges, cum condunt leges impediētes ueram Dei inuocationem: hoc est, cum aliquid præcipiunt fieri, quod sine labe conscientie non potest fieri.

Sicut autē Heua peccauit obtēperans uoci diaboli: sic peccant reliqui, cū impias leges anteferūt mandato

dato

dato Dei, et sinūt sibi excuti uerā Dei inuocationē.

Nemo magnitudinem peccatorum, quæ hæc tristissima seruius adfert, satis deplorare potest, imò nulla est tanta hominum sapientia, quæ magnitudinem horum malorum satis intelligat. Iacet oppressa magna pars eius populi qui uocatur Ecclesia, tyrannicis legibus quæ stabiliunt idolorum cultus, errores, nefarias libidines, & impediunt ueram Dei inuocationem, et hæc leges defenduntur magna crudelitate suppliciorum. Interficiuntur homines honesti & pij multi, cum aliquam impiam legem uiolant. Multi pij sacerdotes propter coniugium crudeliter necati sunt, cum nulla barbaries unquam propter similem causam homines occiderit.

Ecclesie magna pars tyrannicis legibus oppressa.

* Etsi autem uociferantur uiri politici, nullas legum mutationes concedendas, ne sequatur extremum malorum ἀρχή, et postea labefactentur dogmata necessaria, & leges diuinæ: et obijciunt uetus præceptum, quod recitat Aristoteles in Politicis, *ὡς παρὰ πρὸ τῶν ἐπιμύθων*. Non negligenda parua initia, quibus paulatim fiunt accessiones: tamē illa æterna & immutabilis lex anteferenda est, Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Item, Fugite Idola. Quare necesse est, & in docendo taxare impias leges, et contra earum edicta obtemperare mandatis Dei.

Legum mutatio quatenus licita.

Non iam de seruitute corporum, aut rerum dico, feramus calamitates, quas negligentia aut asperitas parit in gubernatione ciuili, explicationes, fori confusiones,

Corporum ac rerum seruitus ferenda

Pygius.

Veritatē nul-
la sophistica
posse obrui.

fusiones, iniurias, bellorum mala. Seruitutē conscientiarum deploro, quæ impedit ueram inuocationem, & infinita agmina hominum aut in Epicureum Dei contemptum, aut in æternam desperationem impellit. Væ ijs, inquit Esaias, qui scribunt leges iniquas. Væ ijs etiam, qui nunc aut supplicijs, aut prestigijs sophismatum eas defendunt. Audet Pygius hanc turpissimam uocem edere, quæ extat in eius scriptis, Minus peccare sacerdotem scortatione se polluentem quam ducentem uxorem. His uocibus applaudunt sapientes quidam. At nequaquam inuocationi ueræ Dei, nequaquam saluti animarum anteferendæ erant superstitiosæ hominum leges, quarum manifesta est impietas. Etsi enim uasri quidam inurere fucos erroribus conantur, tamen quædam est adeo perspicua ueritas, ut nulla sophistica, nulla sycophantica obrui possit. Sunt ob oculos, miseriæ ortæ ex lege de cœlibatu. Nemo sanus sine gemitu & lachrymis cogitare potest, de obscuratione doctrinæ de pœnitentiâ, de fide, de uera inuocatione, de prophanatione cœnæ Domini, de inuocatione mortuorum.

Hanc de prima regula nō disputationem (res est enim manifesta) sed querelam, abrumpere cogor: quæ multo breuior et languidior est, quam qualē postulat magnitudo malorum, quæ ab impijs & tyrannicis legibus in Ecclesia tot iam seculis & orta sunt, & adhuc oriuntur, et deinceps orientur, donec liberabit Ecclesiã suam filius Dei Dominus noster Iesus Christus,

Christus, ostendens se uniuerso generi humano resuscitatis mortuis. Sed hunc Dominum nostrum oro, ut mitiget ærumnas Ecclesiæ, & aliquas sibi reliquias excerpatur, & mundet filios Levi: id est, excitet passim Doctores recte docentes, & non sinat extingui lucem Euangelij sui.

Secunda regula. Quædam opera sua natura sunt *ἀδιαφορα*, quæ nec præcepta sunt lege Dei, nec prohibita: ut non ueste carnis, uti ueste communi aut ueste monachorum. Et si autem facere *ἀδιαφορα* sine superstitione, concessum est: tamen legibus de adiphoris aduersandum est docendo, quia adsuuntur multi perniciosi errores. Et doctrinæ exempla in usu libertatis modestè ostendere, pium est. Recensebo autem breuiter septem errores, qui adsuuntur talibus traditionibus.

II
Adiphoris
preceptis qua
tenus paren-
dum.

Primus error: Multi docuerunt & docent ieiunia, & similes *ἀνομοιας* mereri remissionem peccatorum, tum culpæ, tum pœnæ. Hic error Pharisæicus facile capit animos populi, & obscurat lucem doctrinæ de beneficijs Christi proprijs, & de fide. Cum enim putant homines, mereri se remissionem peccatorum his suis ritibus, transferunt honorem debitum Christo in hos ritus, & aut inanem fiduciam aliquantisper concipiunt, aut alunt dubitationes quæ tandem eis sunt exitio.

Septem erro-
res adiphori-
ris adfuri,

1

Remissionem
peccatorū ri-
tus nō mereri

Ac præcipue propter hanc causam tam acriter dimicat Paulus, de abrogatione circumcisionis, &

aliarum ceremoniarum legis Mosaicæ, ne hæc lux doctrinæ in Ecclesia extingueretur, quod propter Christum mediatorem credentes habeant remissionem peccatorum, & reputentur iusti, & sint hæredes uitæ æternæ, non propter circumcisionem & alias ceremonias Moysi, aut similes. Et sæpe monet, ut caueamus, ne nouis ceremonijs humanis lux illa Euangelij obscuretur. Nec dubium est, hunc Pharisæicum errorem acriter taxandum esse.

2 Secundus error minus est conspicuus, sed tamen perniciosus. Quidam astuti nunc uident, non posse defendi priorem illum Pharisæicum errorem: ideo delabuntur huc, Etsi (inquiunt) non merentur hæc ceremoniæ remissionem peccatorum, tamen quia sunt bona opera & cultus Dei, defendantur hæc traditiones. ut in lege Moysi Nazaræorum abstinentia, etsi non merebatur remissionem peccatorum, tamen Deo placebat, & erat cultus Deo gratus, & præmia habebat. Hoc fucos recens iam quidam pingere traditiones didicerunt: qui tamen non de his adiphoris dimicant, sed alios tetros abusus stabilire conantur. Necesse est autem, pios hic cauere doctrinæ insidias. Magnus error in hoc ipso fucos inest. Non recte citatur Moysi exemplum, ingens enim discrimen est inter opera à Deo instituta & ordinata, & inter illa quæ homines excogitant, nec mandata nec ordinata à Deo. Erant cultus Dei, opera in lege ordinata, & si remissionem peccatorum non merebantur.

An nihilominus defendendi hæretus.

Doctrinæ insidias cauende.

At ^{id est} ^{proleia} excogitatae ab hominibus sine mandato Dei, nec fuerunt, nec sunt cultus Dei: sicut nec ethnicae ceremoniae & ^{παρηγορηται} fuerunt cultus Dei, & si multae fuerunt elegantissimae. Clamat Christus, Frustra colunt me mandatis hominum. Et cum aliis saepe Prophetae & Apostoli reijciunt ritus sine uerbo Dei institutos, tum uero 1. Timoth. 4. uocantur doctrinae demoniorum: cuius dicti atrocitas profecto pijs mentes mouere debet, ut considerent qua prudentia adiaphora recipi possint. Etiam si ordinis causa ritus aliqui honesti seruandi sunt, ut in Scholis lectionum ordo: tamen longe aliud est, ijs ritibus hoc decus tribuere, quod sint cultus Dei, id est opera quae Deus adprobet, ita ut se per ea iudicet honore adfici. Et tamen recepto hoc errore, amplius tribuitur: uidelicet, quod mereantur remissionem peccatorum.

Mandata hominum, doctrinae demoniorum.

Reijcit Deus ac detestatur hanc audaciam hominum, quae fingit cultus suo consilio. Vt Israelitae proponebant uituli figuram, & instituebant ritus suo consilio: sic & Ethnici fecerunt. quorum exemplum cur reprehenditur, si licet cuilibet suo arbitrio cultus Dei fingere. Sed hoc arcanum peccatum non intelligunt homines, nisi bene cognita Euangelij doctrina. Amant enim sua inuenta, & ornant multis praetextibus: nec solum tanquam disciplinam, sed etiam tanquam Sacramenta proponunt, per quae dicunt Deum efficacem esse. iaculant entusiasmos,

Cultus Dei fingere homines, abominabile.

Cur doctrinae
demoniorum
dicitur hi.

sicut Corybantes, Manichei, & nunc Anabaptistae. Tales furores comitantur admirationem traditionum humanarum, qui aliquo modo indicant, quare spiritus sanctus uocet eas doctrinas demoniorum: quia fascinati homines his ritibus, relinquunt ueram Christi agnitionem, fidem, & tolerantiam, & fingunt sibi noua dogmata & furores sine fine, ut fiebat à Marcionitis & Manicheis, & manifeste uidit fieri nostra aetas ab Anabaptistis, & fanaticis erroribus qui cum Pelargo passim uagabantur.

Cultus Dei
quid.

Etiam finis.

Tenenda est igitur definitio cultuum Dei. Cultus Dei est opus mandatum à Deo, seu certo Dei testimonio institutum, quo Deus pronunciat se honore adfici: faciendum hoc sine aut immediato, aut principali, ut Deo obtemperetur, et ut Deus celebretur, & quidem faciendum praeuolente fide in Christum. Operum primi praecipiti finis immediatus est, ut Deus honore adficiatur, innotescat & celebretur. Operum secundae tabulae finis immediatus est, nostri corporis & proximi defensio: ut pij militis finis immediatus est, ut praelietur pro salute communi, sed tamen principalis finis sit, ut Deum honore adficiat. At hypocritae fingunt immediatum finem esse cur die sexto non edant carnes, quia Deus iudicet se honore adfici per hunc ritum. Haec opinio commentitia est. Constituta igitur definitione, facile refutari possunt praestigiae, quas de cultu illi Aegyptiae & Eurybati, qui pingunt traditiones humanas, comminiscuntur.

Tertius

Tertius error. Insuper fingunt hypocritæ, perfections esse opera traditionum humanarum, hoc est opera meliora & magis placentia Deo, quam ea quæ Decalogus præcipit. Et hac persuasione prætererunt Monachatum gubernationi Ecclesiasticæ, politicæ, coniugio. Hæc amentia prorsus execranda est, & taxata est à Gersone.

3 Decalogi præceptis impie humanas traditiones præferri.

Quartus error. Addunt opinionem necessitatis, hoc est, fingunt necessariam esse observationem traditionum humanarum, etiam extra casum scandali: deinde hac persuasione eos qui non observant illos ritus, damnant tanquam desertores Ecclesiæ, seditiosos, schismaticos, auulsos à populo Dei, et exclusos ex Ecclesia. ut damnati sunt aliqui propterea, quod diem paschatos non seruarunt cum cæteris. Hanc opinionem de necessitate in primis oportet taxari, ne existimetur iustitia Euangelij esse talis externa politia: item ne oriantur discordiæ propter aliquam talium rituum dissimilitudinem. Donata est hæc in Euangelio libertas, nec potest aboleri humana autoritate. Sic Christus uult nos sentire, non necessarios esse ritus seu Mosaicos, seu humanarum traditionum: ut Coloss. 2. dicitur, Nemo uos iudicet in cibo, aut in potu, &c. id est, nemo obliget ac damnet conscientiam propter hos ritus.

4 An observatio trad. humanarum necessaria.

Et rursum: Cum mortui sitis cum Christo ab elementis mundi, id est à præceptis seu ordinationibus quibus hæc mundana uita regitur, cur adhuc tanquã

uixen-

uiuantes in mundo decreta facitis? Non contrectes, non gustes, &c.

Et ad Galat. 5. In libertate qua Christus uos liberauit, state, nec rursus iugo seruitutis implicemini. Iubet sententiã de libertate retinere, ne conscientie stulta carnificina excrucientur, aut excitet discordias, si quis nostros ritus humanos nõ obseruet.

5 Quintus error. Opinio necessitatis peperit maiores tenebras, scilicet *halosofandix* legis Mosaicæ. Postquam hæ persuasiones occuparunt animos, ut in lege Moyse necessariæ fuerunt ceremoniæ, ita nũc necessarias esse, regnum Christi transformarunt in politiam similem Iudaicæ. Vnum aliquem hominẽ præfecerunt uniuersæ Ecclesiæ, tanquam summum sacerdotem. deinde gradus sacerdotum, & externũ sacrificium finxerunt: addiderunt summo sacerdoti potestatem instituendi ceremonias, legem de coelibatu. Hæc tota *halosofandix* magnam caliginẽ animis of-fundit, & Legis & Euangelij intellectum obscurat, ac acerrime taxata est ad Galatas & ad Ebræos. Sacerdotes Leuitici significant nobis Euangelij ministros, & sacrificia Mosaica significant ministerium Euangelij, & in mentibus poenitentiam nouam iustitiam spiritus, inuocationem, confessionem, tolerantiam crucis, &c. ut Ioan. 4. dicitur, ueri adoratores adorabunt patrem in spiritu & ueritate. Et 1. Pet. 2. Offerite hostias spirituales, placentes propter Iesum Christum.

Mosaicæ legis æmulatio ridicula.

Sextus error. Accedit & hoc, quod Episcopi ar 6
 rogant sibi potestatem condendi traditiones, quam An Episco-
 tamen non concedit eis Euangelium. Sed cum hæret pisticat tra-
 persuasio, opera ab hominibus excogitata sine uer- ditiones con-
 bo Dei, cultus Dei esse: Episcopi quia præ sunt, ut ui dere.
 deantur augere studia pietatis, cumulât traditiones,
 ut fecerunt Gregorius primus, Innocentius, & mul-
 ti Pontifices, qui quidem leges etiam exasperarunt:
 & confirmauerunt opinionem necessitatis, ut suam
 auctoritatem amplificarent: dixerunt reos esse æternæ
 iræ Dei, si quis non seruet traditiones ab Episcopis
 conditas. Hunc errorem refutant sententiæ quas su-
 præ citauimus. Colof. 2. Nemo uos iudicet in cibo aut pro-
 tu. Et in Actis Apostolicis, Petrus grauißime obiur-
 gat eos qui ceremonijs Mosaicis onerare gentes uo-
 lebant. Quid, inquit, tentatis Deum, imponentes iu-
 gum ceruicibus discipulorum, quod neq; patres ue-
 strî, neq; nos portare potuimus?

Non est leue crimen, tentare Deum. est enim, nõ Tentare Deũ
 infirmitate labi, sed contemptu Dei, proposito ipsi graue crimen
 us uerbo, quasi cum eo certare aliud instituendo, nõ
 & ipsius sapientiæ nostram ante ferrere: ut
 mandauit Deus populo Israel, ne alibi sacrificarēt,
 nisi in eo uno loco, ubi collegium docentium & ar-
 cam esse uoluit. E contra humana sapientia ratioci-
 natur, seposito uerbo Dei. Atqui decet Deum ubiq;
 coli, & uarijs officijs, condamus ergo ubiq; sacella
 & aras, mactemus non modo pecudes, sed etiam ho-
 mines

Missarum &
coelibatus cu
mulatio.

mines, ut in re magna & difficili studium nostrum
conspiciatur. Tales fuerunt & sunt fontes cultus i-
dolorum. Ita recentior ætas cumulauit Missas, &
mandauit cœlibatum. Sed hic meminere pij uocẽ
Petri, quæ talium legum & opinionum defensionem
docet esse graue crimen. Non enim paruum erratũ
est tentare Deum, id est, nostram sapientiam ipsius
sapientiæ anteferre, & laceßere eius iram studio
querendi contraria ipsius uerbo, & certandi cũ eo.
Hæc sunt arcana mala, quæ politica sapientia non
potest iudicare. Sed nos in Ecclesia ea considerare
debemus, ut moniti subijciamus nos uerbo Dei, nec
nostris opinionibus regi uelimus.

7 Septimus error. Cum hæret opinio iustitiæ aut
necessitatis, de traditionibus humanis sequuntur a-
trocies discordiæ, ut olim disidia exorta sunt de die
Paschatos, & de fermentato. Et nunc Pontifices nõ
solum fulmen excommunicationis in sacerdotes ma-
ritos torquent, & iniusta asperitate distrahunt Ec-
clesiã: sed etiã Neroniana crudelitate interficiunt pi-
os sacerdotes, propter uiolatas iniustas traditiones.

Propter hos septem errores, seu omnes, seu ple-
rosq; defenduntur traditiones humanæ, ut testantur
libri eorum, qui se profitentur hostes esse nostrarum
Ecclesiarum. Quanquam igitur traditiones dere-
bus adiaphoris loquuntur, tamen hos errores retegẽ
& taxari mandat Deus, & passim Propheta, Chri-
stus & Apostoli taxant. Nec sint muti Doctores,

Errores non
dissimulandi
in ecclesia.

cū aut Ecclesia impijs cultibus polluitur, aut cōscientiæ laqueis traditionū humanarum implicantur.

Prodest etiā exemplo refutare hos errores, postquam doctrina de ueris cultibus mediocriter tradita est. Nam opinio superstitiosa tenacius hæret, si nulla exempla libertatis ostendantur. Ideo Paulus noluit Titum circumcidi, ut libertatis exemplum ostenderet. & Petrum arguit, exemplo confirmantem pertinaciam eorum qui Mosaicos ritus seruari uolebant.

Exempla etiam
refutandi erro-
res.

Et recitatur historia de Spiridione Cyprio Episcopo digna memoria. Cum ad eum uenisset hospes die ieiunij, nec subito emi aut parari cibi usitati talis die possent, iubet carnes quas habebat conditas adponi. Non uescor his hodie, inquit hospes, sum enim Christianus. Tum Spiridion: Et hanc ipsam ob causam te uesci decet, quia Christianus es. Nam omnis creatura Dei bona est, & nihil reiectum, quod cum gratiarum actione sumitur. Obtemperat hospes, & admonitus hoc exemplo discit, longe alios maiores cultus Deo præstandos esse, quàm hæc ciborum discrimina. Imò in hac ipsa coena præstat maiores cultus, agit Deo gratias, cogitat de libertate donata à Domino nostro Iesu Christo, qua non solum ab his ciborum legibus, sed multo magis ab alijs tristioribus uinculis nos liberauit, ac legem cruci suæ adfixit, ne nos damnet.

Spiridionis e-
piscopi histo-
ria.

Hæc cōmemorauī, ut pij sciant, cur & taxentur.

Sophistica ex
ecclesia ex-
plodenda.

Et exemplo uiolentur humane traditiones: Et hanc commemorationem errorum opponant nouis orationibus, qui nunc mira sophistica pingere traditiones humanas didicerunt. quæ si ualeret, similibus fucis etiam Ethnicæ religiones excusari possent. Sed explodatur ex Ecclesia amor sophisticæ, et scapham scapham dicamus, non ludamus uerborum prestigijs. Postquam autem errores qui hærent in traditionibus, monstrauiamus et reprehēdimus, nunc dicam quid de ritibus adiaphoris sentiendū sit, qui remotis illis erroribus, seruantur in Ecclesijs emendatis.

III
Ritus adia-
phori in eccle-
sijs emēdatis.
cuiusmodi.

Tertia regula. In Ecclesijs emēdatis reliqui sunt ritus aliqui adiaphori, quia huius uitæ actiones ordine aliquo distribuendæ sunt. Hominum natura inteligit et amat ordinem, qui quidem maxime decet Ecclesiam, et congressus publicos. Ideo Paulus grauis sine dixit 1. Cor. 14. πάντα ὡς ἑαυτοὺς καὶ κατὰ τὸ ἔν ἑν ἡμῶν. Non ordinem tantum, sed etiam singularem curam ornandi ordinis requirit. Quare addidit ὡς ἑαυτοὺς, ut uideamus quid personas, loca, tempora deceat: Maiore modestia in templis conueniatur, quàm in theatro. Actio et oratio decentium sit placidior et grauior in illo cœtu diuinitus conuocato, cui Christus et Angeli intersunt, quàm in scena.

Itaque dico ritus adiaphoros in Ecclesijs emēdatis seruandos esse, hoc sine, scilicet propter bonum ordinem: sed ita, ne addentur opinio iustitiæ, cultus, aut necessitatis, aut cæteri errores quos supra recen-
sui.

sui. Et sciendum est, extra casum scandali, uiolari has traditiones, sine peccato. Quæ autem scandala uitã da sint, paulo post dicam.

Gerson magna uarietate quæsiuit *iniquitas* tradi- tionum. Cum uideret ingentem acerrimum rituum, carnificinam esse conscientiarum in hominibus modestis: e contra uerò homines minus patientes legum, induere contemptum Epicureum uniuersæ religionis, quia tam multas traditiones seruare non poterant: fecit gradus. Aliæ, inquit, ornatus causa, aliæ necessitatis causa institutæ sunt. Sed illæ Gersonis mitigationes non leuant conscientias. Autoritas diuina uoce Apostolorum proposita leuat, quæ expresse reiicit opinionem iustitiæ et necessitatis. Rur- sus autem munitur publica tranquillitas hac doctrina, quod dicimus propter *uoluntatem* eos ritus, qui boni ordinis causa instituti sunt, seruandos esse: Et peccare homines petulantes, qui in Ecclesijs emendatis uiolant tales ritus cum scandalo. Hæc est uera traditionum *iniquitas*, quæ & leuat conscientias, & utilis est paci.

Aliqui homines natura feri, omnes leges tanquã carcerem oderunt. Hos certe prodest commonescere de causa legum, scilicet de bono ordine: & adhortari ut uitent scandala, nec se sibi tantum, sed etiam alijs, imò Ecclesiæ Dei uiuere debere sciant.

Alij uero placidi natura, & *horum*, & intelligentes se ad societatem natos esse, imò præcipuũ o-

Gersonis di-
stinctio.

Traditionum
tranquillitas.

Ordo in ritibus seruandis, & uitanda scandala.

Festorum dierum ordo.

Festorum ordo et in Deo obseruatus.

pus esse, conferre studium ad iuuandam & fouendā Ecclesiam, sua sponte honestos & utiles ritus seruant, & uitant scandala: & cum sciant singulari cōsilio & beneficio Dei publicos congressus Ecclesie institutos esse, & uelle Deum hanc frequentiam ornari, ut sonet publice in terris uox Euangelij, studēt ordinem, tranquillitatem, grauitatem horum cōgressuum in templis & in scholis tueri præsertim cū ordo sæpe ad docendam rudiores multitudinem con-ducatur. Vt series dierum festorum non temere instituta est. Nō enim omnes hystoriæ uno die recitari possunt. Sed aliam partem alio tempore proponi commodius est. Et cum distributio temporum congruit cum euentibus, non solum gratior est, sed etiam memoriam adiuuat.

Nec tantum homines seriem certam dierum seruauerunt, sed etiam Deus ipse quorundam festorum ordinem suis mirandis factis in ueteri & nouo testamento pariter seruauit. Vt agnum uoluit initio ueris maclari, ita eodem anni tempore Dominus noster Iesus Christus crucifixus est & resurrexit. Vt quinquagesimo die post exitum ex Aegypto promulgata est lex manifesto testimonio de monte Sinai, ita quinquagesimo die à Paschate datus est manifesto testimonio spiritus sanctus.

Nunc agitur annus à natali Christi 1544. Quare & Deus ipse, & Dominus noster Iesus Christus, & Propheta, & uniuersa Dei Ecclesia inde usque

Ab exitu ex Aegypto usq; ad hunc annū, diē Pascha
 os et Pentecosten tribuerūt certis sacris actionibus
 annos 3049. Hunc consensum Dei & Ecclesiae,
 & haec exempla intuens homo non Cyclopicus, iudi-
 cabit honestum esse adgregare se ad illum Dei et Ec-
 clesiae perpetuae coetum, & se uelut adesse specta-
 torem illorum euentuum cogitabit, quibus Deus il-
 la tempora insigniuit. Imò cogitemus hos pulcher-
 rimos congressus imaginem esse consuetudinis aeter-
 nae cum Deo, Christo, patribus, Prophetis, Aposto-
 lis, & alijs pijs.

Diei Paschae
 obseruatio.

Tales ritus utiles cum hoc modo sine superstitio-
 ne seruantur, profunt ad docendum. ubi enim nullus
 est ordo, nulla disciplina, doceri homines non pos-
 sunt. Necesse est autem doceri & audiri Euangelij.
 nam Deus non colligit aliter Ecclesiam suam, nisi
 uoce Euāgelij: nec aliter spiritus sanctus efficax est,
 nisi per Euangelium. Nec ulla est Ecclesia electorū
 cogitanda, nisi in hoc coetu uisibili, in quo Euange-
 lium recte & pure docetur. Ergo hic uisibilis coe-
 tus amandus & fouendus est, & retinendum est Eu-
 angelij ministerium, & fiant honesti congressus. Ad
 haec, ordine & ritibus aliquibus opus esse constat.

Euangelij do-
 ctina neces-
 saria.

Ecclesia uisi-
 bilis quae.

Imò & quilibet paterfamilias domui suae libe-
 ros mane & uesperis, legere aliquid & discere pre-
 ces cogat. Non abeat dies sine inuocatione, & si-
 ne gratiarum actione. Ideo enim conditi & redem-

pti sumus, ut Deū celebremus, et hæc exercitia pro sunt ad discendum, & excitant timorem & fidem. Et in his exercitijs meminerimus dictum Christi, Quanto magis pater uester cœlestis dabit spiritum sanctum petentibus? Quare doceri, regi & sanctificari nos spiritu sancto petamus. Idq; cum petimus, fieri certò statuamus: & meminerimus, spiritum sanctum efficacem esse cogitatione Euangelij.

DE MORTIFICA-
tione carnis.

Desunt aliqui leges de ieiunijs, satisfactionibus, ut uocarunt, & Monachorum superstitionibus, prætextu sententiarum quæ de mortificatione concionantur. Cum mortificatio, inquiunt, sit bonum & pium opus, cur non laudentur etiam hæc leges humanæ de ieiunijs et similib. ritibus. Hic rursus hypocrisis struit insidias ueræ doctrinæ, et ueris cultibus. Discernantur mandata diuinitus ab hominum mandatis, ac consideretur quid uere Paulus uocet mortificationem, nec transferamus uocabulum rerum magnarum quas Deus præcepit, ad fuitiles et ociosos ritus, ut omnibus ætatibus hypocritarū arrogantia insignis titulis suas ceremonias ostentauit & uenditauit.

Mortificatio
quid.

Mortificatio significat aut patientiam mandatā à Deo in ueris doloribus, sensu iræ Dei, paucibus et afflictionibus: aut temperantiam mandatam à Deo, frenat-

niorum non eijcitur, nisi ieiunio et oratione. Ephe. 6. Educate filios in disciplina & doctrina Domini. id est doctrinam de Deo iuuentuti tradite, & assuefacite eam pia disciplina, regite mores, ut sint modesti, casti, pii, & exercete eos certo et honesto labore, ne ut fieri solet, ocium & luxus pariant scelera excutientia spiritum sanctum.

Liberum cui
uis eligere
pia exercitia.

Siue igitur mortificatio tolerantiam in cruce, siue temperantiam significat, loquitur de mandatis operibus. Sed illud uerum est, liberum esse cui libet, priuatim eligere exercitia honesta, et conuenientia suae aetati, & uiribus suis, ut & scholae gubernatori liberum est instituere lectionum et disputationum ordinem. Ideo & Paulus inquit 1. Corinth. 9. Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, & c. hoc fine, ne intemperantia impediatur spiritum sanctum, intentionem animi in inuocatione, in studijs, in negocijs. nec immediatum finem ieiunij hunc constituit, uidelicet ut putet Deum tali opere, honore adfici.

Temperantia
in genere pra
cepta.

Ac temperantia in genere praecpta est, sed exercitia alia alijs congruunt. ideo horum electio libera sit. Aliter senes occupati curis, doloribus, negocijs, & imbecilles regant corpora: aliter iuuenes uegeti, non confecti angoribus. ut Dauidi ante exilium magis opus erat exercitijs, quam postea, cum magnitudine dolorum fractus, uix languida membra semiuiuus traheret. Bona ualetudo corporis, & sensuum
uigor,

uigor, eximia Dei dona sunt, necessaria studijs & negotijs. Ideo tuenda sunt, nec ledendum est corpus aut ingluuie, aut nimia inedia. Et Paulus honorem habere corpori iubet.

Cum igitur magna sit dissimilitudo, Ecclesia non fert leges, quibus unum modum ieiuniorum aut exercitiorum præscribat: sed in genere præcipit temperantiam, & simul monet, ne superstitiose exercitia transformentur in cultus: & iubet discrimen teneri inter opera à Deo mandata, & exercitia electa à nobis. Ideo Paulus inquit 1. Timoth. 4. Exerce te ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas uero ad omnia utilis est. Grauißima admonitio est, discernens necessaria opera & à Deo mandata, ab exercitijs electis nostro arbitrio. Iubet autem longe anteferri opera à Deo mandata. Pœnitentiam, timorem Dei, fidem, inuocationem, confessionem, patientiam, castitatem, temperantiam, diligentiam in uocatione: has uirtutes, inquit, ad omnia utiles esse, id est Deus in hac uita compensat & ornat has uirtutes magnis bonis, maiore luce & sapientia spiritali, robore fidei, consilio, cõsolatione, successu in gubernatione publica & domestica, castitate, pace, uictu. Et post hanc uitam, præmia æterna dabuntur.

At corporum exercitatio ad modicum utilis est. intelligit autẽ hæc exercitia à nobis electa, ut si quis in die semel tantũ, & pauxillũ uelit edere. Hæc cum

Exercitia à Deo mandata non eadem cum electis à nobis.

Corporalis ex
cercitij usus,

sine superstitione fiunt, non prorsus abijcit, sed infra opera mandata à Deo collocat. Profunt enim aliqua ex parte, uidelicet quia in sobrijs maior est intentio animi, in inuocatione, studijs, negocijs. Conuiuia, sodalitia, sermones prophani laxant animos, ut facilius admittant incendia cupiditatum: ut accidit Dauidi in ocio. Et noti sunt uersiculi,

Ocia securis insidiosa nocent.

Cura fugit multo, diluiturq; mero.

Et Seneca de sodalitijs inquit: Nunquam mores quos extuli, refero.

Ebrietas,

Ebriosis nec mente nec corporibus sustinere curas rerum magnarum possunt, amittunt tempora idonea rebus gerendis, facile incauti ruunt in magna scelera. Sed hoc omnium tristissimum est, quod inuocatio Dei in temulentis extinguitur.

Occasiones
lapsuum uitanda.

Est autem dictum usitatum non aspernandum: Vitare peccata, est uitare occasiones peccatorum. Ideo bonæ mentes intelligant lapsuum occasiones, & causas *πολυπραγμολιῶν*, & sua quadam diligentia uitent pericula, ne nimium implicent se sodalitijs, ament temperantiam, & certos ac utiles labores suscipiant, quibus subinde misceant inuocationem Dei.

Multum etiam ualetudini & moribus prodest, nō confundere ordinem temporum à natura præscriptum: ut multi totum diem partim somno, partim conuiujs tribuunt, deinde noctu uacant studijs aut negotijs. Vere inquit Seneca: Hoc est luxuriæ propositum,

positum, gaudere peruersis, nec tantum discedere à recto, sed quàm longissime abire.

Nec cessat diabolus cum uidet animos cura uacuos esse, sed offert et ipse aliquas lapsuum occasiones. Hæc mala cauenda sunt & nostra diligentia, & petitione gubernationis diuinæ, sicut scriptum est: Quanto magis dabit spiritum sanctum petentibus.

Monachi conati sunt regulis comprehendere exercitia huius diligentia. Sed accesserunt superstitiose & stultæ opiniones, & uarietas hæc non potest legibus comprehendere, ideo non defendantur traditiones de discrimine ciborum hoc prætextu. Sed boni & sapientes concionatores sæpe moneant de hac diligentia iuuentutem. Et præceptores coercere eam disciplina, quantum fieri potest, studeant, ac Principes adiuuare nos in disciplina tuenda debebant. hæc de mortificatione & de disciplina breuiter monui, ut hypocrisi reiecta, ueras uirtutes & utilia exercitia intelligere & amare discamus.

DE SCANDALO.

Vocabulum Græcum est *σκάνδαλον*, factum à *σκάνδαλον*, id est claudico. Significat enim offendiculum, id est quiddam ad quod impingens labitur, seu trepidat.

Est autem scādalum, dictum, aut exemplum quo alius fit deterior, seu quia error in eo confirmatur, seu quia imitatur malum exemplum, seu quia flammæ maiores odij aduersus Euangelium concipit.

Scandalum
quid,

Hæc uocabuli expositio primum consideretur. nam ecclesia sic utitur adpellatione scandali. Alijs scriptoribus hic usus ignotus est, qui dicerent exempla, seu παραδείγματα nocentia. Et correlatiuum scandali est offensio, ac interdum promiscue scandalum quod significat obiectum, pro ipsa offensione sumitur.

Scandalū duplex.

Duplex est autem scandalum, seu duplex offensio. Prior offensio est pharisaica, seu (ut uocant) scandalum acceptum, uidelicet cum impij irascuntur ueræ doctrinæ Euangelij, aut honestis ac necessarijs factis, ut cum nolunt proponi ueram doctrinam, & taxari errores, aut nolunt aboleri cultus idolorum, nolunt sacerdotem pium honeste in coniugio uiuere.

Cur impij uera doctrina offendantur.

Sunt autem uariæ causæ, cur impij ueræ doctrinæ, aut illis necessarijs mutationibus irascantur. Alij pugnant de uentris commodis: ut qui quæstus magnos qui erant ex Missis, aut ex inuocatione mortuorum, diminui nolunt. alij de autoritate dimicant: alij fascinati persuasionibus suis, nolunt ea quæ ipsi mirantur & probant, taxari: ut fascinati admiratione suæ iustitiæ, nolunt audire hanc uocem, homines non esse iustos propter propriam dignitatem & mundiciem. Viri politici quia uident ex dissensionibus opinionum oriri distractiones principum, bella, & perturbationem disciplinæ, nolunt moueri ullis de doctrina disputationes.

Exempla autem talium offensionum omnibus Ecclesiæ

clesie temporibus multa fuerunt, sunt, & erunt. Sa-
 cerdotes aduersabantur Ieremie prædicenti excidi-
 um Ierosolymæ, & prætextus speciosos habebant. Hypocritarum
offensiones
semper in Ec-
clesia, cuius-
modi.
 Christo & Apostolis aduersabantur pleriq; omnes,
 qui eruditione & autoritate in populo Iudaico an-
 tecellebant. Et speciosis causis mouebantur, uidebāt
 aboleri legem Mosaicam. Existimabant autem sum-
 mum scelus esse, Legem unam & solam in toto gene-
 re humano, traditam à Deo, deleri, & uidebant ex
 ea re secuturum esse interitum illius pulcherrime po-
 litie non à Solone, non ab Augusto, sed clara uoce
 Dei, & certis testimonijs Dei constitutæ. His cau-
 sis uehementissime motos esse omnes sapientes in il-
 lo populo, non dubium est, præsertim fascinos per
 suasione de regno Messie mundano.

Etsi autem & ipsis Apostolis dolorem adferebat
 interitus populi, tamen hanc offensionem hypocri-
 tarum negligunt, & fortiter se opponunt iudicijs il-
 lorum, & clare profitentur magis obediendum esse
 Deo quàm hominibus: obtemperant mandato Chri-
 sti, qui eos colligere Ecclesiam uoce Euangelij iusse-
 rat. Errores de Deo & idola taxari necesse est, uel si
 fractus illabatur orbis. Oportet enim anteferri pri-
 mum & secundum mandatum, omnibus humanis re-
 bus, uitæ nostræ, fortunis nostris, famæ nostræ, pa-
 ci Reipub.

Hinc regula hæc tenenda est: Necesse est confite-
 ri ueram doctrinã, & fugere idola, & facere opera Regula in im-
piorũ scanda-
lo obseruanda,
 man-

mandata à Deo, etiamsi fremunt & repugnant impij, & cōcipiunt maiores flammās odij aduersus Euangelium, & quanquam disidia tristia oriuntur ex impiorum pertinacia. Peccant autem impij aduersantes Euangelio, & causæ sunt disidiorū ipsi, qui cedere ueritati debebant: non peccant hi qui iuxta uocationem recte docent, aut confitentur Euangelium. Vt peccabat Pharao, magno furore repugnās uoci Dei, per Moysen sonanti, & testimonijs Dei: non peccabat Moyses, etiamsi totam Aegyptum discordia illa perdidit.

Hac regula pij se in Ecclesiæ certaminibus semper consolati sunt. Estq; nobis hac consolatione opus hoc tempore. nam moderatis ingenijs dolorem adfert ipse conspectus dissipationum, & conuicia illa quæ in nos conferunt hypocritæ non facile est cōtemnere, cum nos hostes Dei, Ecclesiæ, parricidas, seditiosos, deniq; pestes humani generis uocant.

Aduersus hæc tristissima iudicia necesse est claris testimonijs diuinis muniri animos.

Matth. 4. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruiēs. Non sequaris deos alienos. Diserte discernitur uerus Deus, qui se patefecit in populo Israel, à commentitijs numinibus, cum ait: Hunc Iehoua, qui tibi uerbum suū tradidit, & testatur se uere Deum esse, mirandis factis, quibus eduxit te ex Aegypto, inuoces: non alios commentitios, qui sine hoc uerbo tradito per prophetas coluntur. Et 1. Corin. decimo

Testimonia
quibus piorū
animus muni
ri debeat.

decimo, Fugite cultum idolorum. Hæc præcepta cõstat prorsus immutabilia esse. Et sæpe repetitur hæc concio à Prophetis. Osee 13. Ego autem Dominus Deus tuus qui eduxi te è terra Aegypti. Et Deum præter me nescies, & saluator non est præter me.

Necesse est igitur inuocare uerum Deum, & fugere idola, nec stabilire ea nostra comprobatione. Et hæc mandata summa anteferenda sunt omnibus rebus, nostræ uitæ sanæ, paci publicæ, uitæ liberorum, beneuolentiæ Principum.

Matthæi 10. Qui me negauerit coram hominibus, negabo eum & ego coram patre meo cœlesti. Et additur consolatio, ne frangamur metu disidiorum: Veni separare hominem à patre suo, & filiam à matre sua.

De magnis rebus & magnis periculis concionantur hæc sententiæ. Præstandum est igitur, ut ueras & firmas sententiis defendamus, nec moueamus tumultus, nec turbemus Ecclesiam falsis opinionibus, aut inanibus sophismatum præstigijs, quas interdum excogitant ingenia petulantia, incensa uel ambitione, uel cupiditate uindictæ.

Ad Galat. 1. Si quis aliud Euangelium docebit, anathema sit. Extremum omnium conuiciorum est, anathema, sicut apud Græcos catharma seu ἀνάθος. Anathema, significat autem quiddam ita pollutum, & à Deo damnatum, ut nisi tollatur, totæ gentes magnis calamitatibus, bellis, fame, pestilentia, discordijs ciuilibus,

bus, & infinitis confusionibus puniantur. ut de Sodomis, aut Lampfaci idolo cogitamus, ubi Priapus colebatur.

Alastores, im-
piorū dogma-
tū defensores

Tales alastoras esse defensores impiorum dogmatum, Paulus adfirmat. Quod facilius intelligi potest, cum exempla intuemur illorum qui manifestos & tetros furores defenderunt, aut defendunt, ut Manicheos, Samosatenum, Arium, Mahometum, regem tragicū Anabaptistarum, qui uxorē gravidam interfecit, & per seditionem se regio titulo & corona ornauit, & regnare se in Ecclesia Dei iactitauit.

Anabaptista-
rum rex.

Vt autem Pharisei Christum & Apostolos iudicabant tales pestes esse humani generis: sic hypocritæ ardentes odio Euangelij, nunc quoque de nobis, qui puram Euangelij doctrinam proponimus, sentiunt. ut fulmina excommunicationum, & scripta Eccij, Cochlei, Alsonsi, & similium ostendunt. Cum autem similia iudicia magnorum & sapientum hominum ualde excrucient moderatos homines recte sentientes, hanc Pauli consolationem teneamus, qui adfirmat non Euangelij studiosos, sed hostes, uere esse anathemata, maledicta, alastoras. Quare uitāda est eorum societas, ne contagium noceat pijs.

Hypocritarū
societas uitā-
da.

Et Esaias inquit Cap. 51. Ne timete probra hominum. Et ad Abraham dicitur, Benedicam benedictibus tibi. Et Psalmus tristissimam maledictionem hostibus Euangelij minatur, cum ait, Induit maledictionem uestimentum. Et consolatur pijs, ne fulmi-
nibus

nibus execrationum hostilium moueantur: Maledicent illi, & tu benedices. Hanc admonitionem hoc tempore necessariam esse duxi.

Dixi iam de Pharisaica offensione. Nunc de altero generi scandali dicendum est, quod uocatur datum, de quo Matth. 18. dicitur: *Vae homini per quem uenit scandalum.* Est autem, aut falsa doctrina, aut malum exemplum, quod alijs nocet, uel quia licentiam in alijs confirmat, uel quia alios ad imitationem inuitat, uel quia deterret aliquos ab Euangelio, uel quia præbet occasionem maledicendi Christo, aut Ecclesiæ Dei, uel quia serit alia plura peccata. Talia scandala fuerunt inde usq; à lapsu primo Heuæ, sunt & erunt, falsæ doctrinæ, idolorum cultus, hæreses, humanæ traditiones quæ sine peccato seruari non possunt. Item mala facta, quæ serunt alia scelera quoquo modo.

Scandali alterum genus.

Regula 2.

Et de hoc secundo genere teneatur certissima regula. Hæc scandala, id est falsas doctrinas, & praua exempla, uerè peccata esse, damnata hac uoce Christi, *Vae homini per quem uenit scandalum.* Quare hæc scandala, magna cura & uigilantia uitanda sunt. Hic autem cogitent pij, quanta multitudo diabolorum & hominum rea sit & fuerit propter huius generis scelera. Ac consideremus exempla quedam, ut discamus formidare magnitudinem peccatorum, cum uidebimus ab uno delicto oriri infinita peccata & pœnas, & in ipsis pœnas cumulari peccata.

Peccata alia ex alijs nasci.

cata. O miseriam humani generis inenarrabilem.

Primorū parē
tum lapsus.

Primus autor scandali huius generis fuit diabolus, cum decepit Heuam. Deinde à lapsu Heuæ & Adæ quantū mali ortum est? Diabolus triumphauit aduersus Deum, quod hoc Dei opus horribiliter destruxisset, & auxisset contumelias aduersus Deum grassaturas in genere humano. Præterea propter lapsum primorum parentum secuta sunt omnia totius generis humani scelera, & multorum hominum æternum exitium. Cum uiderunt Heua & Adam necem filij Abel, agnouerunt à suo peccato id triste spectaculum ortum esse. Ita unum peccatum trahit secum ingens agmen scelerum & pœnarum.

Dauidis adul
ter.um.

A Dauidis adulterio quanta scelerum & calamitatum moles orta est? Primum inter se filij dimicarunt, postea filius mouit seditionem aduersus patrem, polluit coniuges patris, matronas quæ fuerant plenæ spiritu sancto. Perdidit multa milia ciuium. Hic quales triumphus fuerunt diabolorum, quæ morsio fuit piorum, quantum contristatus est spiritus sanctus in bonis mentibus. Et credibile est, hunc dolorem multis pijs attulisse mortem. Pater certe sensit huius uulneris magnitudinem, qui intellexit se tot scelerum reum esse, se esse fontem horum malorum, se esse maledictum, anathema, alastorem populi Dei. Nec fuit ei facile eluctari ex hoc dolore, cum irā Dei sentiret. Sed uicit tandē, adiutus à Messia: sic clamabat, Beati omnes qui confidunt in eo. Hæc exē
pla

pla recito, ut tantorū malorum cogitatio metū iræ
 Dei in nobis excitet, & ut sua quisq; scandala men-
 te intueatur, & meminerit in uno delicto multa in-
 uoluta esse, & in ipsis pœnis cumulari peccata. Ni-
 hil paruū, inquit Hippocrates, nihil contemne. Et
 Thucydides inquit de bellorū erratis, *ἡ δὲ δὴ γὰρ πολλὰ*.
 Hæc multo ueriora sunt de hominū peccatis, sed se-
 curitas humana magnitudinē suarum miseriarū &
 iræ Dei non agnoscit. Verum ideo non solum uoce
 nobis concionatur, sed etiam tristissimis pœnis, ut
 eius iudiciū aliquo modo agnoscere & timere inci-
 piamus, & admoniti uoce Dei & nostris calamita-
 tibus non nihil ex tenebris eluctemur.

Peccata cu-
 mulari in pec-
 catis.

Plerunq; autem plus nocent doctrinæ scandala,
 quàm morum delicta. ut in initio diabolus Heuæ leta-
 le uulnus fecit, offundens falsam persuasionem. Et
 omnibus temporibus postea Ecclesiam horribiliter
 dissiparunt autores impiarum opinionum, qui do-
 cuerunt idola coli, aut sparserunt blasphemias &
 hæreses. Quanta agmina animarum traxerunt in
 æternum exitium, Arius, Manichæi, & alij multi
 heretici?

Doctrinæ
 scandala.

Nulla mens humana magnitudinem malorum
 cogitare potest, quæ his ultimis mundi temporibus
 orta sunt à Mahometo, & à pōtificibus, qui depra-
 uarunt cœnam Domini, qui stabilierunt inuocatio-
 nem mortuorum, qui Euangelium de fide & uera
 inuocatione Christi falsis opinionibus obrui permi-

serunt, qui legem de cœlibatu sacerdotum & uota defenderunt.

Cœlibatus
perniciosa
lex.

Anabaptista-
rum uirus.

Vna lex cœlibatus, quàm multorum conscientias sauciavit, ne possent inuocare Deum, & in his plurimi æterno exitio oppressi sunt. Et recens anabaptistarum uirus multos perdidit, & adhuc perdit. Horum horribilium exemplorum mentio ideo hic facienda est, ut bonæ mentes cogitent, non tantum mala exempla morum, sed etiam falsas opiniones scandala esse damnata à Deo, & diligenter uitanda. Ac de utrisq; concionatur Christus, Væ homini per quem uenit scandalū. Nec tantum humanæ diligentiae est, uitare hallucinationes & errores doctrinae: sed ardentibus uotis asiduè petendū est à Deo, ut luce Spiritus sancti regat mentes nostras, ne implicentur erroribus, sicut toto Psal. 118. petit propheta: Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo. Et Christus inquit Matth. 26. Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.

Doctrina ue-
ra necessario
proponenda.

Haecenus dixi de necessario faciendis, & necessario uitandis, nondum dixi de adiaphoris. Manifestum est, doctrinam ueram necessario proponendam esse, nec propter impiorum offensiones tacendam esse. Sic pius sacerdos ducat honestam coniugē, nec deterreatur offensionibus Pharisæicis.

Sed hic tertia regula addenda est, de adiaphoris, ut de esu carnium die sexto, aut similibus ritibus inu-
tili-

tilibus, de his sic sentiendum est.

Primum doctrina quæ monstrat ueros cultus, et taxat commentitios, et causam ostendit libertatis in adiaphoris, proponenda est. Nam qui non didicerunt causam libertatis, et adhuc putant ritus illos esse cultus, cum dubitatione conscientie uiolant traditiones. Omnis autem dubitatio conscientie impedit inuocationem. Quare apud eos qui doctrinam non audierunt, et sunt homines modesti et dociles, non subito mutanda est consuetudo, sed prius doceri eos utilius est, sicut Paulus inquit: Infirmum in fide assumite, non ad dubitationes, id est, Homines dociles, qui amplexi sunt Euangelium, sed tamen adhuc aliquid dubitationis habent de his cultibus, erudite et confirmate, ut sciant se non peccare abiectis his ritibus. Ideo autem confirmentur, ne si cum dubitatione abijciant, conscientie fugiant Deum, et excutiantur fides et inuocatio. Verum quando sit utile mutationes facere, iudicium est pie mentis, tantum absit petulantia.

Postquam autem doctrina de ueris et falsis cultibus et de libertate iam proposita est, concedendum est exempli causa, ut inutiles ritus abijciantur: nec pertinacia eorum laudanda est, qui cum agnoscant doctrinam ueram esse, tamen acerbe flagitant omnes ritus.

Hæc pertinacia multiplex scandalum est, quia confirmat hostes ueræ doctrinæ, et adducit imbecilli-

Regula 31

Pertinacia in ritibus scanda-
dolum,

cilliores in dubitationem, qui metuunt non probari usum libertatis illis qui doctrina uel autoritate antecellunt: et cōtristatur interdum Spiritus sanctus in imbecillioribus, cū dolent se accusari leuitatis. Hac de re prodest recitare historiam, quæ extat in quinto libro Eusebij.

De Attalo & Blandina, historia.

Nobilissimi coniuges, Attalus & Blandina, Lugduni in carcere erant, propter Euangelij professionem cōprehensi: ac sæpe producebātur in loca suppliciorum, ut flecterentur ad abiiciendā Christi inuocationem. Erat autem unā alius quispiā Christianus in carcere, qui singularibus exercitijs se macerabat, non uino, non carne utebatur. Hic Attalo diuina reuelatione mandatum est, ut diceret illi duriori, ut communibus cibis uteretur, nec singulare exemplum cæteris proponeret, & ratio addita est, quod rudiores existimarent hæc discrimina ciborum esse præstantiorē cultum Dei, quem errorē taxari proficit, non confirmari.

Attalus reuelationem illi duriori & cæteris in carcere exponit. quare & ille obtemperat, & cæteri hac uoce admoniti, erudiuntur & confirmantur. Hæc historia grauem causam recitat, cur horū pertinacia, qui intelligunt discrimina cultuum, non sit probanda, ne scilicet error in ignari, & dubitationes in imbecillioribus confirmentur.

Etsi autem illa duricies interdum est quædā grauitatis simulatio, tamen sæpe alias habet ueras causas.

sis. non seruit Deo, sed aucupatur beneuolentiã potentum, qui aduersantur Euangelio.

Multo etiam magis peccant, qui cum hostibus Euangelij colludunt, premunt recte docentes, impediunt ante Euangelij cursum, & significant se alium Ecclesie statum desiderare & expectare. Et hi in his controuersijs uideri uolunt iusti censors, neutri parti addicti, integri, incorrupti. Sed meminisse debebant uocem Christi: Qui non colligit mecum, dispergit.

Colludentes
cum Euange-
lij hostibus.

In ciuilibus controuersijs hoc fieri potest, ut nõ sumas tibi iudiciũ de alterutra parte. nihil enim opus est singulis, scire a'iena negotia. Non opus erat Pomponio Attico, quærere utrius, Pompeij an Iulij causa iustior esset. Sed de controuersijs doctrinæ necesse est singulos pios iudicare, amplecti, & profiteri uera, iuxta illud: Si quis aliud Euangeliũ docet, anathema sit. Et confessio mandata est: Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre cœlesti.

Confessio fi-
dei mandata.

Hæc cogitent bonæ mentes, & studeant sua confessione & suis officijs fouere & tueri Ecclesias recte docentes. Ornent hunc præsentem statum: ut dicitur, Spartam quam nactus es, orna. non colludât cum hostibus ueritatis: nec quærant animo aliã Ecclesiam, aut aliud ministerium, cum sciant quæ Ecclesia recte doceat. Deus uult nos amare Ecclesiam recte docentem, & studium ei nostrum declarare,

vult ministerium Euangelij honore adfici & iuuari: sicut & Psalmus præcipit, Rogate quæ ad pacem sunt Ierusalem. Et additur promissio mercedis, Erit abundantia diligentibus te.

Cum igitur manifestum sit defendi idola & errores ab hostibus Ecclesiarum nostrarum, & necesse sit fugere idola, & constet in Ecclesijs nostris recte doceri, & remotos esse idolorum cultus, pietas est has Ecclesias fouere, & his se adiungere. Vitemus scandala omnis generis, non prætextu Euangelij seruiatur priuatis affectibus, non premantur recte docentes, non impediuntur studia piæ doctrinæ: sed ut in alucolis apes singulæ conferunt labores suos ad communem utilitatem, ita nos conferamus singuli omnia studia & officia nostra ad salutem et tranquillitatem Ecclesiarum recte docentium, & iuuenus pia studia, ut ad posteros doctrina pura de Deo & de Domino nostro Iesu Christo propagetur.

Euangelium
scandalis de-
decorantes.

In secundo Præcepto dicitur, Nō habebit Deus infontem quicumq; nomen Dei uanè usurpauerit. Non dubium est igitur, pœnas Deo daturus esse omnes, qui Euangelij doctrinam scandalis dedecorant. Ac his ultimis temporibus in tanta confusione opinionum et gubernationum, profectò necesse est nos circumspectiores & uigilantiores esse. Nunc illam uocem Christi nobis inculcemus, Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Et hac nos consolatione sustentemus, quod eodẽ tempore inquit Christus,

stus, Expetiuit uos satanas, ut cribraret uos, ac dissiparet: sed ego pro te orauī, ne deficiat fides tua. Te oro fili Dei Iesu Christe, crucifixe pro nobis, & resuscitate, miserere nostri, & Spiritu sancto tuo ueram lucem in cordibus nostris accende et auge, & rege mores & studia nostra.

DE LIBERTATE

Christiana.

SI quis principum in Babylone audisset Iudeos in exilio gloriari, sibi diuinitus libertatem donatam esse, dixisset amentiam esse hæc prædicare: ita nunc derideri nos à uiris Politicis arbitror, cum in his tristissimis ruinis regnorum, cum crescit seruitus ubiq; cumq; multa milia piorū hominum à Turcis quotannis, penè ob oculos nostros abduci uidemus, cumq; passim sæuitia in pios iniusta exercetur, adhuc libertatis mentionē facimus, & libertatem nostram gloriose prædicamus. Primum igitur hoc præfandū est, nos quoq; dolere uicem Ecclesiæ Dei, quæ his sæuis & tyrannicis temporibus, & in hac confusione regnorum passim dura seruitute premitur.

Et ut maximè foueretur imperijs mitioribus, tamen Ecclesia semper à diabolo excruciat, & adhuc morte & multis calamitatibus in hac uita onerata est. In quantis doloribus uixerunt Adam & Heua, cum uiderunt neces & scelera posterorum, etiam si nondum erant regia imperia, aut tyrannide

nides? Semper in gentibus miseris oppressa fuit, est,
& erit, ante resurrectionem, Ecclesia Dei.

Libertas Christi
hana quæ.

Quid igitur uocamus libertatem? Num inane uocabulum est, ut sunt Stoicorum paradoxa, seu ineptiæ, qui dicunt solos sapientes liberos esse? Longe alia est doctrina Euangelij de libertate, de qua Christus loquitur, cum ait: Si uos filius liberauerit, uere liberi eritis. Vere, inquit, liberi: non inani titulo, aut umbra libertatis, sed re ipsa deleto peccato, placata ira Dei, abolita morte, sublatis omnibus calamitatibus humanis, donati æterna iustitia, luce, uita, gloria.

Complectitur Christus integrã libertatem, quã ipse attulit et peperit sua morte Ecclesiæ suæ. Nunc quidem in hac uita inchoatur illa uera libertas, sed in resurrectione erit integra, cum deletis omnibus malis, Ecclesia fruetur æterna & dulci consuetudine Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi. In illam æternam & integram libertatem mente intueamur, quoties nomen libertatis audimus, & simul cogitemus eam in hac uita inchoari. Sed remoueamus somnia de politica libertate corporum, de imperijs, ut Iudæi adhuc libertatem & instaurationem regni in Palestina sperant. Nihil hæc somnia ad hæc doctrinam pertinent, quam de libertate proponit Euangelium.

Etsi igitur Ecclesia non solum ab imperijs oppressa est seruitute in hac uita, sed etiam ingenti-

bus

bus calamitatibus alijs exercetur, tamē doctrina de libertate consolationem in his ipsis malis firmissimam proponit. Affliguntur Hercules, Priamus, Agamemnon, Palamedes, Cato, Cicero, Brutus & alij innumerabiles ignorantēs Deum. Sed succumbunt suis ærumnis, nec habent Deum mitigantem euentus, aut confirmantem animos. sed opprimuntur æterna desperatione, & æternis tenebris de providentia & de iustitia Dei.

Heroum afflictiones.

At Joseph, Dauid, Ionathas, Ezechias, Ieremias, Baptista, Paulus etiam, cum affliguntur, tamē cernunt Dei presentiam, qui confirmat animos, & sæpe mitigat ipsis euentus: & cum opprimuntur, tamen paulo post Ecclesiæ prosunt horum agones, & hi sciunt se post hanc uitam in resurrectione habituros æternam gloriam. Ita habent in hac uita inchoatam libertatem, quia à Deo recepti sunt, reguntur ab eo, defenduntur, & adiuuantur, & sciunt post hanc uitam se habituros esse integrā libertatem. Iam cogita quantum bonum sit, quanta libertas etiam in medijs ærumnis, & media morte, Deum habere propiciū, opitulatorem, gubernatorem & protectorem.

Afflictiones piorum.

Libertatem ueram in hac uita inchoari

Hæc concio de libertate res ueras, certas, quæ habent euidētia testimonia in Ecclesia, & quas Ecclesia, ego, & tu & omnes pij experiuntur, proponit, non adfert inania somnia Iudæorum, aut Stoicorum, aut anabaptistarum, aut Struthij, qui plebē

liberare tributis uolebat.

Libertatis
Euangelicæ
gradus.

Distributio autem usitate docendi causa libertatem Euangelicam in quatuor gradus.

Primus est, ut summa mala sunt peccatū & ira Dei, ita necesse est primum de hoc gradu dici, quomodo ab his malis liberemur. Est ergo primus gradus libertatis, quod gratis propter filiū Dei donantur nobis remissio peccatorum, reconciliatio, iustificatio, seu imputatio iustitiæ, & acceptatio ad uitam æternam, & hereditas uitæ æternæ.

Gratuita pec-
catorum re-
missio.

Hæc est libertas, quod propter Christum gratis hæc tanta bona certo donantur. Vult nos Deus certò statuere, & credere, nos agentes pœnitentiam recipi in gratiam, exaudiri & saluari propter filium gratis, etiamsi lex & nostra ratio nos accusant ac deterrent, ne hæc bona accipiamus. Sumus igitur liberati à peccato, ab ira Dei, ab æterna dānatione, à lege accusante nos, & à conditione meriti. Et alia res proposita & donata est, propter quam accipimus remissionem peccatorum, & iusti, id est accepti à Deo pronunciamur: scilicet filius Dei mediator, non lex aut merita nostra: ac reconciliati, reputantur iusti, id est accepti à Deo ad uitam æternā, etiamsi procul absunt à perfectione legis, sed propter Christum, fide. O ingens beneficiū, quod quamquam adhuc hærent in reconciliatis reliquæ peccati, quanquam magna mole sordium premitur, tamen placenus certò propter Christum, ac si prorsus

sus legi satisfaceremus. De hoc gradu libertatis con-
 tionatur Paulus, cum ait: Christus nos redemit à
 maledictione legis, factus pro nobis maledictum. Christus pro
nobis maledi-
ctum factus.
 Breue dictum est, sed longe omnium angelorum &
 hominū sapientiam superans: quia uera ingens &
 ineffabilis ira aduersus peccatum significatur, cum
 filius in quem deriuata est ira, uocatur maledictū.
 Hic factus est pro nobis *uictor* & uictima. De hoc
 beneficio & hac liberatione semper & in omni in-
 uocatione cogitandum est, & fide statuendū, quod
 propter Dominum nostrum Iesum Christum uere
 nostra peccata remittuntur, tecta & sepulta sint:
 & quod uere uelit nos propter mediatorem recipe-
 re, exaudire, saluare. In his exercitijs inuocatio-
 nis quotidie crescet intellectus huius uere liberta-
 tis, de qua in hoc primo gradu dicitur, qui doctri-
 nam de iustificatione, quæ supra copiosius recitata
 est, continet.

Secundus gradus est, donatio Spiritus sancti, qui II
Spiritus san-
cti donatio.
 nouam lucem in mente, & nouos motus in uolunta-
 te & corde accendit, gubernat nos, & inchoat in
 nobis uitam æternā. Etsi autem hic secundus gradus
 cum primo coniunctus est, tamen docendi causa di-
 scerno, ut quoties de liberatione à lege dicitur, in-
 telligatur nō tantum auxiliū, ut Augustinus plerun-
 que enarrat, sed etiam gratuita imputatio iustitiæ.
 Augustinus plerunque sic loquitur, Liberati su-
 mus à lege, id est, donato Spiritu sancto iuuamur,
 ut le-

ut legi obediamus, nec iam frustra nitimur coacti à lege. Rectè de auxilio dicit, sed necesse est conspici & alterum beneficium, scilicet gratuitam remissionem peccatorum, & imputationē iustitiæ, quæ donatur propter Christum. Hoc ingens munus conspici necesse est, ut Christo suus honos tribuatur, & cōscientiæ teneant ueram & firmam consolationem, & possint inuocare Deum.

Loquitur autem Christus de utroq; gradu, cum ait: Si uos filius liberauerit, uerè liberi eritis, et quidem de integro beneficio concionatur. Filius placat iram Dei, tollit peccatum & mortem, dat iustitiam & uitam æternam, resuscitat nos ad æternam gloriam & lætitiã, qua fruemur in consuetudine Dei, angelorum, & uniuersæ Ecclesiæ. Hæc integra libertas est beneficium, de quo Christus concionatur, quam tamen hic inchoari oportet.

Libertas Ecclesiæ in medijs calamitatibus.

Adhuc subiecti sumus cruci & morti corporis, exercemur ingētibus calamitatibus. hærent adhuc in nobis sordes, & multum caliginis, & oppugnatur à diabolo, qui interdum implicat nos malis intricabilibus. Et nemo tam cautus, tam diligēs est, ut non aliquando in deliberationibus erret. Deniq; regere ipsi difficilimū & periculosissimū uita cursum, & uocationum negotia, sola humana diligentia non possumus, ut inquit Ieremias: Scio Domine, quod non est hominis uia eius.

Quantquam igitur in tristi carcere adhuc in clu
si ui.

si uidemur, tamen sumus liberi: primum, quia certū est nos propter Christum habere Deum propiciū, & defensorē, ut docet primus gradus libertatis: deinde, quia adiuuamur et gubernamur à Spiritu sancto. Dauid inextricabili malo cōsistatur, cum pul-

Dauidis exemplum.

sus regno exulat: sed tamen hac se certa consolatione sustentat, quod à Deo non sit abiectus, meminit uocem Nathan, Abstulit Dominus peccatū tuum: deinde petit auxilium & gubernationem Spiritus sancti, & experitur se à Deo iuari. At Themistocles Græcia expulsus, nullā harū consolationē nouit, sed tantisper dum habet receptum & humanarum præsidia, fert exilium tranquilliore animo.

Didicerunt secundum gradum libertatis omnes sancti in periculis, cum experti sunt se iuari, & confirmari à Deo: sicut Stephanus in confessione, & agone mortis: Laurentius, & alij multi in confessione.

Quare & nos nostram infirmitatem & pericula considerantes, de hoc gradu cogitemus: petamus auxilium & gubernationem Spiritus sancti, sicut præcipit Christus inquit, Petite, & accipietis. Item, Venite ad me qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Cum inuocabimus sine ulla dubitatione, sentiemus nos iuari, regi consilio, gubernari exitus, depelli pericula, & mitigari erumnas.

Inuocationis exercitia.

Hæc inuocationis exercitia erudient nos de hoc secundo

secundo gradu libertatis. Iam quanta beneficia Dei sint hi duo gradus, secum quisque cogitet. Sunt enim liberationes ex summis malis, à peccato, ab ira Dei, à morte aeterna, donatio iustitiae & uitae aeternae, defensio aduersus diabolum, gubernatio in omnibus negocijs & periculis, regenda Spiritu sancto, & accedente in nobis cogitationem uerbi Dei, denique praesentia aeterna Dei nos iam complectentis propter filium suum Dominum nostrum Iesum Christum. His bonis nihil est melius, aut maius.

Itaq; libertas parta sanguine Christi, quam offert Euangelium, ingens & immensum bonum est, nec est inane nomen, aut Stoica imaginatio, ut homines impij iudicant.

Discrimē inter libertatem politicam & Christianam.

Nec difficile est sanis mentibus & pijs uidere discrimen inter hanc liberationem à peccato & ira Dei, & politicam libertatem, seu liberationem à tributis. de hac externa politica tranquillitate uel seruitute in his duobus gradibus nihil dicitur. Habet hos gradus libertatis animae Ioseph quāuis seruus, & cōiectus in carcerem. Habet eos Daniel sedēs inter leones, Laurētius iacens in craticula. Nā politica libertas, aut seruitus, nihilo magis ad hos duos gradus pertinet, quā robur corporis, aut imbecillitas, ut Galat. 3. dicitur: Omnes filij Dei estis per fidem in Christum Iesum, non est Iudaeus, nec Graecus, nec seruus, nec liber. Sed facile est pijs haec intelli-

intelligere, alia animæ bona sunt, alia res sunt corporum discrimina.

Tertius gradus tandem de externa & politica vita traditur, uidelicet Christianos non esse alligatos ad politiam Moysi, aut ullam certam unius gentis politiam, sed singulis locis parère magistratibus & legibus presentibus debemus, si modo leges sint consentaneæ iuri naturæ, nec præcipiant aliquid fieri contra mandata Dei. Vt alijs dierum & notitium spacijs utimur in alijs regionibus, ita licet uti alijs magistratuum, imperiorum & legum formis, modo ut leges, sicut dixi, nihil præcipiât fieri contra mandata Dei.

Ideo autem de hoc tertio gradu libertatis rudiores docēdi sunt, quia sæpe perniciosæ seditiones motæ sunt ab indoctis, qui contenderūt oportere Christianos regi legibus Mosaicis. Hic error taxandus est, ut clarè docent Prophetæ, Christus, & Apostoli, finem fore politiaë Iudaicæ post passionē et resurrectionem Christi. Et ipsæ ruinæ Ierosolymorū testantur, antè annos 1470. politiam Iudaicam deletam esse. Hinc regula traditur, Abrogatas esse ceremonias Mosaicæ, nec leges iudiciales Moysi ad ecclesiam Christi pertinere. Politia illa ad certam gentem pertinebat, & duratura erat certo tempore, non pertinet ad alias gentes aut alia tempora. Hæc confirmantur multis perspicuis testimonijs, ut Actuum 25. & ad Galat. tertio Cap. & quinto: In
Chri-

III
Christiani
quatenus po-
litiaë alligati.

Mosis politiaë
sublata.

Christo Iesu nec circumcisio aliquid ualet, nec præputium, sed fides quæ per dilectionē est efficax.

Legis abrogatio quo modo intelligenda.

Sed hic quæstio agitur, cum dicitur de abrogatione legis, totāne lex intelligitur abrogata, an tantum duæ partes, scilicet ceremoniæ & leges forenses? At qui maius onus est, & durior carcer lex moralis, quàm ritus illi externi ceremoniarum.

Respondeo. De ceremonijs & forensibus legibus responsio non difficilis est. Sicut Athenis tabulæ Solonis, aut Romæ Decemuirales, mutata Reipub. interierunt, sic ceremoniæ & forenses leges Moysi promulgatæ ut certo tempore durarent, & deleta politia Mosaica neminem obligarent, nunc extinctæ sunt. Suprà autem in discrimine ueteris & noui Testamenti dictum est, cur constituta sit illa politia.

Moralis lex nō mutabilis.

Sed de lege morali difficilior est responsio, quæ explicant Christus & apostoli, & non intelligunt homines prophanī, & sine pœnitentia uiuentes. Nam lex moralis non est lex mutabilis, ut ceremoniæ, aut tabulæ Decemuirales. Sed lex moralis est, æterna & immutabilis regula in mente diuina, præcipiens faciendā, & prohibens ac puniens non faciendā.

Vt hæc propositio æterna & immutabilis est, Deus est sapiens, bonus, iustus: sic hæc propositiones æternæ et immutabiles sunt, Deus iudicat iustum esse, se conditorem à creatura rationali diligenti
& an-

Et anteferri omnibus rebus: Deus iudicat uagas hominum libidines malas esse, Deus adprobat obedientiam quam postulat, Deus irascitur contumaciæ.

Et huius legis sententia transfusa est in creaturas rationales, nec potest, illis manentibus, aboleri: sicut noticia numerorum aboleri non potest.

Manet igitur semper hæc regula, scilicet, Lex moralis: et manet semper ordo diuinæ mentis, ut creatura obediat. Obligat autem omnis lex ad obedientiam, uel ad pœnam.

Cum igitur homines non præstiterint obedientiam, necesse fuit aut ipsos in pœna interire, aut alium persolvere pœnam, seu λύτρα. Itaque mirando et inenarrabili consilio soluit λύτρα filius Dei pro nobis intercedens, et deriuauit in sese iram quam nos sustinere oportuit. Quare non sine compensatione Deus legem suam mitigauit, sed iusticiam seruauit, in flagitanda pœna. Ideo Christus inquit: Non ueni soluere legem, sed implere eam, scilicet, subeundo pœnam pro genere humano, et docendo et instaurando eam in credentibus. Difficilis est explicatio huius rei, sed pios oro, ut quæ dixi, expendant.

Et cum Christus λύτρα persoluerit, liberati sumus à lege propter ipsum, scilicet ne maneamus in maledictione, modo ut fide beneficium eius nobis adplicemus. Ideo Paulus diserte inquit, nos liberatos esse à maledictione legis, scilicet quia Christus persoluit λύτρα. Non remissa sunt peccata in uoluntate Dei, ali-

Legis obligatio à Christo persoluta.

Lex quomodo à Christo non soluitur, sed impletur.

qua mobilitate sine causa, sed intercessit magna compensatio propter iustitiam Dei. Sic primi parentes etiam ante Moysen, Abraham, Isaac, Iacob, & deinde Moyses, Samuel, Dauid, Baptista sentiebant sibi remitti peccata, & se recipi propter filium Dei, non propter Legem, & se reconciliatos, quanquam non erant sine sordibus, tamen Deo placere, quia à lege liberati essent propter filium, quem sciebant *ἀγορά* persoliturum esse: sicut Baptista inquit, Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi, id est uictima à Deo destinata. Hæc est abrogatio legis moralis, de qua Paulus concionatur, diserte dicens, per Christum nos à maledictione legis redemptos esse. Ita liberati sumus, si beneficium Christi nobis fide applicamus.

Legis moralis abrogatio quæ.

Hæc doctrina nos de utraque re admonet, de ingenti ira Dei aduersus peccatum, quod non remissum est sine compensatione: & de admirando beneficio Christi. Semper odit Deus peccatum, sed quia iram suam in filium deriuauit, nos recipit. Lex enim obligat, ut dixi, ad obedientiam, uel ad pœnam, & pœna à filio persoluta est.

Dei ordo immutabilis.

Nunc igitur ad principalem questionem respondeo. Liberati sumus à maledictione legis moralis, quia filius persoluit *ἀγορά*, & propter filium recepti sumus: sed manet ordo Dei æternus & immutabilis, ut creatura Deo conditori obtemperet. Non accusat, non damnat lex reconciliatos, sed manet ordo in mente diuina, & in nostra mente, ut Deo obediamus.

dicamus. In hanc sententiã dicitur, abrogata est lex, quod ad maledictionem attinet, non quod ad obedientiam attinet. Ideo & spiritus sanctus datur, ut deinde uere accendantur in cordibus nostris motus congruentes legi Dei, ut 2. Corinth. 3. Nos relecta facie gloriam Domini specularantes, in eandem imaginem transformamur, à gloria in gloriam, tanquam à Domini spiritu.

Ex his intelligi potest dictum Pauli, Non estis sub Lege, sed sub gratia: scilicet quia in Christum translata est pœna, credentes liberati sunt ab ira, & iam propter Christum iusti seu accepti sunt, etiam si hærent in eis reliquie peccati, quibus repugnant spiritu.

Quod dicitur, Iusto non est lex posita: manifeste eo loco apud Paulum de disciplina dicitur, ait legem positam iniustis, adulteris, homicidis, & c. ut coherceantur, accusentur, puniantur. Hac disciplina & hoc carcere iustus, id est renatus spiritu sancto, non domandus est, sed regitur à spiritu sancto, prælucente uerbo Dei, cui scit creaturam rationalem subiectam esse. Et eo loco apud Paulum emphasis est in uerbo *lex non premit*, non obruit.

Quartus gradus est libertatis, quod Euangelium docet, ritus humana autoritate factos in Ecclesia de adiaphoris, non mereri remissionem peccatorum, non esse iusticiam Euangelij, non seruandos esse cum

Z z opinioni

Lex quarta
abrogata

Pauli locus

Iusto lex non
posita.

IIII

opinionem necessitatis, sed posse omitti extra casum scandali. Hæc clare traduntur in his dictis: Frustra colunt me mandatis hominum. Item, Nemo uos arguat in cibo, potu, etc. Recensui autem supra, quos errores addat hypocrisis illis humanis ritibus: quos errores cum refutari necesse sit, de hoc gradu libertatis in Ecclesia dicendum est. Deus uult se & uoluntatem suam agnosci, ex uerbo suo: non concedit nobis licentiam fingendi opiniones nostro arbitrio, ut finxerunt Ethnici, & idolorum cultores omnibus temporibus. Nam hic fons est multorum errorum, quod homines putant sibi licere de Deo fingere opiniones, & bono studio, ut dicunt, cultus instituere. Pium ducunt Thebani petere à Deo ubertatem uinearum: ideo Bacchanalia instituunt. Pium ducunt Siculi, petere ut frumentum foeliciter proueniat: ideo Cererem & filiam colunt. Pium ducunt Romani, petere uictoriam in bellis: ideo Martem colunt. Et hi cultus cumulantur.

Omnes autem hi errores ex uno fonte oriuntur, quod putant homines sibi licere, fingere suo arbitrio opiniones de Deo, & cultus. Sicut & Aharon putabat, fingens cultum ad uituli simulachrum: & Ieroboam, audacissime abducens populum Israel à templo Dei ad sua sacrificia.

Hic clamant sapientes. Quid hæc res mali habet? Cur non concederetur augere honesta exercitia? Quid Ethnici, quid Aharon, quid Ieroboam aliud uolebant,

Idololatria errorum fons.

Obiectio.

uolebant, nisi ut noticia Dei conseruaretur, ut populus ad inuocationem inuitaretur, ut bonis exercitijs ad pia opera adsuesfieret: Hæc species, et hæc *τιθαυρονομίας* semper *σεβellerunt*, fallunt, & fallent genus humanum.

Ita nunc sapiētes ratiocinantur: Quid mali est, & multis & singulis offerri Christum? Fiunt ibi precatōnes pro uiuis & mortuis. Quid mali est circumgestare partem sacramenti? Augetur populi inuocatio, et sacramentum honore adfcitur? Quid mali est petere à mortuis, qui uiuunt apud Deum, ut pro nobis intercedāt? Haud dubie tota Ecclesia in cælo et in terris semper cōiungit preces? Speciosa hæc sunt, & ab eloquentibus ornari possunt.

Sed hæc speciosæ rationes & *τιθαυρονομίας* abducunt homines à uerbo Dei. Ideo hi ludi à Deo prohibiti sunt. Nam simili audacia fingunt hæretici suos errores, alij alios: imo luctante consciētia, de remissione peccatorum, & de uoluntate Dei, in magnis calamitatibus animi sic asuesfacti, ut rationis opiniones sequantur, amittunt ueras consolationes à Deo traditas.

De paruis rebus, inquit uiri Politici, moueri certamina quæ sint exitiosa imperijs. Herent enim discordiæ, et crescunt factionū studijs et odijs. nã homines nō moderate dissentiūt. Cur igitur, inquit, de lacte, de ouis, de esu carniū tantas agitis tragœdias? Cur non antefertis his minutis rebus pu-

Contētiones
perniciosæ ex
rebus paruis
ortæ.

blicam concordiam & tranquillitatem?

De maximis
rebus esse cō-
trouersiam.

Vera & firma responsio est, non de paruis rebus dimicari, sed de multis magnis rebus, quæ sunt anteferenda nostræ uitæ, omnibus corporū commodis, imperijs, et concordia publicæ: uidelicet de uera agnitione & inuocatione Dei, ne de Deo et eius uoluntate quærantur opiniones extra uerbum ab ipso traditum, sicut fecerunt Ethnici, & omnes fanatici spiritus, Samosatenus, Arius, Manichæi, Pelagius, Mahomet.

Talis furor reprehenditur: qui etiam si dissimiles materias proponit, tamen uniusmodi est. Ex istisdem tenebris oriuntur Bacchanalia et Samosateni error, & leges Manicheorum de cibis, & lex Pontificum de cœlibatu sacerdotum, & sacrificulorum temeritas de uenditione Missarum, & inuocatione mortuorum.

Vult Deus mentes nostras alligatas esse ad suum uerbum: à quo cum discessum est, sequuntur infinita deliria & idola. Itaque de hac regula dimicamus, ne à uerbo Dei discedatur, quare de re omnium maxima Ecclesiam commonefacimus, & quidem mandato diuino. Nota est enim sententia: Si quis aliud Euangelium docebit, anathema sit.

Præterea sapientes illi politici excerpunt minuta in speciem, esum carniū, aut ouorum. his, autem, anteferenda erat concordia publica. At non tantum de esu carniū, aut talibus minutis rebus contēdimus.

Dixi,

Dixi, de fonte errorum commonefaciendam esse Ecclesiam, id est, de audacia humana discedente à uerbo Dei, quæ finxit non tantum leges ciborum, & si hæc solæ etiam multum errorum gignunt, sed etiam aliâ manifestiora idola, ut uenditiones Missarû pro uiuis & mortuis, inuocationes mortuorum, legem cœlibatus, et alia. Nec finis est horum furorû. Nunc Anabaptistæ simili furore nouas opiniones et nouos ritus excogitant.

De fonte errorum commonefacienda Ecclesia.

Necessaria est igitur Ecclesiæ doctrina de hoc quarto gradu libertatis, & diligenter consideranda est causa, quod necesse sit admoneri Ecclesiam, ne à uerbo Dei discedatur. Lucerna pedibus meis uerbum tuum, inquit Propheta.

Faciles sunt autem lapsus, & initio obscuri, cum hac lucè excussa, amplectuntur animi humanas opiniones quæ stabiliunt idola, et queruntur *ritibus* *deiciat*, quas Paulus ipse inquit speciem habere sapientiæ, cum tamen sint imposturæ. Quid uetat, inquiunt, cum nobiscum uniuersa Ecclesia in cœlis & in terra semper oret Deum, ne sinat extingui ueram doctrinam, sed ut colligat sibi & regat Ecclesiam, compellare etiam sanctos qui fruuntur Dei consuetudine, & hortari, ut suas preces ad nostras adiungant, certe norunt hanc esse uoluntatem piorum. Hæc plausibiliter dicuntur, sed hic prætextus quanta scelera confirmat.

Exaudire singulorum uota, et spectare motus cor

Mortuorū cul-
tū.

dium, solius est Dei, seu omnipotentis naturæ, ut clare dicitur 2. Paralip. 6. Tu solus nosti corda filiorum hominum. Hunc honorem mortuis tribuunt illi qui compellant singulos, deinde accedunt maiora deliria, fingunt mortuos ipsos esse opitulatores, & alij alia munera attribuunt, prorsus ut Ethnici à Iunone diuitias, à Pallade sapientiam, à Venere felices amores, à Marte uictorias, & ab alijs alia petebant. Ita cumulantur delicta, cū initio propter plausibilem rationem non procul discessisse à uerbo Dei uidemur. At constat nullum esse exemplum inuocationis mortuorum in Prophetiis & Apostolicis scriptis. Constat non esse inuocationes instituendas humana audacia. Hæ regulæ opponendæ sunt illis fictis excusationibus, quibus nunc astuti quidam pingunt idola, ut olim in festis pingebantur statuæ sanguineis ebuli baccis, minioq; rubenti.

Idolorū excusatio non admittenda.

Hæc ad commonefaciendos studiosos dixi, ne prestigij illis excusantium errores & idola abduci se à ueritate sinant. Nam si ludi illi audacissimi excusantium idola concedentur, quæ religionum confusiones erunt? Horresco cogitans has diaboli insidias. Et quia nulla humana diligētia satis cauere has tentatōes potest, oro Dominum nostrum Iesum Christum, pro nobis crucifixum, resuscitatum, ut ipse puritatem sui Euangelij defendat, & omnia idola destruat, & mentes nostras regat, ut uera & salutaria doceamus, & agamus.

Nānē

Nunc ad usitatum argumentū respondebo, quod obijcitur: Potestati necessario obediendum est: Potestas Ecclesiastica instituit ritus, tum de rebus adiaphoris, tum de alijs. Neesse est igitur seruari ritus præsertim in rebus adiaphoris.

*Aduersariorū
argumentum
de ritibus.*

Respondendum est ad Maiorem: quæ non est uera, cum potestas præcipit, ut impia doceamus aut faciamus. Tunc enim neesse est aduersari iuxta illas regulas, Oportet Deo magis obedire quàm hominibus. Primum igitur, cum traditiones apertè præcipiunt ea quæ sine peccato non possunt fieri, constat eas esse doctrinas demoniorum, nec obediendum eis esse, sed redeundum ad mandata Dei. Tales sunt multe traditiones pontificiæ, ut abusus Cœnæ Domini, inuocatio mortuorum, lex de cœlibatu. Hæ traditiones reiiciendæ sunt, & obtemperandum mandatis Dei. Primum mandatum inquit, Non habebis deos alienos. Non igitur inuoca mortuos, sed inuoca omnipotentem Deum conditorem omnium rerū, qui se patefecit dato Euāgelio, & misso filio suo Domino nostro Iesu Christo, pro nobis crucifixo & resuscitato: & sic inuoca, quemadmodum ipse docuit nos inuocare, fiducia filij mediatoris, &c.

Potestati quatenus obtemperandum aut non.

Deinde etiam cum traditiones loquuntur de rebus sua natura adiaphoris, tamen fiunt impie, & doctrinæ demoniorum propter errores, qui simul proponuntur ac defenduntur, uidelicet quod mereantur remissionem peccatorum, aut sint cultus Dei, id est

opera quibus Deus iudicet se honore adfici, aut quod Episcopi habeant potestatem instituendi tales cultus. Hos errores taxari necesse est. Et exempli causa aduersandum est, ut Ecclesia intelligat, non discedendum esse à uerbo Dei, nec laxandos esse frenos humanæ audaciæ, ut fingunt homines suo arbitrio opiniones & cultus. Propter has causas & Christus excusat Apostolos, uiolantes traditionem Pharisæicam, Matthæi 15.

Altera solutio

Hæc prima solutio maxime perspicua & plana est. Sed tenenda est & altera, quæ etiam uera & firma est. Maior uera est de obedientia, qualem docet Euangelium. In his quæ sunt iuris diuini, conscientia necessariò debet obedire pastoribus, iuxta illud: Qui uos spernit, me spernit. De ritibus adiphoris qui boni ordinis causa instituti sunt, Euangelium præcipit, ne sentiamus cultus aut res necessarias esse. Sed seruari concedit, sine opinione iustitiæ, aut necessitatis. Hanc sententiam diuinitus traditam, non potest humana autoritas abolere. Quare etiam cum præcipiunt Episcopi, obedientia sit talis, ne debeat sententiam à Deo traditam.

Quatenus obtemperandum super cathedra Moysi sedentibus, etc.

Hæc responsiones ueræ sunt, & firmæ: nec pugnant cum hæc uoce Christi, Super cathedram Moysi sedent scribæ & pharisæi, omnia quæ dicunt facite. Nam hæc sententia non præcipit, ut facias aut sentias aliquid contra mandata Dei. Imò alio loco præcipitur, Cauete à fermento Pharisæorum. Et

Mat.

Matthæi 15. expresse reijciuntur humanæ traditiones, quæ sunt corruptelæ legum diuinarum. Et Paulus inquit, Si quis aliud Euangelium docebit, anathema sit. Nequaquam amplectendæ fuerunt interpretationes Phariseorum, quæ sinxerunt sacrificia Leuitica mereri remissionem peccatorum, Messiam nõ fore uictimam pro peccatis, sed occupaturum esse mundi imperium, & distributurum regna Iudæis. Tales furores certe non erant amplectendi. Ideo dictum illud Christi non accipiatur de traditionibus aut opinionibus pugnantibus cum uerbo Dei.

Nec uero dicuntur hæc, ut quidquam de uera auctoritate ministerij Euangelici ac pastorum detrahatur, imò horum auctoritas munitur. Adfirmamus deberi necessariò obedientiam recte docentibus, in ijs rebus omnib. quæ sunt iuris diuini: iuxta illud, Qui uos audit, me audit. Sed hæc sententia nõ potest trãs ferri ad opiniones aut leges pugnantes cum Euangelio, nec regnum extra Euangelium constituit.

Euangelij doctoribus quantum obtinendum.

Deinde & hoc addimus, cum boni ordinis causa tempora & lectiones distribuunt, ita seruandos esse eos ritus, ut scandala caueantur. Ac præsertim nos in Ecclesijs emendatis meminerimus, qui honos debeat ministerio Euangelij.

Præcipuum beneficium Dei est hoc ministerium, & ingentibus miraculis à Deo subinde instauratum est, & defensum in genere humano. Et uult Deus sonare suum Euangelium in publico cœtu, & honeste.

Euangelij ministerium, præcipuum Dei beneficium.

honestis congressibus: sicut scriptum est, Laus eius in Ecclesia sanctorum. Ibi nomen suum inuocari & celebrari uult in quadam frequentia. & addidit promissionem congregationi: Vbi duo aut tres congregati sunt in nomine meo, in medio eorum sum. Iterum dico uobis, De quacumque re duo in terra consenserint, quam petent, fiet eis à Patre meo cœlesti. Vult etiam illos ipsos congressus publicos testes esse tuæ confessionis: uult & conspici seiunctionem. ueræ Ecclesiæ retinentis Euangelium, ab aliarum sectarum conuenticulis.

Publicorum
Ecclesiæ con-
gressuum utilitas.

Templum in-
gredienti quæ
cogitanda.

Electi & uo-
cati, & ubi.

Itaque publici Ecclesiæ congressus, necessarij sunt ad retinendum ministerium Euangelij. Quare in Ecclesijs quæ recte docentur, omnes & ament & adiuuent congressus publicos, obtemperent pastoribus recte docentibus, qui tempora & lectiones distribuunt. Quoties in templum uenis, cogita de immenso beneficio Dei colligentis sibi Ecclesiam aternam ministerio & uoce Euangelij, & simul de tota doctrina creationis & redemptionis humani generis ipse te commonesfacito, memento promissionem datam de præsentia Dei. In hoc coetu uult Deus inuocari, & exaudire. Hic ostendis in inuocatione & usu Sacramentorum, te membrum esse populi Dei, & auditorem Christi. ac simul illam uocem tecum repete, quam uellem omnium templorum parietibus inscriptam esse: Quos elegit, hos & uocauit. Nulli sunt electi extra hunc coetum uocatorum, non alibi popu-

populum Dei nisi inter uocatos querito. Sunt autem uocati, qui sunt socij huius cœtus audientis Euangelium, & Sacramentis inferti huic cœtui. Quanta hæc consolatio est piæ menti, nosse tantum in his cœtibus esse hæredes uitæ æternæ, non alibi? Agas igitur gratias Deo æterno patri Domini nostri Iesu Christi, quod te uocarit ad Euangelij agnitionem, & ad hos cœtus & congressus. Et omni officio horum congressuum frequentiam adiuues, ac tuearis. Ipsos etiam pastores recte docentes ama, & eis reuerenter obediis in functione ministerij, & benigne confer ad eos alendos, ubi opus est. Hæc & cogitanda pijs, & uero studio facienda sunt.

Sic & de Scholis, in quibus sonat uox Euangelij, sentiamus, sciamus Deum uelle tales esse docentium & discipulorum congressus, & has partem esse Ecclesiæ, in qua multi sint electi hæredes uitæ æternæ. & quidem ex hoc ipso cœtu sumi doctores, per quos Deus ministerium Euangelij publicum seruat. Regnat Christus ad dextram patris æterni, ut donet hominibus, pastores & doctores. Adest ergo & in hoc ipso piarum Scholarum confessu, & ex hoc numero eligit, ac preparat spiritu sancto pios scholasticos, ut Ecclesiæ suæ deinde seruiant, & Euangelij propagationem adiuuent. Amandi sunt igitur & fouendi hi cœtus, & adiuuandi congressus, qui quidem nos etiam de æterna uita adiuuent.

Nam

Nam illa infinita eternitas, talis erit consuetudo
 conuenientis Ecclesie ad audiendam Dei & Domi-
 ni nostri Iesu Christi sapientiam, & ad mutua collo-
 quia cum primis patribus, Prophetis, Apostolis, &
 alijs quorum sermone letabimur. Imò quoties adsu-
 mus in Ecclesie aut Scholarum congressibus, opte-
 mus ut quàm primum Letissimus ille dies illucescat,
 in quo filius Dei Dominus noster Iesus Chri-
 stus, resuscitatis mortuis, hunc uniuersae
 suae Ecclesie congressum,
 & hanc Scholam nobis ostendet.

F I N I S.

ERRATA INTER EXCVDEN-
dum commissa sic corrige.

Pag. 1. uers. 18. se & suam. 88. 25. summos. 95.
4. perp. uitium & 14. cum lege. 134. 15. faciunt.
& 16. magos. 199. 5. necessarias. 206. 21. iustus.
290. 11. complectitur. 369. 15. dele alterum in.
383. 8. uerbum. 386. 16. nos, qui. 400. 25. solici-
ti. 403. 17. colligi. 412. 22. consolationes. 414.
20. periculis. 420. 25. Resurrectione. 421. 27. af-
fligi. 602. 24. diaboli. 615. 17. Dominus. 629.
in marg. Regna. 638. 13. certa & illust. & 25.
Nahaman Syrum. 677. 4. sapientia. 678. 14. er-
roribus.

BASILEAE EX OFFICINA RO-
BERTI VVINTER, ANNO
M. D. XLV.

143027

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

A 1430257

885811746 wco